COMPENDIUM
IURIS CANONICI

COMPENDIUM
IURIS CANONICI

BEATAE MARIAE VIRGINI

DICATUM

AUCTORE

José Calasanz de Llevaneras

Fr. Josepho Calasanctio Card. Vives

O. M. Cap.

Editio quarta aucta et emendata

FRIDERICUS PUSTET

Pontificalis Bibliopola

RATISBONAE — ROMAE — NEO-EBORACI

1905

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

IMPRIMATUR

Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

Roma, 1905. — Tip. Editrice Romana, Via della Frezza, 59-61.

PROLOGUS

Sub auspiciis Immaculatae Virginis Mariae Matris et Magistrae nostrae superdulcissimae, COMPENDIUM IURIS CANONICI *eo fine exaravi, ut sacerdotibus praesertim facilior fiat frequens recordatio principiorum iurisprudentiae ecclesiasticae, fideliorque in clericis lectoribus observantia sacrorum canonum; ita ut singuli iuxta propriam conditionem merito usurpare possint haec verba iuramenti ab Episcopis emissi: « Ego... fidelis et obediens ero Beato Petro Apostolo Sanctaeque Romanae Ecclesiae, et Domino nostro Domino N. Papae N. suisque successoribus canonicae intrantibus... Iura, honores, privilegia, et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae, et successorum praedictorum, conservare, defendere et augere et promovere curabo... Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari » (Pont. Rom.). Et alia Patrum Conc. Prov. Burdigal. an. 1850: « Nos Apostolicae Sedis, non tantum mandata recepturos humiliter et quam diligentissime executuros, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse declaramus ac spondemus ».*

Omnia sub correctione Sanctae Romanae Ecclesiae.

PROLEGOMENA

Art. I. **Praenotiones.**

1. — **Notio Canonis.** — Canon idem est ac *regula* sive *norma*. [1] Unde dicitur in decreto Gratiani: *a*) « Canon Graece, Latine regula nuncupatur » (Cap. *Canon* 1. d. 3) ; *b*) « Regula dicta est, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alii vero dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi praebeat vel quod distortum, pravumque corrigat » (Cap. *Regula* 2. d. 3). *Lex* autem (l. I. ff. de leg.) vocatur *Canon* seu *regula iusti et iniusti*. [2]

[1] Vox *Canon* imprimis importat *obligationis* notionem. Unde *Canon* significat etiam tributum, pensionem. Leges ergo sunt *canones*, quia observationis onera. Hac de causa Officium divinum dicitur *Canon* apud Graecos; et apud Latinos habemus *Horas canonicas*. Nonnunquam apud antiquos Doctor canonum vocatur *Decretista* vel *Decretalista*, prout scilicet *decreti Gratiani* vel *Decretalium* expositor existat.

[2] Haec in genere notanda de legibus, ex decreto Gratiani: *a*) " Omnis autem lex aut permittit aliquid, ut vir fortis petat praemium: aut vetat, ut sacrarum virginum

2. — Quamvis vox *Canon* in se comprehendat leges civiles et ecclesiasticas, tamen *in praxi*, de ecclesiasticis tantum dicitur, ob ipsarum praestantiam. « Haec ipsa vox *Canon* de se complectitur omnem legem, tam civilem, quam ecclesiasticam, quia utraque est regula morum; et nihilominus, per antonomasiam, sola lex Ecclesiastica dicitur *Canon*, ob excellentiam nimirum potestatis, a qua fertur, et finis, ad quem dirigit » (Ben. XIV, de Syn. l. 3. 4). Hinc tali modo vox *Canon* iam usurpatur in Conc. Ancyrano an. 314, et Nicaeno I an. 325. Tandem, etsi Concilium Tridentinum *canones* dicat res fidei [1], vel melius anathematismos, et *decreta* res disciplinares, nihilominus leges ecclesiasticae vulgo *canones* adhuc nuncupari solent, et in hoc sensu dicitur: *omnia secundum canones exigantur; servandi sunt canones.* [2]

nuptias nulli petere liceat: aut punit, ut qui caedem fecerit, capite plectatur: eius enim praemio, aut poena vita moderatur humana. Divina autem praecipit, ut: Diliges Dominum Deum tuum. Alibi, omissis *divina autem*, melius dicitur: *aut praecipit, ut diliges Dominum Deum tuum* „ (Cap. *Omnis* 4. d. 3).

b) " Factae sunt autem leges, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia et nocendi facultas „ (Cap. *Factae* 1. d. 4).

c) " Erit autem Lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriae consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta „ (Cap. *Erit* 2. d. 4).

[1] Idem factum est in Conc. Vaticano.

[2] Sed legibus totam Ecclesiam respicientibus, vel a Romano Pontifice adprobatis, non autem statutis synodalibus

3. — Vocantur *canones* regulae sive morum, sive disciplinae, sive fidei. Sed in praxi, propriûs, regulae disciplinae. Ipsi *canones disciplinares* respiciunt, vel coniunctim vel separatim, a) *fidem*, defendendam, promovendam, conservandam; b) *mores*, accuratim determinantes generalia quaedam iuris divini praescripta, vel propria sanctione munientes praecepta et prohibitiones iuris item divini; c) *liturgiam*, accidentalia cultus divini ordinantes, ad tutamen substantialium eiusdem cultus, quae Deum habent auctorem; d) *hierarchiam* seu politiam sacram, ea quae iure divino non sunt determinata, pariter ordinantes, ut quaedam normae, conditiones, relationes iurisdictionis ecclesiasticae.

dioecesanis vel provincialibus aut regionalibus hodie vox *canon* applicatur. Unde ad illud Glossae *in principio distinctionis 18: Episcopi bene possunt condere Canones episcopales, et Archiepiscopus provinciales, quia quilibet populus et quaelibet Ecclesia sibi potest statuere aliquod ius:* et ad illud Abbatis *in Cap. Canonum de Constitutionibus*, ubi generatim ait: *Appellatione Canonis venit omnis Constitutio Ecclesiastica*, respondet Benedictus XIV. de Syn. l. 3. 3: " Ita profecto res se haberet, si unice insistendum esset vocis etymologiae, et grammaticali eiusdem significationi: at, si communem vocis acceptionem attendimus, praefatas Constitutiones *Canones* appellare prohibemur; usus quippe nunc communiter, et praecipue apud Doctores, invaluit, ut *Canonis* nomine solae denotentur Constitutiones, quae universam obstringunt Ecclesiam, quales illae sunt, quae aut a Conciliis Generalibus, aut a Summo Pontifice promanant, quod pluribus tradit Fagnanus *in Cap. Canonum statuta, num.* 19. *et seq. de Constitutionibus*, notans simul *ibid. num. 35*. quod si statutum Episcopi a Papa confirmetur, et extendatur ad totam Ecclesiam, tunc, utpote iam Pontifici arrogatum, recte dicatur *Canon* ".

Sic in Const. *Officiorum*, de prohibitione et censura librorum, VIII Kal. Febr. 1897 edita a Leone XIII, coniunctim habentur *res fidei*, v. g. art. 1-4; *res morum*, v. g. in art. 9, 10; *res liturgicae*, v. g. in art. 18-20; *res hierarchicas,* v. g. in art. 23-37. Constitutio vero *In suprema*, de Missa pro populo, edita IV Id. Iunii 1882, *liturgiam* praecipue respicit. Decretum autem *Vigilanti* S. C. Concilii 25 Maii 1893, de turpi mercimonio stipendiarum Missarum, *mores* praesertim tuetur.

4. — Theologiae scientia dicit *propter quid:* Canonum dicit *quid* (S. Bonav.).

5. — Canones oriuntur ex lege naturali (id.), et positiva divina. Intellige: iura naturalia et divina referuntur ad ius canonicum, tamquam principia generaliora et superiora, quae legislator determinat et applicat ad casus particulares. Insuper mysteria fidei pertinent ad ius canonicum non proxime et directe, sed per modum fundamenti.

6. — *Lex aeterna*, ait Card. D'Annibale, Sum. Theol. Mor. I. 190, « est fons et origo universi iuris, nam ex ea profluit lex naturalis; a lege autem naturali initium et statum et normam capiunt omnes leges positivae. » — Unde toto coelo a veritate alieni existunt magistratus illi politici, qui in legibus conficiendis independenter agunt a superioribus praeceptis.

7. — **Notio Iuris.** — Ius derivatur a *iussu*, *iubeo*, *iubendo;* vel a *iusto*, quia iuberi nequit nisi iustum; vel a *iustitia;* vel vulgari sermone, a voce *diritto*, *derecho*, *droit*, latine *dirigere*, quia designat *rectam directionem*. Dicendum tamen quod *ius* sumptum pro iusto est obiectum iustitiae.

8. — Ius sumitur pro *lege*, *iurisprudentia*, *sententia*, *iudicio;* pro *loco in quo iudicium redditur;*

pro *re debita*, pro *titulo*, etc. — *Ius* vocatur ab Ulpiano: *Ars boni et aequi.* « Ius generale nomen est; Lex autem iuris est species. Ius autem est dictum, quia iustum est. Omne autem ius legibus et moribus constat ». (Cap. *Ius generale* 2. d. 1.).

9. — Hic tamen *ius communius sumitur pro legum collectione:* unde *iura* idem sunt ac *leges.* Sic dicitur: *Corpus Iuris Canonici,* etc.

10. — IUS *est medium per quod intendimus iustitiam in societate.* Ius importat quid *iustum* seu rectum secundum legem et rationem, et *potentiam ex Deo* in hominem derivatam.

11.— Pius IX, Syll. 59, 61, *damnavit sequentes propositiones: a)* « Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent. » *b)* « Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert. » — Unde reiiciendum IUS FACTORUM CONSUMMATORUM a liberalismi seu naturalismi et rationalismi sectatoribus excogitatum.

12. — **Divisio Iuris.** — IUS est: — I. DIVINUM vel HUMANUM. — II. IUS DIVINUM est *naturale* [1] vel *positivum.* — III. IUS DIVINUM POSITIVUM est *vetus* (Vetus Test.), vel *novum* (N. Testam.). — IV. IUS HUMANUM

[1] Ius seu lex naturalis est " ordinatio rationis, per sapientiam divinam facta, et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata, praecipiens ea, quae rectae rationi sunt consentanea, contraria prohibens, permittens indifferentia. — Dicendum ius naturale complecti omnia praecepta, seu principia moralia, quae evidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem morum, ita ut opposita moralem inordinationem seu malitiam evidenter contineant. " (Schmalz., Diss. Proem., n. 54 et 57). Unde in Decreto Gratiani: " Ius naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu na-

est *ecclesiasticum*, vel *civile*. [1] — V. IUS ECCLESIASTICUM seu canonicum dicitur etiam *pontificium*, *sacrum*, *divinum improprie* (non quod vere divinum sit, sed quia continet quaedam ex S. Scriptura excerpta, et in Conciliis repetita, vel quia Canones gratia Spiritus

turae, non constitutione aliqua habetur; ut viri et foeminae coniunctio, liberorum successio et educatio; communis omnium possessio, et omnium una libertas, acquisitio eorum, quae, coelo, terra, marique capiuntur; item depositae rei, vel commendatae pecuniae restitutio, violentiae per vim repulsio. § I. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam iniustum, sed naturale aequumque habetur „ (Cap. *Ius naturale* 7. d. 1).

[1] *De legis naturalis et humanae genuinis notionibus et relationibus, haec docuit Leo XIII in Encyclica " Libertas „, 20 Iunii 1888:* " Cur homini lex necessaria sit, in ipso eius libero arbitrio, scilicet in hoc, nostrae ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est caussa, tanquam in radice, quaerenda. Nihilque tam perversum praepósterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque praemiis poenisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. Talis est princeps omnium *lex naturalis,* quae scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio, recte facere iubens, et peccare vetans. Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subiectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et iura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique iura, item poenis prae-

Sancti dictati sunt, vel quia sunt conclusiones deductae ex principiis legis divinae. Cfr. Schmalz. Diss. Proem. n. 231. Ad illud autem cap. *Cum de diversis* 2, de privil. 6. in sexto: « Cum de diversis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apostolicam quasi ma-

miisque imperata sanciendi: quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturae lex sit ipsa *lex aeterna*, insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem*, eaque est ipsa aeterna ratio, creatoris universumque mundum gubernantis Dei. — Ad hanc agendi regulam peccandique frenos singularia quaedam praesidia, Dei beneficio, adiuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit divinae virtus *gratiae;* quae cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativae libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis nostrae auctore manat, a quo res omnes convenienter naturae suae moventur. Immo gratia divina, ut monet angelicus Doctor, ob hanc caussam quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores, vim, efficientiam singularum.

" Qua vero de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate coniunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in consociatis *lex humana* ad bonum commune civium promulgata. — Ex hominum legibus aliae in eo versantur quod est bonum malumve natura, atque alterum sequi praecipiunt, alterum fugere, adiuncta sanctione debita.. Sed istiusmodi decreta nequaquam ducunt ab ho-

trem: nos ad communem tam ipsorum, quam aliorum omnium commodum et profectum paterna sollicitudine intendentes, ut sit eis mora huiusmodi fructuosa, providimus, quod ibidem de cetero regatur, et *vigeat studium iuris divini et humani, canonici videlicet et*

minum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: sed potius ipsi hominum societati antecedunt, omninoque sunt a lege naturali, ac propterea a lege aeterna, repetenda. Iuris igitur naturalis praecepta, hominum comprehensa legibus, non vim solum habent legis humanae, sed praecipue illud multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturae et a lege aeterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes facere cives, communi disciplina adhibita, pravos et in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, aut saltem offensioni noxaeque ne sint civitati. — Alia vero civilis potestatis praescripta non ex naturali iure statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe natura cautum. Sic suam conferre operam cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura iubet: quantum operae, quo pacto, quibus in rebus, non natura sed hominum sapientia constituitur. Iamvero peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, lex humana proprii nominis continetur. Quae quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare iubet, deflectere prohibet: eademque quatenus pedisequa et consentiens est praescriptionibus naturae, ducit ad ea quae honesta sunt, a contrariis deterret. Ex quo intelligitur, omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et coniunctionis humanae. — Igitur in ho-

civilis »; respondendum cum doctissimo Wernz, I. 49: Ius ecclesiasticum dicitur « Ius *divinum,* et sensu stricto quidem, si ab ipso Deo immediate est *constitutum* aut ex institutione quadam divina *necessario deducitur;* sensu vero latiori, quatenus ab ecclesiastica potestate *divinitus* instituta, ipso Spiritu Sancto

minum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura; sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Eorum vero qui praesunt, non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie coniunctum; sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi iuris, contineatur. Sapientissime Augustinus: *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali (lege) nihil esse iustum atque legitimum quod non ex hac aeterna (lege) sibi homines derivarint.* Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula iustitiae esset, et homines a bono cui nata societas est, abduceret.

" Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summae cuidam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas iubentis, vetantis Dei. Atque hoc iustissimum in homines imperium Dei tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur, ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum est vera perfectio: supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est. „

cooperante, conditur praesertim secundum aliquam praeformationem vel *exemplum* quoddam veteris Testamenti vel ad perfectiorem determinationem alicuius iuris a Deo solummodo quoad *substantiam* et in genere, non quoad specialem quemdam modum, definiti v. g. lex de decimis ». [1]

13. — **Notio Iuris Canonici.** — IUS CANONICUM seu ECCLESIASTICUM est *complexio legum ab Ecclesia Christi per Episcopos, praesertim vero per Romanum Pontificem, sancitarum, quibus societatis christianae iura et officia determinantur, et fidelium actiones diriguntur ad finem Ecclesiae proprium*, i. e. ad vitam aeternam (Huguenin). Vel melius: *Complexus legum sive a Deo sive ab ecclesiastica potestate latarum, quibus constitutio atque regimen et disciplina Ecclesiae*

[1] Iuxta recentiores *ius* imprimis sumitur *obiective*, estque: *complexus plurium eiusdem speciei legum, seu legum quibus aliqua societas ordinatur*, et dicitur *ius praeceptivum;* vel *subiective*, estque: *potestas seu facultas alicuius rei faciendae, vel ab alio exigendae*, et vocatur *ius dominativum.* — Iustitia sic dicta est, quia ius sistit ac statuit. Diversitatem significationis *iuris*, imo abusum nominis *iuris*, explanat Angelicus 2. 2. q. 57. a. 1. ad 2. dicens: " Consuetum est quod nomina a sui prima impositione detorqueantur ad alia significanda; sicut nomen medicinae impositum est primo ad significandum remedium quod praestatur infirmo ad sanandum: deinde tractum est ad significandam artem qua hoc fit. Ita etiam hoc nomen *ius* primo impositum est ad significandum ipsam rem iustam; postmodum autem est derivatum ad artem qua cognoscitur quid sit iustum; et ulterius ad significandum locum in quo ius redditur, sicut dicitur aliquis comparere in iure; et ulterius dicitur etiam quod ius redditur ab eo ad cuius officium pertinet iustitiam facere, licet etiam id quod decernit, sit iniquum. „

Catholicae ordinantur (Wernz); seu: *Ius competens Ecclesiae ut societati perfectae* (Cavagnis). Ius *canonicum* et Ius *ecclesiasticum* promiscue adhiberi solent. *Ius ecclesiasticum* dividi solet in *publicum*, quatenus respicit publicum statum et regimen totius Ecclesiae; et *privatum*, quatenus de statu et regimine singulorum membrorum Ecclesiae agit. Nonnulli ius hoc *privatum ius canonicum* dicunt. [1]

14. — **Obiectum iuris canonici** sunt *regulae quibus vita Ecclesiae tamquam societas visibilis regitur*, seu actiones hominum baptizatorum quatenus ab externa potestate ecclesiastica ad iustitiam christianam dirigibiles existunt.

15. — **Necessitas Iuris Can.** — « Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quae enim a nobis res

[1] Cfr. Wernz I. 50, not. 25; et Cavagnis I. 24, ubi prudenter dicitur: " Quamvis ius ecclesiasticum publicum et privatum distinguantur, tamen sunt valde connexa etenim ius privatum supponit ius publicum; neque enim leges iustas cognoscimus, nisi competentiam legislatoris circa subiectum et obiectum potestatis dignoscamus. Hinc est et tractatores iuris privati, seu canonici, plura in mentem revocare praesertim de subiecto potestatis ecclesiasticae, et defendentes singula legum genera ab impugnationibus heterodoxorum aut neotericorum saepe in quaestionibus publici iuris circa competentiam Ecclesiae seu circa obiectum legislationis ingredi; hinc et nos in eo melius plures speciales quaestiones iuris publici prosequimur. Discrimen tamen est quod hi per accidens, et data occasione, haec exponunt; e contra in iure publico ex professo et ex ordine; hinc est etiam priorem disciplinam melius et communius dici ius canonicum, quam privatum, quia omnia comprehendit quae canone lata sunt ".

digne servabitur, si Decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur? », ait Coelestin. Papa (cap. *Nulli 4. d. 38*). — Unde, ait Pirhing, « quantumque labor hic sit difficultate ferreus, utilitate tamen est aureus. » [1]

16. — S. Antonin. dicit, leges canonicas esse *supra omnes humanas leges;* et Pignatellus docet, esse *indignum Theologi nomine, qui ius canonicum ignoret.*

17. — Imo, « legistam sine Canonibus imperfectum iudicem esse, et canonistam sine legibus nihil valere », ait De Luca.

18. — Omnes igitur *alumni Theologiam colentes debent tempestive Iuri canonico incumbere.* « Rem igitur necessariam agit, ait Canisius, Theologiae studiosus, cum et sacrorum Canonum cognitionem suae

[1] " Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt... Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas et Canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat: atque aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina. " (cap. *Ignorantia* 1. d. 38, e Conc. Tolet. IV). — Et Nicolaus I. (cap. *Si decreta* 2. d. 20) Photio scribebat: " Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi. Si vero habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi. " Pius IX in Encyc. *Inter multiplices* 21 Martii 1853, ad Episc. Galliarum, vult ut clerici in seminariis ita instituantur, ut " perfectam praecipue, solidamque theologicarum doctrinarum, ecclesiasticae historiae et sacrorum Canonum scientiam ex auctoribus ab hac Apostolica Sede probatis depromptam consequi valeant ". — Leo XIII in Encyc. *Quod multum* 22 Aug. 1886, ad Episc. Hungariae ait: " Ad eas humanitatis artes, quibus adolescens aetas informari solet, adiungendae disciplinae sacrae et canonicae, cauto ut earum doctrina rerum sana sit, usquequaque incorrupta,

professioni coniungit, eam aliquando in Ecclesiae usum et ornamentum traditurus. »

19. — Quapropter improbandi Clerici qui canonicam facultatem negligunt, et a fortiori qui sive in re canonica sive in sacra liturgia, etc. dubitantes de legitimitate alicuius usus vel opinionis, fugiunt occasiones veritatem addiscendi, praecipue per notitiam Decretorum recentiorum. Tales enim nullatenus dici possunt in bona fide, cum lucem timeant et nolint intelligere...[1] Id haud raro evenit in rebus liturgicis, quando quis admonitus, de aliquo novissimo decreto, contrario personali vel locali consuetudini, fugit ipsius decreti notitiam, quasi cogitans rem legitimari per voluntariam ignorantiam.

cum Ecclesiae documentis penitus consentiens „. Et in laudatoria Epist. *Doctoribus*, ad P. Marianum De Luca, 18 Oct. 1898, scribit: " Quid enim Ecclesiae sit iuris, quaeque potestas, hac maxime tempestate quum omnia transversum aguntur, penitus nosse, non solum ad clerum attinet, verum etiam ceterorum refert, ut, sanctissimis legibus perducti, propositum aeternae beatitatis finem recte assequi contendant. „ — Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 2. cap. 16, ubi de seminariis statuit: " Sacrorum canonum scientiae, attentis maxime praesentium temporum adiunctis, sedulam navabunt operam; ut ecclesiasticae potestatis independentiam et ambitum mentis oculo perspiciant, totius sacrae iurisprudentiae oeconomiam perpendant, iura ac leges Ecclesiae tueantur et apte interpretentur ac pro casibus occurrentibus probe adplicare sciant „.

[1] **Observantia Canonum.** — Minus negligens in observantia canonum erit qui gravissima haec monita ex sacris canonibus excerpta serio consideret, videlicet:

a) Nullam differentiam esse inter illa Decreta quae in codice canonum habentur, Sedis Apostolicae Praesulum, et ea, quae prae multitudine vix per singula voluminum cor-

20. — **Finis Iuris Can.** — Finis *proximus* Iuris Canonici est bonum spirituale Ecclesiae et fidelium, vel bonum vitae christianae in actibus externis relucens; *remotus* vero est beatitudo aeterna. Insuper: I. Veram

pora reperiuntur; cum omnia, et omnium decessorum suorum Decretalia constituta, atque Decretales epistolas, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter fore suscipendas et custodiendas (cap. *Si Romanorum* 1. d. 69).

b) Sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatae sint (cap. *Sic omnes* 2. d. 19).

c) Enimvero, quia in speculum et exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus praeesse voluit, proposita est, ab omnibus, quicquid statuit, quicquid ordinat, perpetuo, et irrefragabiliter observandum est (cap. *Enimvero* 4. d. 19).

d) Nulli fas est, vel velle vel posse transgredi Apostolicae Sedis praecepta, nec nostrae dispositionis ministerium, quod vestram sequi oportet charitatem. — Si ergo ruinae suae dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat; nec de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus a sancta et Apostolica Ecclesia, ac auctoritate sua, de inobedientia, atque praesumptione a quoquam esse non dubitatur: quia maioris excommunicationis deiectione est abiiciendus, cui sanctae Ecclesiae commissa fuerit disciplina, qui non solum praefatae sanctae Ecclesiae iussionibus parere debuit, sed etiam aliis, ne praeterirent, insinuare. Sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluit praeceptis Apostolicis obtemperare (cap. *Nulli fas est* 5. d. 19).

e) Quae ipsis Sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est, liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canon poenitentialis, Psal-

Ecclesiae constitutionem intelligere. — II. Ut facilius fideles a malo divertant, et ad vitam aeternam facilius perveniant. — III. Inimicorum Ecclesiae fallacias vitare, et Ecclesiasticam dignitatem tueri. — IV. Et hodie,

terium, Homiliae per circulum anni in Dominicis diebus, et singulis festivitatibus aptae. Ex quibus omnibus si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculosae sunt Evangelicae minae, quibus dicitur: *Si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt* (cap. *Quae ipsis* 5 d. 38).

f) Placuit, ut ordinandis Episcopis vel Clericis prius ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur; ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse poeniteat (cap. *Placuit* 7, d. 38).

g) Nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis a parvulis, vel minimis eruditis, si quid forte est utilitatis, aut salutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter vivit, et discere atque agere bona recusat, magis diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur: et potius infidelis, quam fidelis esse monstratur (Cap. *Nullus* 16. d. 38).

h) Quae ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur: nec ad privatum trahantur commodum, quae ad bonum sunt commune praefixa: sed manentibus terminis, quos constituerunt Patres. nemo iniuste usurpet alienum: sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit in latitudine se exerceat charitatis (cap. *Quae ad* 3. causa 25. q. 1).

i) Nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel Apostolicae Sedis decreta temerare: quia nos, qui potentissimi Sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis desides fuerimus inventi: quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Deus negligentiae Sacerdotum. Siquidem reatu maiori delinquit, qui potiori honore perfruitur:

fallacias etiam catholicorum liberalium, uti vocant, sive illorum qui veram iuris divini et humani notionem in multorum mentibus offuscarunt, omnibus patefacere, et e medio tollere. Nam eorum placita, *quibus nulla de-*

et graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium (cap. *Nulli fas sit* 4. causa 25. q. 1).

j) Violatores canonum voluntarii graviter a sanctis Patribus iudicantur: et a Sancto Spiritu (instinctu cuius ac dono dictati sunt) damnantur, quoniam blasphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi, sed libenter, ut praemissum est, aliquid aut proterve agunt, aut loqui praesumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim praesumptio manifeste unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum: quia, ut iam praelibatum est, contra eum agit, cuius nutu et gratia sancti canones editi sunt (cap. *Violatores* 5. causa 25. q. 1).

k) Prima salus est, rectae fidei regulam custodire, et a constitutis Patrum nullatenus deviare (cap. *Prima* 9. causa 25. q. 1).

l) Omnia decretalia, et cunctorum decessorum nostrorum constituta, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vobis, et ab omnibus Episcopis, ac cunctis generaliter Sacerdotibus custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit veniam sibi deinceps noverit denegari (cap. *Omnia* 12. causa. 25. q. 1).

m) Hac consona sanctis Patribus deffinitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus (cap. *Hac consona* 13. causa 25. q. 1).

n) Amputato totius usurpationis excessu, nullus debet praesumere quae sibi non videntur esse concessa. — Ea quae sunt ab Apostolis, eorumque successoribus instituta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur (cap. *Amputato* 11. causa 25. q 2).

terior pestis [1], ut legitur in Epist. S. C. Conc. ad Ordinar. Nannet. 27 Feb. 1875, seu *liberalismi pestis perniciosissima* (ita liberalismum vocavit Pius IX) totam fere christianam rempublicam acerrimo pulsat bello; ideoque valde necessaria est traditio notionum sanae iustitiae et legitimi iuris. [2]

[1] " Si cui phrasis isthaec (*quibus nulla deterior pestis*) parum arrideat quod nimis dura, meminisse dignetur, adprecatur, pestis proprium esse, corpora quibus per infortunium adhaereat, inficere. Neque in rerum natura deteriorem, magisque perniciosam inveniri pestem, quam quae praecaveri nequeat; quippe quae horrorifico morbi exuta aspectu, lenem induerit formam. Huic persimilem sese exhibere catholicum liberalem, nemini ambigere fas est. Fraus eiusque nequitia horroris expertes sunt, dum specie recti vestiuntur: malae cogitationes eiusque omni auctoritati divinae humanaeque rebellio *progressus* indumentis cooperiuntur; latrocinia ipsa et *despoliationes* nominibus appellantur novis, omnique turpitudine destitutis. Sub eiusmodi specie, et his comitatus illecebris hodiernus liberalismus animos inopinatos occupat, atque decipiendo corrumpit; fitque errorum omnium pessimus " (Ephemer. *Acta S. Sedis*, volum. 8, p. 614).

[2] De *Liberalismo* et *Liberalismi* gradibus agitur in Encyclica Leonis XIII *Libertas*, 20 Iunii 1888. Ex qua Conc. Plenar. Americae Latinae sequens fallaciarum Liberalismi compendium fecit art. 104-108: " Ex naturalismo omnia liberalismi placita derivantur. Revera, quo spectant in philosophia *Naturalistae* seu *Rationalistae*, eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. Liberalismi sectatores in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem: unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie libertatis ab obser-

21. — **Adminicula Iuris Can.** — I. HUMANIORES LITTERAE, quae mentem delectant studiosorum, et studia mirabiliter promovent, maioremque iuristis peritiam et externam auctoritatem praebent, nostris praesertim

vantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare.

" Pessimum *Liberalismi* genus et maxima libertatis perversitas est imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere, in publicis vel etiam in privatis domesticisque rebus. Huic accedit eorum disciplina, qui utique consentiunt subesse Deo oportere, sed leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse aiunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio.

" Huic tamquam generi subiecta est opinio duplex. Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia seiunctam et penitus et totam, ita ut in omni iure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione iuventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Igitur hoc perabsurdum admittunt, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat. Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam iuraque propria societatis perfectae eripiunt, nec eius esse, contendunt, facere leges, iudicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte ac voluntate subiectos. Et vim potestatemque civilis principatus usque eo exaggerant, ut, sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, Dei Ecclesiam imperio ac ditioni reipublicae subiiciant. Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa

temporibus. — II. Logica et metaphysica, imo tota Philosophia. — III. Ius gentium. — IV. Historia, per quam scire possumus quomodo maiores nostri leges observarunt, et quando quaque occasione legislatores ecclesiastici tales canones instituere. — V. Studium *AA. qui canonicam scientiam collustrarunt.* [1]

ratione, quae consistere cum veritate iustitiaque possit; nimirum ut, explorata spe magni alicuius boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod, salva officii sanctitate, potest. Eius vero rei iudicium non privatorum, sed ipsius Ecclesiae eiusque supremi Capitis plane est. Verum secus est, si de rebus ac doctrinis ea sententia intelligatur, quas demutatio morum ac fallax iudicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, iustitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae ésse iusserit, nihil est tam alienum, quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel iniustum dissimulanter ferat, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat „. — In epist. eiusdem Leonis XIII *In maximis*, 11 Febr. 1901, ad Episc. Prov. Westmonasteriensis, legitur: " Nimis est cognita pernicies, quae partim premit, partim impendet, ex opinionibus iis fallacissimis, quarum universum genus designari *Catholicismi Liberalis* appellatione solet „.

[1] Excellentia Iuris Ecclesiastici seu Canonici. — Ius Canonicum dignitate et usu omnes scientias naturales longe superat. — Ius Canonicum " non tamen est excellentius sacra Theologia „ (Reiffens.), " nam haec, ait Maschat (proleg. n. 11), ex obiecto suo est altissima et eminentissima scientia, ac sapientia iudicans de principiis cuiuscumque scientiae inferioris, an veritatibus divinis conformia sint: e contra Ius Canonicum vel est scientia subalternata sacrae Theologiae ex cuius fontibus sacri Canones desumpti sunt; vel est quaedam portio Theologiae. Moralis: ergo Ius Canonicum non praestat sacrae Theologiae. — Si tamen agatur de promo-

22. — **Notiores Canonistae**, inter alios, notantur Barbosa, Gonzales Tellez, Fagnanus, Giraldi, Reiffenstuel, Petra, De Luca, Bened. XIV, L. Ferraris, Berardus, Riganti, Lancellotti, Canisius, Gravina, Maschat, Pignatelli, Schmalzgrueber, Cavallari, Devoti, Ferrari, Soglia, Vecchiotti. AA. moderni, praecipue compendiorum institutionum Canonicarum, generatim non sequuntur antiquum ordinem seu Decretalium Gregorii IX, sed varia methodo difficilem Canonum scientiam explanant [1].

23. — **Fontes seu loci Iuris Can.** generaliori modo sunt: I. SCRIPTURA SACRA, debitis adhibitis cautelis in legibus veteris Test. — II. TRADITIONES sive divinae, sive humanae, et CONSUETUDO. — III. CONSTITUTIONES SUMMORUM PONTIFICUM. — IV. CONCILIA. — V. SANCTI ECCLESIAE PATRES. — VI. IUS NATURALE. — VII. IUS CIVILE PER CANONES RECEPTUM. Nam « sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuvantur » (Lucius III).

24. — Strictiori tamen modo, FONTES IURIS CANONICI SUNT: — I. CHRISTUS, tanquam *fons originarius* potestatis Pontificis Romani, seu *fons primarius essendi*

tione ad dignitates, v. g. ad episcopatum, Canonista in locis non suspectis de haeresi praeferendus est puro Theologo; in locis vero haeresi infectis Theologus puro Canonistae, ut docent Felin. Abbas, et alii. Melior erit, si rectam utriusque cognitionem habuerit. Hinc necessarium est, ut Canonista apprime imbutus sit sacra Theologia, ne in rebus divinis hallucinetur, sicut quosdam hallucinatos fuisse observarunt sapientissimi Theologi. „

[1] Tamen plures etiam ex modernis ordinem Decretalium iterum sequuntur. Utraque methodus sua habet commoda et incommoda.

iuris canonici. — II. PAPA, tanquam *fons constitutivus* et *causa efficiens* seu *causa proxima*, sive, ut alii dicunt, *fons secundarius essendi*. — III. COLLECTIO LEGUM ECCLESIASTICARUM, tamquam *fons cognoscendi*. — Addi iterum potest CONSUETUDO, quatenus debitis vestita conditionibus, ex auctoritate Pontificis Maximi, aliquibus legibus derogat vel ius quoddam inducit. — Ergo toto cordis affectu verboque et opere diligamus Christum, Papam filiali devotione veneremur, Leges Ecclesiae religiose servemus, ne in nobis vacuum sit et inane studium Iuris Canonici.

ART. II. **De Principiis Iuris.**

25. — **Ius divinum** in Gratiani decreto appellatur Fas, i. e. aequum et licitum sua natura. Ita can. 1. d. ubi legitur: « Omnes leges aut divinae sunt, aut humanae. Divinae natura, humanae moribus constant: ideoque hae discrepant, quoniam aliae aliis gentibus placent. § I. Fas, lex divina est: Ius, lex humana. Transire per agrum alienum fas est, ius non est » (Cap. *Omnes* 1. d. 1.). De quo canone ibid. scribit Gratianus: « Ex verbis huius auctoritatis evidenter datur intelligi, in quo differant inter se lex divina et humana, cum omne quod fas est, nomine divinae vel naturalis legis accipiatur: nomine vero legis humanae, mores ipso iure conscripti et traditi intelligantur, § I. Est autem ius generale nomen, multas sub se continens species ». — Remque illustrat S. Th. 22. q. 57. a. 1. ad 3 dicens: « Quia iustitia aequalitatem importat, Deo autem non possumus aequivalens recompensare, inde est quod iustum secundum perfectam rationem non possumus reddere Deo; et pro-

pter hoc non dicitur proprie ius lex divina, sed fas, quia videlicet sufficit Deo ut impleamus quod possumus. Iustitia tamen ad hoc tendit ut homo, quantum potest, Deo recompenset, totaliter animam ei subiiciens. »

26. — **Non est potestas, nisi a Deo** (Rom. 13). Unde *a*) « In temporali lege nihil est iustum quod non ex lege aeterna homines sibi derivaverint. » (S. Aug. l. 1 *de lib. arb.* c. 5). — *b*) « Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum iure divino, si quam Ecclesiae imponant iniuriam, aut iis quae sunt de religione, officiis contradicant, vel auctoritatem Iesu Christi in Pontifice maximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus: idque cum ipsius reipublicae iniuria coniunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione delinquitur. Rursus autem apparet quam sit illa seditionis iniusta criminatio: non enim abiicitur principi legumque latoribus obedientiae debita: sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis discreditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei iniuria feruntur, ideoque vacant iustitia, et quidvis potius sunt quam leges. Nostis, Venerabiles Fratres, hanc esse ipsissimam beati Pauli Apostoli doctrinam: qui cum scripsisset ad Titum, monendos christianos *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire,* illud statim adiungit, *ad omne opus bonum paratos esse:* quo palam fieret, si leges hominum contra sempiternam legem Dei quicquam statuant, rectum esse non parere. Similique ratione princeps Apostolorum iis qui libertatem praedicandi Evangelii sibi vellent eripere, forti atque excelso animo respondebat: *si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus,*

non loqui » (Leo XIII. Enc. *Sapientiae christianae*, 10 Ian. 1890)[1].

27. — Ergo illa merito dicitur bene ordinata Respublica, in qua cives magistratibus, magistratus legibus, et leges parent aeternae legi Dei: et in Republica atheorum et materialistarum, potius bruta vis quam verum ius regnare solet. « Principum autem et subditorum animi, mutuis officiis et iuribus, secundum catholicam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur. Sane Ecclesia subiectae multitudini apostolicum praeceptum iugiter inculcat: *Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Atque iterum *necessitate subditos* esse iubet *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; et omnibus debita* reddere, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem* (Rom. 13). Siquidem qui creavit et gubernat omnia, provida sua sapientiae disposuit, ut infima per media, media per summa ad suos quaeque fines perveniant » (Leo XIII. Enc. *Quod Apostolici,* 28 Dec. 1878).

[1] Et alibi: " Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et facere... Neque tamen est cur abiecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim, si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est " (Leo XIII, Enc. *Diuturnum*, 29 Iun. 1881).

28. — Ergo damnanda *indifferentia politica quoad cultum divinum,* a *liberalismi* sectatoribus hodie tam decantata. — Ergo damnandum principium *atheismi Statûs.* — Ergo damnandae constitutiones Statuum nullum ius divinum agnoscentes. « Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat... Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei Nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidpiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt... Civilem igitur societatem communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illo atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt » (Leo XIII. Enc. *Immortale Dei,* 1 Nov. 1885). Igitur indifferentismus civilis perabsurdum est deliramentum et pessima machinatio contra vel ipsam civilem conditionem. « Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas est ipsis ethnicis inaudita; quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa, non solum opinio deorum, sed religionis publicae necessitas, ut inveneri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur... Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa

naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona, quae comitantur vitae, a Deo accepimus, sic eandem ob causam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non iniuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere » (Leo XIII. Enc. *Humanum genus,* 20 April. 1884). — ERGO *merito damnatae (Syll. 3, 56) sequentes prop.: a)* « Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. » *b)* « Morum leges divina haud egent sanctione; minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant. »

29. — **Ex Iure naturali ope rationis effectum est Ius Gentium,** quod est: ipsum ius naturale non singulis hominibus, sed populis, gentibus, imperiis, eorumque principibus, accommodatum pro mutuo commercio, mutuisque imperiorum commodis (Ferrari); vel *complexio iurium et obligationum, quae inter diversas gentes quasi ab ipsa natura constituta sunt.* Unde de Iure Gentium in genere notat Angelicus 1. 2. q. 95. a. 4. ad 1: « Ius gentium est quidem aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationalis, in quantum derivatur a lege naturali per modum conclusionis, quae non est multum remota a principiis, unde de facili in huiusmodi homines consenserunt » [1].

30. — **Ex Gratiano ad Ius Gentium revocantur**

[1] Ius gentium, ut contradistinctum a iure naturali, et prout illud mere positivum et quidem mere humanum est, definiri potest, esse id, quod exigentibus necessitatibus et utilitatibus, suadentibus usu et moribus omnium aut fere omnium gentium, introductum est (Schmalz.: Diss. Proem. n. 132).

sedium hostilium seu vacantium occupatio, aedificatio, munitio; bella, captivitates, servitutes, postliminia, foedera, paces, induciae, legatorum non violandorum religio, et connubia inter alienigenas prohibita, scilicet inter christianum et gentilem, aut iudaeam, aut haereticam [1].

31. — **Ecclesia potuit quaedam veteris Legis Iudicialia praecepta suscitare,** modo non essent praefigurativa venturi Messiae; nam, adveniente sole veritatis, non potest amplius existere umbra et figura. Unde nonnulla ex illis praeceptis sub ipsa Lege evangelica conservata sunt, scilicet quaedam matrimonii impedimenta, decimae, ieiunia, etc. *Non vero*, ut ait S. Leo, *legalibus nos omnibus subiicimus; sed utilitatem continentiae quae Christi Evangelio servit, amplectimur.* Caietanus contra alios docet etiam nonnulla praecepta coeremonialia suscitari seu observari posse, dummodo non observarentur tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione [2].

[1] Textus sic iacet: " Ius gentium est sedium occupatio, aedificatio, munitio; bella, captivitates, servitutes, postlimina, foedera, paces, induciae, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita. § I. Hoc inde ius gentium appellatur, quia ea iure omnes fere gentes utuntur " (Cap. *Ius gentium* 9. d. 1).

[2] D. Thomas, 1. 2. q. 104. a. 3, mentem suam ita exponit: " Iudicialia praecepta non habuerunt perpetuam obligationem, sed sunt evacuata per adventum Christi; aliter tamen quam caeremonialia. Nam caeremonialia adeo sunt evacuata, ut non solum sint mortua, sed etiam mortifera observantibus post Christum maxime post Evangelium divulgatum. Praecepta autem iudicialia sunt quidem mortua, non habent vim obligandi, non tamen sunt mortifera: quia si quis princeps ordinaret in regno suo illa iudicialia obser-

32. — **Potestas ferendi leges competit** *soli auctoritati iurisdictionem habenti cum praeeminentia;* auctoritas autem non est *numeri et materialium virium summa,* ut volunt socialistae; sed imperium superiori competens (Cfr. *Syllab.* prop. 60).[1]

vari, non peccaret, nisi forte hoc modo observarentur vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris Legis institutione; talis enim intentio observandi esset mortifera. Et huius differentiae ratio potest accipi ex praemissis (art. praec.). Dictum est enim quod praecepta caeremonialia sunt figuralia primo et per se, tanquam instituta principaliter ad figuranda Christi mysteria ut futura; et ideo ipsa observatio eorum praeiudicat fidei veritati, secundum quam confitemur illa mysteria iam esse completa. Praecepta autem iudicialia non sunt instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum; et ideo, mutato statu illius populi, Christo iam veniente, iudicialia praecepta obligationem amiserunt; lex enim fuit paedagogus ducens ad Christum, ut dicitur Gal. III. Quia tamen huiusmodi iudicialia praecepta non ordinantur ad figurandum, sed ad aliquid faciendum, ipsa eorum observatio absolute non praeiudicat fidei veritati; sed intentio observandi tanquam ex obligatione legis praeiudicat veritati fidei: quia per hoc haberetur quod status prioris populi adhuc duraret, et quod Christus nondum venisset „.

[1] Varia ex Corpore Iuris Canonici de diversis legibus: *a)* In istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt: tamen cum fuerint institutae et firmatae, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas (cap. *In istis* 3. d. 4).

b) Moyses genti Hebraeae primus omnium divinas leges sacris literis explicavit. Phoroneus Rex Graecis primus leges iudiciaque constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Aegyptiis tradidit. Solon primus leges Atheniensibus dedit.

33. — **« Ius » dictum « novum »** (seu liberalismus), a multis hodie decantatum, nullo pacto potest aut poterit veram populorum prosperitatem promovere. Unde, restituendus salutaris religionis catholicae influxus in civitatum legislatione. « Permultis sane placuit (ait

Lycurgus primus Lacedaemoniis iura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regno, primus leges Romanas edidit. Deinde, cum populus seditiosos magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas, XII tabulis exposuerunt (cap. *Moyses* 1. d. 7).

c) Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est: cui quidem et exempla concordant: sed illa, quae tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate (cap. *Sana* 11. d. 9). — Quibus verbis addit Gratianus: " Cum ergo in naturali iure nihil aliud praecipiatur, quam quod Deus vult fieri; nihilque vetetur quam quod Deus prohibet fieri; denique cum in canonica scriptura nihil aliud, quam in divinis legibus inveniatur; divinae vero leges natura consistant, patet, quod quaecumque divinae voluntati, seu canonicae scripturae contraria probantur, eadem et naturali iuri inveniuntur adversa. Unde quaecumque divinae voluntati, seu canonicae scripturae, seu divinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale ius praeferri oportet. "

d) Non quod Imperatorum leges (quibus Ecclesia utitur contra haereticos, saepe contra tyrannos, atque contra pravos quosque defenditur) dicamus penitus renuendas, sed quod eas Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis decretis (quibus postponendae sunt) nullum posse inferre praeiudicium asseramus (cap. *Lege Imperatorum* 1. d. 10).

e) Certum est, hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre, et sacrosancta per eorum Praesules potius discere,

Leo XIII, *Enc. Immortale Dei*) civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant *ius*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. Sed quamtumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. »

34. — **Ecclesia est libera et perfecta societas** [1]. — Etenim est in se completa, habens in semetipsa media

quam docere; Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda iura praefigere, neque eius sanctionibus velle dominari, cuius clementiae Deus voluit tuae piae devotionis colla submittere: ne, dum mensura coelestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis (cap. *Certum*, 3. d. 10).

f) Constitutiones contra canones, et decreta Praesulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti (cap. *Constitutione* 4. d. 10).

g) Imperium vestrum suis publicae rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare quae Sacerdotibus Domini solum conveniunt (cap. *Imperium* 5. d. 10).

h) Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus vel iudiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur (Cap. *Canonum* 1. lib. 1, tit. 2).

i) Ne innitaris prudentiae tuae. Prudentiae suae innititur, qui ea, quae sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis praeponit (Cap. *Ne innitatis* 5. lib. 1. tit. 2).

[1] Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur

ad proprii finis assecutionem sufficientia. — Ergo, habet legiferam potestatem, seu ius strictum exigendi a suis membris quidquid necessarium est ad finem suum consequendum. — Ergo, cum finis Ecclesiae sit supernaturalis, et potestas eius suprema, sequitur nullam humanam potestatem Ecclesiae libertatem, iura, praerogativas, etc., impedire aut minuere posse. — Ergo, omnes qui baptismum susceperunt Ecclesiae subiiciuntur, etiamsi agatur de haereticis et schismaticis, qui sunt filii *rebelles*, quos Ecclesia compellere potest. Cfr. Epist. Pii VII *Etsi fraternitatis* 8 Oct. 1803.

35. — **Regimen Ecclesiae est monarchicum.** — Perfecta enim regiminis forma per se [1] est monarchia, quae

ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia „ (Leo XIII Enc. *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885).

[1] Dicitur *per se*, ne excludantur defectus et abusus qui etiam in civili monarchia facile haberi solent. Unde de regis institutione in veteri Lege scribit idem Angelicus, 1. 2. q. 105. a. 1. ad 2: " Regnum est optimum regimen populi, si non corrumpatur. Sed propter magnam potestatem quae regi conceditur, de facili regnum degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecte virtus eius cui talis potestas conceditur: quia *non est nisi virtuosi bene ferre bonas fortunas*, ut Philosophus dicit. Perfecta autem virtus in paucis invenitur; et praecipue Iudaei crudeles erant, et ad avaritiam proni; per quae vitia maxime homines in tyrannidem decidunt. Et ideo Dominus a principio eis regem non instituit cum plena potestate, sed iudicem et gubernatorem in eorum custodiam; sed postea regem ad petitionem populi

Dei absolutissimum providentis regimen imitatur. Unde Angelicus, c. Gentil. 4. 74: « Optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim et unitas subditorum est finis regiminis. Unitatis autem congruentior causa est unus, quam multi. » Et haec forma in Ecclesia viget, a Christo constituta.

36. — ERGO, ERRANT aliqui *Protestantes dicentes*, REGIMEN ECCLESIAE ESSE DEMOCRATICUM; ideoque errant dicentes cum Richerio, Christum contulisse supremam potestatem ecclesiasticam christiano populo immediate. Item FALSUM EST, REGIMEN ECCLESIAE ESSE ARISTOCRATICUM, ut alii ex Protestantibus contendunt. Nam ipsi Apostoli subiecti fuerunt Petro, ex Christi institutione. Insuper exercitium episcopalis auctoritatis a Rom. Pontifice pendet, et omnes Episcopi pasci de-

quasi indignatus concessit, ut patet per hoc quod dixit ad Samuel: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Instituit tamen a principio circa regem instituendum, primo quidem modum eligendi, in quo duo determinavit, ut scilicet in eius electione expectarent iudicium Domini, et non facerent regem alterius gentis: quia tales reges solent parum affici ad gentem cui praeficiuntur, et per consequens non curare de ea. Secundo ordinavit circa reges institutos, qualiter deberent se habere quantum ad seipsos, ut scilicet non multiplicarent currus et equos, neque uxores, neque etiam immensas divitias; quia ex cupiditate horum principes ad tyrannidem declinant, et iustitiam derelinquunt. Instituit etiam qualiter se deberent habere ad Deum; ut scilicet semper legerent, et cogitarent de lege Dei, et semper essent in Dei timore et obedientia. Instituit etiam qualiter se haberent ad subditos suos, ut scilicet non superbe eos contemnerent, aut opprimerent, neque etiam a iustitia declinarent „. Vid. alia infra n. 275.

bent a Petro. Igitur errarunt Gallicani dicentes Christum toti Collegio Apostolorum supremam potestatem ecclesiasticam immediate contulisse. Uterque error damnatur hisce verbis Conc. Vatican., Const. *Pastor æternus* (in princ.): « Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur; Christus, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret ». Et quoniam « uni Simoni Petro contulit Iesus, post suam resurrectionem, summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: pasce oves meas* » (ibid. cap. 1); errant qui dicunt « beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse » (Ibid.) [1].

[1] Ad devitandas dissensiones et falsas interpretationes circa notionem *popularis beneficentiae,* quae appellatione *Democratiae Christianae* etiam distingui solet, prae oculis habeatur Leonis XIII Encyclica *Graves de communi,* 18 Ian. 1901, ex qua sequentia excerpere liceat: " Sic igitur, Ecclesiae auspiciis, quaedam inter catholicos tum coniunctio actionis tum institutorum providentia inita est in praesidium plebis, tam saepe non minus insidiis et periculis quam inopia et laboribus circumventae. Quae popularis beneficentiae ratio nullâ quidem propria appellatione initio distingui consuevit: *socialismi christiani* nomen a nonnullis invectum et derivata

37. — *Cum autem in monarchia perfecta omnes subiiciantur uni*, sequitur omnes fideles, sive clericos sive laicos, sive Episcopos sive sacerdotes, tum separatim tum *collective* sumptos, subiici UNI CHRISTI VICARIO, ROMANO PONTIFICI, universi orbis christiani

ab eo haud immerito obsoleverunt. Eam deinde pluribus iure nominare placuit *actionem christianam popularem*. Est etiam ubi, qui tali rei dant operam, *sociales christiani* vocantur: alibi vero ipsa vocatur *democratia christiana*, ac *democratici christiani* qui eidem dediti; contra eam quam socialistae contendunt *democratiam socialem*. — Iamvero e binis rei significandae modis postremo loco allatis, si non adeo primus *sociales christiani*, alter certe, *democratia christiana*, apud bonos plures offensionem habet, quippe cui ambiguum quiddam et periculosum adhaerescere existiment. Ab hac enim appellatione metuunt, plus unâ de causa: videlicet, ne quo obtecto studio popularis civitas foveatur, vel ceteris politicis formis praeoptetur; ne ad plebis commoda, ceteris tamquam semotis rei publicae ordinibus, christianae religionis virtus coangustari videatur: ne denique sub fucato nomine quoddam lateat propositum legitimi cuiusvis imperii, civilis, sacri, detrectandi. — Qua de re quum vulgo iam nimis et nonnunquam acriter disceptetur, monet conscientia officii ut controversiae modum imponamus, definientes quidnam sit a catholicis in hac re sentiendum: praetera quaedam praescribere consilium est, quo amplior fiat ipsorum actio, multoque salubrior civitati eveniat.

" Quid *democratia socialis* velit, quid velle *christianam* oporteat, incertum plane esse nequit. Altera enim, plus minusve intemperanter eam libeat profiteri, usque eo pravitatis a multis compellitur, nihil ut quidquam supra humana reputet; corporis bona atque externa consectetur, in eisque captandis fruendis hominis beatitatem constituat. Hinc imperium penes plebem in civitate velint esse, ut, sublatis ordinum gradibus aequatisque civibus, ad bonorum etiam inter eos

Duci, Patri et Legislatori. Ergo sola auctoritas apostolica requiritur et sufficit ad sanctionem legum et canonum Ecclesiae. Unde Conc. Vaticanum, Const. *Pastor æternus* cap. 3, anathematizavit dicentes: « Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspe-

aequalitatem sit gressus: hinc ius dominii delendum: et quidquid fortunarum est singulis, ipsaque instrumenta vitae, communia habenda. At vero democratia christiana, eo nimirum quod christiana dicitur, suo veluti fundamento, positis a divina fide principiis niti debet, infimorum sic prospiciens utilitatibus, ut animos ad sempiterna factos convenienter perficiat. Proinde nihil sit illi iustitia sanctius; ius potiundi possidendi iubeat esse integrum; dispares tueatur ordines, sane proprios bene constitutae civitatis; eam demum humano convictui velit formam atque indolem esse, qualem Deus auctor indidit. Liquet igitur *democratiae socialis* et *christianae* communionem esse nullam: eae nempe inter se differunt tantum, quantum socialismi secta et professio christianae legis.

« Nefas autem sit christianae democratiae appelationem ad politica detorqueri. Quamquam enim *democratia*, ex ipsa notatione nominis usuque philosophorum, regimen indicat populare; attamen in re presenti sic usurpanda est, ut, omni politica notione detracta, aliud nihil significatum praeferat, nisi hanc ipsam beneficam in populum actionem christianam. Nam naturae et evangelii praecepta quia suopte iure humanos casus excedunt, ea necesse est ex nullo civilis regiminis modo pendere; sed convenire cum quovis posse, modo ne honestati et iustitiae repugnet. Sunt ipsa igitur manentque a partium studiis variisque eventibus plane aliena: ut in qualibet demum rei publicae constitutione, possint cives ac debeant iisdem stare praeceptis, quibus iubentur Deum super omnia, proximos sicut se diligere. Haec perpetua Ecclesiae disciplina fuit; hac usi romani Pontifices cum civitatibus egere semper, quocumque

ctionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tan-

illae administrationis genere tenerentur. Quae quum sint ita, catholicorum mens atque actio, quae bono proletariorum promovendo studet, eo profecto spectare nequaquam potest, ut aliud prae alio regimen civitatis adamet atque invehat.

" Non dissimili modo a democratia christiana removendum est alterum illud offensionis caput: quod nimirum in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet. ut superiores praeterire videatur; quorum tamen non minor est usus ad conservationem perfectionemque civitatis. Praecavet id christiana, quam nuper diximus, caritatis lex. Haec ad omnes omnino cuiusvis gradus homines patet complectendos, utpote unius eiusdemque familiae, eodem benignissimo editos Patre et redemptos Servatore, eamdemque in hereditatem vocatos aeternam. Scilicet, quae est doctrina et admonitio Apostoli. *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Quare propter nativam plebis cum ordinibus ceteris coniunctionem, eamque arctiorem ex christiana fraternitate, in eosdem certe influit quantacumque plebi adiutandae diligentia impenditur; eo vel magis quia ad exitum rei secundum plane decet ac necesse est ipsos in partem operae advocari, quod infra aperiemus.

" Longe pariter absit, ut appellatione democratiae christianae propositum subdatur omnis abiiciendae obedientiae eosque aversandi qui legitime praesunt. Revereri eos qui pro suo quisque gradu in civitate praesunt, eisdemque iuste iubentibus obtemperare, lex aeque naturalis et christiana

tum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles ».

38. — CONCLUDENDUM: Regimen Ecclesiae, ex Primatu et Hierarchia constans, est *perfectissima monar-*

praecipit. Quod quidem ut homine eodemque christiano sit dignum, ex animo et officio praestari oportet, scilicet *propter conscientiam*, quemadmodum ipse monuit Apostolus, quum illud edixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Abhorret autem a professione christianae vitae, ut quis nolit iis subesse et parere, qui cum potestate in Ecclesia antecedunt: Episcopis in primis, quos, integrâ Pontificis romani in universos auctoritate, *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Iam qui secus sentiat aut faciat, is enimvero gravissimum eiusdem Apostoli praeceptum oblitus convincitur: *Obedite praepositis vestris. et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quae dicta permagni interest ut fideles universi alte sibi defigant in animis atque in omni vitae consuetudine perficere studeant: eademque sacrorum ministri diligentissime reputantes, non hortatione solum, sed maxime exemplo, ceteris persuadere ne intermittant...

" De officiis virtutum et religionis modo Nos mentionem consulto iniecimus. Quorumdam enim opinio est, quae in vulgus manat, *quaestionem socialem*, quam aiunt, *oeconomicam* esse tantummodo: quum contra verissimum sit, eam moralem in primis et religiosam esse, ob eamdemque rem ex lege morum potissime et religionis iudicio dirimendam...

" Id plane est causae, cur catholicos homines inire coetus ad meliora plebi paranda, aliaque similiter instituta invehere Nos nunquam hortati sumus, quin pariter moneremus, ut haec religione auspice fierent eâque adiutrice et comite. „

chia: habet bona aristocratiae, in quantum Episcopi regimini Ecclesiae participant (cum subiectione totali Romano Pont.): et *commoda democratiae,* in quantum fideles habent easdem regulas fidei et morum, etc. — Ergo Ecclesia est perfectissima societas, continens *eminenter* perfectiones omnium societatum.

Art. III. De Regulis Iuris.

39. — **Regula Iuris** est sententia quae ius praeexistens summarie refert, seu sententia *quae rem, quae est, breviter enarrat* (ex Digest.). — I. Est *authentica,* si legislatoris auctoritate nititur; *non authentica,* seu *doctrinalis,* si a Doctoribus privatis, ad instar axiomatis, inventa est. Doctrinalis vocatur etiam *brocardica.* — II. Regula iuris unicâ sententiâ colligit ius ex pluribus casibus similibus; admittit fallentias seu exceptiones; exsurgit ex iure; et eius usus prudentiam exigit et ordinem. Ex Digestis « non ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est regula, fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, et, ut ait Sabinus, quasi causae cognitio est, quae simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium. » — III. *Regulae authenticae* 99 numerantur, scilicet 11 in fine Decretalium Gregorii IX et 88 in fine Sexti Decretalium. Istae 99 regulae (cum brevi commentario) habentur infra n. 40-138. - IV. Regulae *Digestorum* 211 numerantur, quae regulae non raro valde utiles existunt Canonistis: sed huiusmodi regulae, sicut omnes aliae regulae mere doctrinales, non praevalent contra regulas canonicas seu authenticas.

§ 1. Regulae authenticae ex Decretalibus antiquis.

(XI numerantur, in tit. 41, l. 5, seu in fine Decret. Greg. IX).

40. — I. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* — 1. Haec Regula, S. Chrysostomo tributa, valet pro obligationibus temporalibus a voluntate contrahentium dependentibus. — 2. Inferior non potest dispensare a lege superioris. — 3. Vovens non potest per seipsum a voto solvi, quia haec regula non valet pro iis quae sunt iuris divini. — Cfr. *Th. Mor.*, ubi *de Legibus.*

41. — II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent.* — 1. Valet in actibus indifferentibus et ex genere suo permissis, et in iis quae sunt securiora; secus in actionibus manifeste vel ex genere suo malis. — 2. Unde non teneris, imo nec prudenter potes iudicare, bono animo esse facta furta, stuprum, etc. — 3. In poenis benignior interpretatio est facienda. — 4. Non est contra charitatem prudens timor (seu potius merae cautelae adhibitae), v. g. ne quis ignotus a te receptus aliquid surripiat, si pretiosiora non claudas. — Ergo, *nolite iudicare* (intellige: temere), *et non iudicabimini.*

42.— III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* — 1. Triplex est veritas: *Vitae*, seu integritas et honestas vitae, ac proinde conformitas vitae legibus et praeceptis; *Iustitiae*, seu administratio eiusdem iuxta leges; *Disciplinae*, Praelatis propria, qua se conformant regulis Instituti. — 2. Unde veritas hic intelligitur de veritate vitae, cum potius permittendum sit scandalum passivum, quam facere aut omittere quae absque peccato fieri aut omitti non possint. — 3. Ceterum, circa obligationem vitandi scandala, v. g. per mitigationem rigoris in puniendo, omissionem cfr. *Theol. Moralem.*

43. — IV. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* — 1. Valet in lege positiva, praesertim humana. — 2. Secus, si adesset contemptus Ecclesiae, aut ageretur de lege naturali, aut de malo totius communitatis vitando, v. g. miles non deserendo stationem ob mortis periculum. — Cfr. *Theol. Moral.*

44. — V. *Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.* — 1. Valet pro iis quae de iure sunt *irrita*, ut v. g. matrimonium clandestinum contra Tridentinam Syn. celebratum, aut metu mortis initum; vel *irritanda*, ut contractus rescindibiles ob metum gravem. — 2. Non valet quoad metum gravem ab extrinseco iuste incussum; neque in rebus quae fieri prohibentur, sed facta tenent. Sic annullari nequit, v. g. matrimonium in statu peccati mortalis celebratum. Licitus est dolus bonus et iustus, seu pia et astuta machinatio ad propria vel aliena iura tuenda vel recuperanda. — Cfr. *Theol. Moral.*, ubi *de vi*, seu *metu.*

45. — VI. *In ipso causae initio non est a quaestionibus (seu tormentis et torturis) inchoandum,* — 1. Valet si non habeatur semiplena probatio. — 2. Reus tamen suspectus de fuga, incarcerari potest ab initio. — 3. Tortura generatim non amplius existit, et Ecclesiae debetur moderatio et mansuetudo iudicialium morum in praecipuis Orbis nationibus.

46. — VII. *Quidquid in sacratis Deo rebus et Episcopis iniuste agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent.* — Vide *Theol. Moral.*, ubi de *Sacrilegio.*

47. — VIII. *Qui ex timore facit praeceptum, aliter quam debeat facit; et ideo iam non facit* — 1. Intellige de timore serviliter servili, seu praecise humano et mundano. — 2. Haec materia theologica potius quam iu-

ridica est. Etenim in foro externo quod de intrinsecis non iudicat, ex tali timore faciens evadit poenas transgressoribus indictas.

48. — IX. *Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus.* — Intellige ratione finis (quia unum mortale peccatum impedit gratiam et vitam aeternam); secus ratione malitiae et poenae.

49. — X. *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit.* — 1. Valet regula contra ignorantiam vincibilem et incuriam Praelatorum. — 2. Non valet contra ignorantiam invincibilem et inefficacem sollicitudinem Pastoris qui pro viribus curat reos corrigere, incorrigibilesque a ceteris separare, uti tenetur.

50. — XI. *Indignum est, et a Romanae Ecclesiae consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.* — 1. Valet de homagio stricte tali, seu iuramento fidelitatis a vassallis praestari solitum, cum sit simonia; quoniam sponderetur praestatio temporalium pro spiritualibus. — 2. Non valet de homagio improprie tali, seu iuramento fidelitatis, obedientiae et reverentiae, quod Episcopi et alii Praelati praestant Sedi Apostolicae.

§ II. Regulae authenticae ex Sexto Decretalium

(88 numerantur, et a Bonifacio VIII iuri canonico, in fine Sexti Decretalium, insertae fuere anno 1298).

Decas I.

51. — I. *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine canonica institutione obtineri.* — 1. Valet de beneficio in titulum obtento. — 2. Non valet in beneficio

obtento iure proprietatis et administrationis, et quoad proventus ecclesiasticos ex certa causa acquisitos etiam per praescriptionem, et quando Papa dispensat circa requisita ad canonicam institutionem.

52. — II. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* — Unde correctum est ius civile quod ab initio tantum requirebat bonam fidem. — Cfr. *Theol. Moral.*, ubi *de restitutione.*

53. — III. *Sine possessione praescriptio non procedit.* — 1. Possessio debet esse simul *naturalis*, seu facti, et *civilis,* seu iuris, si agatur de corporalibus. — 2. Pro incorporalibus, seu iuribus, quorum est capax possessor, requiritur quasi-possessio. Hinc laicus utpote incapax possidendi spiritualia, praescribere nequit ius eligendi, instituendi, confirmandi clericos; bene vero ius patronatus seu praesentandi, ad quod laici generaliter a iure habilitati sunt.

54. IV. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* — Intellige, realiter, seu in effectu, si adest facultas; vel in proposito, seu affectu. si aliter fieri nequeat.

55. — V. *Peccati venia non datur nisi correcto.* — Intellige 1. Culpae sive peccati venia non conceditur nisi poenitenti sive contrito. — 2. In temporalibus saepe poena dissimulatur, ad peiora vitanda.

56. — VI. *Nemo potest ad impossibile obligari.* — Per *impossibile* hic etiam intelligitur impossibile vel de iure, seu quae fieri nequeunt absque peccato, ut fornicatio, « nam quae contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est » (l. 15 *de condit. institut.*); vel ex natura, ut hominem volare; vel de facto, ut a mendico dari mille aureos.

57. — VII. *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.* — Etenim, ex reg. 196 ff.:

« Privilegia quaedam causae (id est, rei) sunt, quaedam personae: et ideo quaedam ad haeredem transmittuntur, quae causae sunt; quae personae sunt, ad haeredem non transeunt. »

58. — VIII. *Semel malus, semper praesumitur malus.* — 1. Valet in eodem genere delicti: sic semel periurus, semper praesumitur talis, et non amplius admittitur ut testis. — 2. Non valet in aliis delictis: sic periurus non praesumitur homicida; neque si de vera emendatione sufficienter constet. — 3. Nota quod emendatio est facti, ac proinde non praesumitur, sed contrariis actibus probari debet. — 4. Si delictum non praecedat, quilibet praesumitur bonus, donec probetur malus: sic falsarius a falsificatione tantùm talis praesumitur, non quoad anteacta.

59. — IX. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* — 1. Ratum habere nihil aliud est quam confirmare, approbare et suum facere quod per alium absque mandato nostro, seu non per procuratorem nostrum nostro nomine factum est.— 2. Ratihabitio id operatur, ut ratificans per fictionem iuris censeatur auctor illius actus, quem suo nomine factum ratificavit, ac proinde ex eo obligationem contrahat. Hinc, approbandò homicidium factum peccas, sed poenas Iuris non incurris, si tuo nomine non fuit factum. — 3. Attamen possum consentire in quibusdam meo nomine non factis, quae a solo meo consensu et potestate dependent, v. g., in venditione rei meae, non meo nomine facta, ut pretium ab emptore habeam, quia aliter amittam rem et pretium.

60. — X. *Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari.* — Sed quatuor requiruntur ut valeat, 1. ut ratihabitio sit proprie talis, seu de re vere nomine ratihabentis gesta; 2. ut res potuerit

mandari a ratihabente, eo tempore quo facta est; 3. ut tempore ratihabitionis, res adhuc sit integra, id est, omnia adhuc in eodem statu permaneant, in quo fuere tempore quo actus nomine alterius fuit gestus, ne ratihabitio fiat contra ius quaesitum tertii; 4. ut actus ab initio de iure non fuerit invalidus ex defectu conditionis a mea potestate non dependentis. — Ergo regula non valet quando deest aliquod ex dictis, v. g. quando ratihabens naturâ impeditus fuit ad dandum mandatum, ut infans, amens. Neque valet cum mandatum vel auctoritas per modum formae requiratur. Neque quoad irregularitatem. Neque si ratihabitio sit in praeiudicium et contra ius quaesitum tertii.

Decas II.

61. — XI. *Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori.* — 1. Per τὸ *partium iura*, intelliguntur probationes et allegationes. Tunc « favorabiliores rei potius quam actoris habentur », ex Reg. 125. — 2. Regula non valet si actor prosequatur causam favorabilem, puta pro libertate, matrimonio, dote aut testamento. Neque in causa pia ab actore defensa (quia est favorabilis), neque si actor sit in possessione. — Unde versus:

" *Stat testamentum, libertas, coniugium, dos:*
" *Si sint aequales, qui producuntur utrinque* ".

62. — XII. *In iudiciis non est acceptio personarum habenda.* — 1. Per τὸ *in iudiciis* intelligitur de iustitia commutativa et distributiva a iudice servanda. — 2. Non est contra hanc regulam dispositio Iuris qua in poenis infligendis habeatur respectus ad personas dignitate, libertate, vel alia qualitate praeditas: neque facultas

principis prudenter mitigandi vel remittendi poenam a iudice inferiore impositam.

63. — XIII. *Ignorantia facti, non iuris, excusat.* — 1. *Ignorantia facti* adest quando quis ignorat aliquid esse factum vel omissum, quamvis legem sciat, v. g. minorem esse cum quo contrahit. *Ignorantia iuris* adest cum quis leges communes ignorat. — 2. Unde, in foro externo, *ignorantia facti* (nisi factum notorium sit in vicinia, vel ignorantia sit improbabilis et culpabilis) *excusat: ignorantia vero iuris quod scire quis debuit, non excusat* agentem; excipe, quoad dispendia *seu* mala vitanda tantum personas in quibus talis ignorantia iuris toleratur, ut milites, rustici, pueri, feminae.

64. — XIV. *Cum quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiae causam censetur habere.* — 1. Haec regula praecedentem explicat. — 2. Unde qui in ius alterius sive universale sive particulare succedit, invincibiliter censetur ignorare gesta antecessoris, consequenter nec in culpa nec in mora est solvendi (vel restituendi) debita per antecessorem occulte contracta, donec a petente sufficienter probentur. — 3. Regula valet pro his qui conveniuntur tantum, non pro his qui agunt; nam qui agit, seu actionem instituit, debet esse certus de facto suo.

65. — XV. *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* — 1. Per *τὸ odia*, hic intelliguntur poenae, obligationes, privilegia et dispensationes quae contrariantur iuri communi (ista vocantur exorbitantia) et tertii, nec non privilegia ambitiosa in beneficiis. — 2. Per *τὸ favores*, intelliguntur gratiae sive concessiones benevolae quae nulli nocent, nisi concedenti. — 3. Sic in odiosis, nomine populi, non veniunt clerici; secus in favorabilibus. — 4. Regula circa exorbitantia contra ius com-

mune ac consequenter circa odiosa, non valet si favor datus est pro utilitate publica, vel motu proprio principis (quia tunc est eius genuinum beneplacitum); neque quando gratia conceditur favore cultus divini, religionis, causae piae, et salutis animarum; neque si favoris extensio requiratur ad vitandum absurdum, v. g., quia alias durius ageretur cum ecclesiasticis. — 5. *Attende ergo* an leges *principaliter* in odium et poenam tendant; an vero *principaliter* in favorem. Videas etiam an lex sit partim favorabilis, et partim odiosa : et regulam rite applica.

66. — XVI. *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.* — *Decet* idem est ac *valde conveniens est* ut gratias concessas neque princeps concedens, neque eius successor auferat, sine iusta eaque gravi causa.

67. — XVII. *Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum.* — Intellige : ab *inferiore* (seu ab eo qui non est supremus legislator) non possunt auferri gratiae a iure concessae, v. g., tempora dilationum, appellationum, etc. At ipse legislator, vel eius successor, beneficium tollere vel restringere potest.

68. — XVIII. *Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit.* — Actus qui ab initio fuit de iure invalidus, *solo tempore* non convalescit. Secussi illi adveniant necessària ad valorem, vel si agatur de *legitima* praescriptione.

69. — XIX. *Non est sine culpa qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.* — Per *τὸ rei*, hic intelliguntur etiam officia, negotia, facta, acta, imperitia aut inhabilitas ad rem aliquam, etc.... Sic non excusatur v. g., clericus qui exercendo chirurgiam, aliquem fortuito occidat, etc. etc.; quia qui sic agit, illicite agit, et poenam meretur.

70. — XX. *Nullus pluribus uti defensionibus* (seu

exceptionibus) prohibetur. — 1. Intellige de solo reo, non autem de actore. Sic licet reo pluribus uti defensionibus, sed *successive*, et *nisi lege prohibeatur*, v. g., si in tali re convictus de mendacio non amplius auditur. — 2. Nota quod *reus appellans fit actor*, nec proinde tunc fruitur beneficio regulae.

Decas III.

71. — XXI. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.* — Valet v. g. in praelato electo, in professione religiosa, in matrimonio. etc., uno verbo in omnibus in quibus ius non admittit poenitentiam et mutationem. Secus in aliis quae mutationem admittunt ex causa superveniente, et in omnibus, in quibus ius admittit poenitentiam et mutationem, ut in testamentis, appellationibus, etc.: sic confessarius potest ex nova causa removeri ab officio, testator mutare ultimam voluntatem, etc.

72. — XXII. *Non debet aliquis alterius odio praegravari.*— 1. Sic, v. g. propter crimen patris non excommunicatur filius. — 2. Regula fallit quando adest iusta causa ob enormitatem criminis, vel ob bonum publicum. Sic, v. g., filii extra matrimonium nati illegitimitate notantur: in generali interdicto innocentes gravantur. — 3. Nota quod innocentes tunc non puniuntur poena animae nociva: unde non est proprie poena, sed tribulatio quae fit ipsis satisfactoria, medicinalis, vel futurae remunerationis causa.

73. — XXIII. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*— Intellige, nemo puniendus pro factis quae, in ipso, culpa et dolo vacant: nisi adsit causa boni communis, quo in casu, adest potius gravatio

quam poena. Sic maritus corruptae fit irregularis; dominus tenetur de delicto servi, etc.

74. — XXIV. *Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.* — Intellige modo agatur de iis *in quibus iudex seu superior habet potestatem.* Secus, illicitum est obedire iudici malum imperanti.

75. — XXV. *Mora sua cuilibet est nociva.* — Unde morosus tenetur de damnis et incommodis, nisi ius permittat morae purgationem (per quam debitor demonstret inculpabilitatem morae) et poenae evitationem, aut creditor non acceptaverit solutionem.

76. — XXVI. *Ea quae fiunt a iudice, si ad eius non spectant iudicium, viribus non subsistunt.* — 1. Unde etsi talis iudex bonum statuat, nulliter agit, si excedat limites suae potestatis. Sic invalide laicus favorabiliter disponeret de clericis. — 2. Excipe si iura et facta sint recepta et canonizata a iure pontificio. Item, si agatur de dependentibus a potestate Ordinis: sic Episcopus valide consecrat ecclesiam alienam.

77. — XXVII. *Scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus.* —Valet pro iuribus privatis, quibus aliquis cedere potest. Secus pro iure publico, aut pro prohibitis iure divino. Sic clericus nequit consentire in violationem sui fori, neque coniux in adulterium coniugis.

78. — XXVIII. *Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* — Quia sunt odiosa, ut dictum est reg. XV. Unde regula sic intelligenda: « Quae iuri communi ex parte vel ex toto adversantur (ut leges, privilegia, etc.), ad consequentiam sive ad alios casus et personas non expressas non sunt extendenda. » Sic privilegium praesentandi, laico concessum, non debet extendi ad ius instituendi, eligendi, iudicandi de spiritualibus. (Cfr. reg. XV).

79. — XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* — Si omnes ut collegium, tangat, debet approbari a maiori parte in capitulo. Si omnes ut singulas personas, est approbandum a singulis.

80. — XXX. *In obscuris minimum est sequendum.*— 1. Per *τὸ minimum*, intellige, quod minus obligat vel gravat sequendum est *in quantitatibus* (id est, minima obligatio, minima poena, minima mensura). — 2. Non valet regula *in speciebus et artefactis*, praesertim si electio sit penes creditorem: tunc enim tenendum *mediocre;* unde si quis legat unam ex tribus lanceis, mediocris danda est. Neque in homicidio a pluribus commisso, quamvis ignoratur quis lethaliter vulneravit; tunc enim omnes puniendi tamquam homicidae.

Decas IV.

81. — XXXI. *Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* — 1. Sic non teneris certiorare debitorem de die solutionis, ubi hic in contractu est appositus. — 2. Praesumitur certitudo de eo quod publice notum est. — 3. Attamen qui certus est ut homo, saepe certiorari debet ut iudex, vel ad maiorem cautelam, sive ex dispositione iuris pro trina monitione, etc.

82. — XXXII. *Non licet actori quod reo licitum non existit.* — 1. Etenim ex n. 125 ff. de Reg. Iur.: « favorabiliores rei potius quam actores habentur ». — 2. Sic reo plura conceduntur quam actori, ut maiores dilationes. Item, appellatio negata reo, etiam negatur actori. Vid. reg. XI.

83. — XXXIII. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum (seu iniuriam).* — Sic electores nequeunt mutare voluntatem contra ius electi: ven-

ditor in praeiudicium emptoris, quia haec essent contra ius alteri iam quaesitum, etc. — Cfr. reg. XXI.

84. — XXXIV. *Generi per speciem derogatur :* iuxta illud: speciale mandatum derogat generali. — 1. *Genus* apud iuristas est quod plura sub se continet, sive sint vere species philosophicae, sive individua, sive aliae res sub tali genere comprehensae. Sic homo in sensu iuridico, est genus quia habet plura individua, etc. — 2. Non valet regula quando per genus iam quaesitum est ius tertio. — 3. Species non derogat generi, nisi in eo in quo generi contraria est. — *Nota :* Concessio generalis non valet pro rebus quae speciali mentione opus habent. Sic filius cui conceditur donare, non potest donare mortis causa.

85. — XXXV. *Plus semper in se continet quod est minus.* — 1. Valet in *quantitatibus :* sic tres includit duo. — 2. Non valet in *qualitatibus disparatis :* sic, ex eo quod sis bonus theologus non sequitur te esse bonum medicum; neque in mandatis, ne plus aut minus fiat a mandatario; neque in casu specialis dispositionis iuris. Regula non procedit si *negative :* sic ex eo quod non debeo decem, non sequitur me non debere unum.

86.— XXXVI. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* — Sic fur ea quae ablata alteri donavit, iudicatur adhuc possidere, et contra illum procedi potest. Ergo « fraus et dolus nulli patrocinari debet. »

87.— XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari.* — 1. Valet pro iis quae divisionem admittunt. Sic superflua verba non vitiant scripturam; donatio valet quoad quantitatem legitimam, secus quoad excessum. — 2. Regula non valet in inseparabilibus; sic, v. g., mendacium in publico instrumento totam fidem destruit : admissio laicorum, simul et clericorum pro Praelati electione, actum invalidat.

88. — XXXVIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit oppugnare.*— Intellige, qui legem, instrumentum, etc. in iudicio impugnavit, illud pro sua utilitate allegare, eoque uti et commodum ex illo percipere non amplius potest. Sic impugnator testamenti non percipiat ex eo legatum. Regula non valet contra eum qui ex officio tenetur oppugnare; quia talis potest fructum capere ut privata persona.

89. — XXXIX. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.* — Sic ex prohibito religiosis dominio, prohibetur et venditio. — Excipe quae fieri prohibentur, sed facta tenent. Sic valet matrimonium sine denuntiationibus celebratum.

90. — XL. *Pluralis locutio duorum numero est contenta:* puta si determinatus numerus non exprimatur. — In odiosis et ambitiosis pluralis restringendus est ad duo. — Regula non valet, si maiorem numerum Ius expresse requirat.

Decas V.

91. — XLI. *Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum faciendum erat.* — 1. Nemo puniri aut iure suo privari debet sine culpa; sic, impedito tempus non currit, si, v. g., non solvit intra terminum, quia creditor non comparet. — 2. Non valet in lucris et favoribus conditionatis, si per se pendent ab eventu conditionis; v. g. stipendium Missae pendet ab eius celebratione. — *Nota:* impedimentum probari debet, v. g., morbus, captivitas, inundationes, etc.

92. — XLII. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* — 1. Unde dependentia accessorii a prin-

cipali tanta est, ut (*regulariter loquendo*) concesso, annullato, etc. principali, conceditur, annullatur, etc. accessorium. — 2. *Principale* est quod est praecipuum in re, et quasi causa; *accessorium* est quod ex natura rei, vel ex legis dispositione dependet ab alio, cui accedit. Ergo si non subsistit matrimonium, neque dos. — 3. Non valet Regula cum in principali et accessorio diversa reperitur ratio: sic solvi ob reverentiam *usurae iuratae*, sed iterum restitui debent. Sic testamento invalido quoad profana, solvi debent legata pia. — Cfr. varia iura.

93. — XLIII. *Qui tacet, consentire videtur.* — 1. Intellige, cum aliquid mere favorabile proponitur, absque onere. — 2. Non valet regula cum proponitur favorabile cum onere, ut sponsalia, electiones, etc.; neque, generatim loquendo, in odiosis. Excipe in odiosis quando quis potest et debet loqui seu contradicere, v. g., legitime interrogatus a iudice. — 3. Superior debens contradicere tali abusui, sed non potens, v. g., ob timorem maioris mali, non censetur suo silentio consentire.

94. — XLIV. *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.* — Haec regula cum superiori quasi unitur, et per praecedens commentarium explicatur. In eo differt a praecedenti, quod ista de negatione et affirmatione *in casu interrogationis* tantum intelligitur.

95. — XLV. *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* — Haec regula supplet XXX[ae]. Sic votum praesumitur deliberate fuisse emissum, etc.

96. — XLVI. *Is qui in ius succedit alterius, eo iure quo ille, uti debet.* — Sic iura activa et passiva transeunt in successorem universalem. Successor partialis plerumque succedit in sola iura realia rei cohaerentia, non vero in personalia, nisi aliunde id colligatur. Haeres

tenetur reparare damna testatoris, non vero corporales poenas testatori debitas subire. — Cfr. diversa iura.

97. — XLVII. *Praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* — Haec regula est de *factis.* — 1. Unde valet pro factis contingentibus quae quis scire non tenetur, ut si percutiatur clericus veste saeculari indutus. — 2. In legibus et iuribus, in notoriis et publicis et aliis quae quis scire tenetur, praesumitur scientia ubi ignorantia non probatur. — Cfr. reg. XIII, cum qua multum concordat.

98. — XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura.* — Unde etiam pupilli tenentur restituere vel compensare ea ex quibus indebite locupletiores facti sunt. — Excipe nisi ius ex iustis causis id concedat, ut v. g., in legitima praescriptione, iusto bello, etc.

99. — XLIX. *In poenis benignior interpretatio facienda est.* — Intellige, cum verba circa poenas ambigua sunt.

100. — L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* — *Actus legitimi* sunt et vocantur, qui vel ex natura sua vel ex legis dispositione, appositionem conditionis vel diei seu temporis non recipiunt, eo quod *statim valent,* ac proinde tempus vel conditionem suspensivam valoris non patiuntur. Unde invalidi et nulli evadunt, per appositionem diei vel conditionis suspensivae. Tales emancipatio, haereditatis aditio, electio ad beneficium, etc. — Nota quod conditio de futuro contingenti, non vero conditio de praesenti, de praeterito et de futuro necessario (v. g. contraho si mane sol oriatur), invalidat. — Cfr. diversa iura.

DECAS VI.

101. — LI. *Semel Deo dicatum, non est ad usus hominum ulterius transferendum.* — Id est, altaria, ceteraque benedictione ecclesiae, vel auctoritate Papae et Episcopi, divino cultui, causisque piis specialiter ordinata, ad laicorum profanos usus non transferenda sunt. — Non valet regula in casu necessitatis: tunc, servatis servandis, v. g., vasa sacra prius confracta et minuta, vendi possunt.

102. — LII. *Non praestat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.* — 1. Intellige, quod de iure invalide factum est, non praestat impedimentum; id est, non impedit quin alius actus valide fieri possit. Sic si prius Baptisma fuit invalidum, valide et licite iterari potest. — 2. Non valet regula: si de iure sufficit sola attentatio, opere secuto. Sic Sacerdos suspensus, invalide absolvens, fit irregularis.

103. — LIII. *Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus.* — 1. Valet in iuribus subordinatis, non vero in disparatis, seu diversi ordinis. Sic Sacerdos potest Missam celebrare, sed non potest Clericos ordinare quod est minus. — 2. E contra in sensu negativo, verum quoque est (a minori ad maius) quod: cui non licet quod est minus, utique non licet quod est maius.

104. — LIV. *Qui prior est tempore, potior est iure.* — Valet ubi, ceteris paribus, par causa habetur: in pignoribus et aliis contractibus, etc. Non valet in privilegiis, si superveniat fortior privilegiatus: etenim « privilegia non ex tempore aestimantur, sed ex causa. » — Item in testamentis, legibus, statutis, posteriora potiora sunt prioribus.

105. — LV. *Qui sentit onus, sentire debet commodum, et e contra.* — 1. Intellige de oneribus et commodis

annexis ex natura rei vel ex legis dispositione. — 2. Non valet regulae pars secunda, si quis ex privilegio eximatur ab onere.

106. — LVI. *In re communi potior est conditio prohibentis.* — 1. Valet in re *communi pluribus ut singulis*, circa parietem quam alter ex dominis vicinis destruere v. g. vult ; quod non potest, si alter prohibeat. — 2. Non valet si nullum sit praeiudicium prohibentis. Vid. reg. XXIX.

107. — LVII. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* — Per τὸ *legem*, hic praecipue intelliguntur pacta, conditiones contractibus et actionibus apponi solita (unde conventio contrahentium vocatur hic *lex privata)*: tunc interpretatio fit contra eum qui verba obscura vel ambigua contractui apposuit. Haec fiunt ad cavendum dolos et fraudes.

108. — LVIII. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum iuramentum.* — Etenim iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Si *mores* (id est, *leges*) sint mali tantum civiliter, v. g. ne filia renuntiet haereditati, valet iuramentum de tali renuntiatione.

109. — LIX. *Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eumdem.* - Iuxta illud: « dolo facit, qui petit quod illi a quo petit, exigente iustitia, statim redditurus est. » Sic usurarius dolo petit usuras, quas statim restituere debet. Item haeres hac conditione institutus, ne peteret a certo debitore debitum, dolosus esset petendo, et doli exceptione repellitur.

110. — LX. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.* — Unde habens exceptionem (v. g., ex rationabili et iusta causa) moratoriam, non est in mora, si tempore praefixo non solvat. Exceptio debet esse legitima. — Cfr. reg. XXV.

Decas VII.

111. — LXI. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.*— 1. Sic quae a minoribus fiunt sine auctoritate tutoris valida sunt, si in eorum commodum cedunt, invalida si eis damnosa: privilegia antiqua per nova non tolluntur, sed augentur. — 2. Non valet regula in favoribus non motu proprio, sed ad petitionem concessis, ut sententiam ferre remota appellatione. — 3. *Nota:* quod in poenam et odium alicuius est introductum, non debet in eius utilitatem et commodum (immediate et proxime) converti. — Cfr. varia iura.

112. — LXII. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* — Secus de dantibus consilium ex officio, ut medici, etc.: tales enim nocivum consilium ex culpabili imperitia dantes, aequiparantur fraudolentibus, nec dici possunt dedisse consilium bona fide.

113. — LXIII. *Exceptionem obiiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.* — 1. Unde si Petrus excipit (seu excludit) accusationem Titii de debito, dicendo se iam solvisse, non confitetur actionem et intentionem actoris seu Titii, quia solutio poterat esse de facto, et per errorem. — 2. Regula non valet, si reus factum confessus fuisset: v. g., *debebam*, sed iam solvi: tunc actor non tenetur probare, et reo incumbit probatio exceptionis. — *Nota* quod absque causa non convenit puram et nudam facere exceptionem; sed factum falsum absolute negetur.

114. — LXIV. *Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.* — 1. Intellige: quae fiunt contra ius irritans, vel legem praescribentem formam substantialem actus, invalida sunt. — 2. Quae contra ius mere prohibens fiunt, plerumque invalidari possunt.

115. — LXV. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.* — Attamen possum repetere quod tibi dedi ne mihi *iniuriam* faceres, vel ne turpe quid committas, quia delictum non est *par*, sed *unius*. — Cfr. *Theol. Mor.*, ubi de *conditione turpi*, de *possessione*, etc.

116. — LXVI. *Cum non stat per eum ad quem pertinet quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Haec regula agit de casu quo quis impeditur a tali, cuius interest conditionem non adimpleri. — Unde cfr. reg. XLI, a qua tamen differt, cum hic non de culpa tantum agatur, sed de effectu, ac si conditio adimpleretur.

117. — LXVII. *Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.* — 1. Valet in maleficiis: unde cum mihi non liceat furari in commodum meum, nec mihi id licet in tuum commodum. — 2. Regula non valet in legitimis delegationibus. Sic ex delegatione possum licite facere multa quae aliter mihi non licerent, ut tales indulgentias concedere. Aliter dicendum, si incapacitas esset in delegato, v. gr., in non sacerdote quoad celebrationem Missae.

118. — LXVIII. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* — Valet pro iis quae delegari et mandari possunt, v. g., dare eleemosynam. Secus pro actibus personaliter exercendis: sic, v. g., non possum, per alium, ieiunare — *Nota.* Aliquando « potest quis per alium, quod non potest per seipsum. » Sic pupilli per alios in iudicio litigare possunt.

119. — LXIX. *In malis promissis fidem non expedit servari.* — Unde promissa fraude, vel dolo aut metu iniuste incusso extorta non obligant. Item, res peccaminosae quas quis promittit, non debent adimpleri, ut patet.

120. — LXX. *In alternativis debitoris est electio, et*

sufficit alterum adimpleri. — Sic promittens domum vel agrum, satisfacit dando tantum illam vel istum. — Excipe si electio detur creditori; vel si, v. g., testator praefixit ordinem, ut si dixerit: detur Iacobo asinus; et si Iacobus non acceptat, detur Titio.

DECAS VIII.

121. — LXXI. *Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus.* — Nam cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. Actio est magis quam exceptio. — Non valet regula, si exceptio tendat in diversum.

122. — LXXII. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* — Cfr. reg. LXVIII, a qua tamen differt, quia hic agitur de effectu et vi actûs per alium facti; regula superior vero agit de potestate faciendi per alium.

123. — LXXIII. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari.* — 1. Valet in actibus legitime (id est, iuxta leges) perfectis et iam completis, ut in matrimonio, episcopatu, etc. quibus superveniens impedimentum non nocet. — 2. Nota quod aliquando effectus impeditur, etsi actus non amplius impediatur. Sic sacerdos epilepticus nequit celebrare.

124. — LXXIV. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.* — Intellige, quod a Papa, vel a supremo principe ex speciali favore conceditur, non debet trahi in exemplum; id est, non debent alii eodem frui absque concessione.

125. — LXXV. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.* — Intellige de fide circa eumdem contractum vel factum.

Ergo « frangenti fidem, fides frangatur eidem » (circa idem).

126. — LXXVI. *Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.*— 1. Intellige, v. g., si praelatus delinquat ut privata persona. Secus si cum Capitulo, tunc enim illa ecclesia potest privari dignitate. — 2. Per *τὸ personae*, hic intelliguntur omnes sive clerici sive laici qui ecclesiae vel monasterio deserviunt.

127. — LXXVII. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.* — Haec regula differt a LV, quia praesens loquitur tantum de casu successionis in honore, illa autem universaliter.

128. — LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando sunt concessa.* — Cfr. reg. XXVIII et LXXIV, a quibus differt in eo quod loquitur de iis quae ob necessitatem conceduntur.

129. — LXXIX. *Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*— 1. Intelligitur de iis quae *suo nomine* quis dat. — 2. Nota quod *alieno sed non proprio nomine* dare quis potest quod non habet, v. g. procurator.

130. — LXXX. *In toto partem non est dubium contineri.* — Unde is qui totum emit, vendit, amittit, etc. etiam partem emit, vendit, amittit. Hinc si in iudicio petis totam domum et succumbis, etiam quoad partes succumbuisse censeris; indeque si postea petas partem eiusdem *ex eadem causa* (secus si ex diversa), obstat exceptio rei iudicatae. — Cfr. reg. XXXV.

Decas IX.

(incompleta)

131.— LXXXI. *In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

— Intellige: sub genere commisso non veniunt species quae specialiter exprimi debent. -- Sic sub facultate confessiones audiendi, non veniunt reservata; administrator rerum non potest donare, etc.

132. — LXXXII. *Qui contra iura mercatur, bonam fidem praesumitur non habere.* — Quia tunc culpatur vel de dolo, vel de ignorantia publicae et clarae legis quam scire debebat.— Quoad ignorantiam *facti*, cfr. reg. XIII. — Vid. ibid.

133. — LXXXIII. *Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.* — Sic non potes exigere a Caio solutionem sui debiti, iam a Petro soluti.

134.— LXXXIV. *Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ ñon debet admitti.* — Intellige de prohibitis absolute simpliciter, et principaliter ratione sui. Secus si talis modus seu via tantum prohibeatur.

135.— LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.* — 1. Per *τὸ legem*, hic intelligitur natura et modus obligationis. Conventio enim fixat legem seu obligationem acti. — 2. Non valet regula, si haec privata conventio est contra formam essentialem contractus, ut si fieret absque vero consensu, contra ius commune et publicum, etc.

136. — LXXXVI. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare.* — Intellige: damnum vel iactura lucri, quam quis ex sua culpa, vel ex causa quam ipse libere posuit, sibi et non aliis imputet, v. g., si negotia tua committes imperitis, etc., tibi imputatur damnum sequutum.

137. — LXXXVII. *Infamibus portae non pateant dignitatum.*— Valet et quoad infamiam iuris, et quoad infamiam facti, seu vitam inhonestam. — Cfr. *Theol. Mor.*, ubi de *irregularit.*

138. — LXXXVIII. *Certum est quod is commitat*

in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. — Agitur de illis, qui praetextu nudi sensus verborum legis, eam contra mentem legislatoris sufficienter cognitam, interpretantur et observant. Sic ad mentem legis de residentia, non residet parochus, qui etsi in sua parochia existens, officium suum non administrat. — Etenim in legibus « habent se verba (ait Ab. Panormitanus) et intentio seu ratio, sicut corpus et anima; nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis dominatur verbis ».

139. — NOTANDUM. — Qui accuratiorem desiderat de regulis iuris habere notitiam, videat Reiffenstuel, Barbosa, Canisius, Pirhing, Maschat, etc.

ART. IV. **Varia de prolegomenis.**

140. — **Divisio Canonum.** — CANONES *sunt vel fidei, vel morum, vel disciplinae.*

141. — CANONES FIDEI, *seu dogmatici*, proponunt aliquid credendum ut divinitus revelatum.

142. — CANONES MORUM proponunt agenda, et multoties veritatibus moralibus coniunguntur fiuntque dogmatici. Sunt infallibiles et immutabiles, quia agunt de bono, vel malo in se.

143. — CANONES DISCIPLINARES qui neque ad fidem, neque ad mores pertinent, ad disciplinam Ecclesiae referuntur. Unde *disciplinares* dicuntur eae leges, quibus externa Ecclesiae societas in officio et ordine continetur.

144. — *Canones disciplinae utilissimi sunt, et firmissimum fidei, morum, et catholicae religionis praesidium.* Etenim 1° decernunt poenas in eos qui in fide et moribus deliquerint; 2° determinant praecepta divina et naturalia, v. g. tempus communionis paschalis, diem Domino consecratam; 3° dirigunt conventiones

inter Ecclesiam et Statum: 4° ordinant cultum divinum et distributionem bonorum Ecclesiae temporalium.

145. — Disciplina quae ad ius divinum refertur, est immutabilis, quia est vel *dogmatica,* v. g. Hierarchia divinitus instituta; vel *dogmata annexa,* v. g. veneratio SS. Eucharistiae: disciplina vero quae pendet ab Ecclesia est mutabilis.

146. — **Varia.** — *Auctoritas divina et ecclesiastica est primum ac generale principium iuris sacri* (Zallinger, Huguenin).

147. — *Deus est primarius auctor legum ecclesiasticarum;* quia lex aeterna est origo omnis iuris, et praesertim quia Christus primaria Ecclesiae iura condidit.

148. — *Falsum est et haereticum* dicere *claves datas esse unitati, non uni.* Nam « bono unitatis, beatus Petrus claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit » (S. Optatus, l. 7.). Merito ergo damnata ista propositio Richerii: « Christus fundando Ecclesiam, prius et immediatius claves seu iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam Petro. »

149. — Canones non sunt (lato sensu et secundum quid) nisi conclusiones ex principiis theologicis, i. e. ex Evangelio, et aliis libris canonicis elicitae, vel illatae, vel etiam determinationes loci, temporis, modi, quo ius divinum observandum praescribitur (Gerson.). — *Theologia* tota est in rebus fidei et morum propugnandis; *Ius canonicum* in iis custodiendis, propagandis, et in usum actumque perducendis: unde vocatur *Theologia rectrix et practica* (Cfr. Soglia).

150. — Iurisprudentia Canonica *est facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi.*

151. — **Concludendum.** — *a*) *Quia Papa plenitudinem*

potestatis habet, nemo potest quaerere possessionem quae ei praeiudicet, cum eam habeat a Domino tantum (Cfr. Innoc. c. 2, de postulat. Praelat.). — *b)* Pius IX, in pluribus allocutionibus coram EE. Cardinalibus habitis, et in Constitutionibus a se editis, plures actus Gubernii Subalpini nullos et irritos declaravit. Et hoc potest Romanus Pontifex, quoties agitur de rebus seu ordinamentis sive ecclesiasticis sive civilibus, quae catholicae Ecclesiae doctrinam aut apostolica iura evertere conantur.

152. — **Magister scientiae canonicae:** Veneranda et diligenda *Mater nostri Legislatoris*, Maria, quae est « Regula omnis exemplaritatis post Christum » (S. Bern. Sen.): « Lex nova, a Propheta praevisa, Verbum Dei inscriptum habens » (S. Ios. Hymnod.): et « Ius, cuius possessor est Rex coelorum » (S. Ildephon.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Alii Sanctorum specialia opera exercuerunt; alius fuit castus; alius humilis; alius misericors; sed beata Virgo datur in exemplum omnium virtutum. (S. Th.).

Mariam invoca. *Ave* adiutrix tribulatorum, dando eis patientiam; tentatorum, dando eis victoriam; et in Dei amore famelicorum, dando eis refectionem internam! (Idiota).

Mariam laetifica. Leges canonicas contra fallacias et usurpationes inimicorum Ecclesiae, sive manifeste, sive occulte talium, defendendo ac propugnando. — *Dilectissimi, Mariam colite, quam amatis, quia tunc vere amatis, si imitari volueritis quam amatis* (S. Hieron.).

PARS PRIMA.

DE IURE PUBLICO ECCLESIASTICO

TRACTATUS DE IURE PUBLICO IN GENERE [1]

CAP. I. — DE COLLECTIONIBUS CANONUM

ART. I. De collectionibus Iuris antiqui.

153. — **Canones Apostolorum.** — Eorum authenticitas est dubia, dubiusque auctor. Haec collectio in Corpore Iuris post Decretum Gratiani legi potest.

154. — Attamen reputantur (in genere, seclusisque defectibus) insigne monumentum disciplinae Ecclesiae

[1] " Ius pubblicum est in sacris, et in sacerdotibus, et in magistratibus " (Cap. *Ius publicum* 11. d. 1). Vocatur publicum, quia agit de publico statu et regimine totius Ecclesiae ; diciturque a nonnullis ius *constituens* vel *sociale*. *Ius privatum* ab ipsis *ius constitutum* vel *particulare* vocatur.

per tria priora saecula; et Card. Maius magnam hisce Canonibus adhibendam auctoritatem asserit in opere: *Veterum Scriptorum nova collectio.* Sunt autem ab Apostolorum successoribus, qui, teste Tertulliano, *Apostolici viri* nominabantur (Scav.-Del Vecch. I, n. 326). Caute tamen legenda quae, ex haereticorum malitia, minus recta existunt vel erronea. [1]

155. — *Ecclesia graeca* recepit omnes et integros 84 canones Apostolorum: *Ecclesia latina* recepit tantum 50 priores [2], ita tamen ut nihil de illorum origine decerneret.

156. — **Octo libri Constitutionum Apostolicarum,** quales ad nos pervenerunt, non fuerunt ab Apostolis traditi, neque a S. Clemente Romano scripti, sed ab incerto auctore conflati ex diversis Synodis, legibus ac moribus Ecclesiae orientalis usque ad quartum saeculum.

157. — Probabilius sex priores libri circa annum 270

[1] Gelasius Papa anno 494 in Synodo Romana declaravit librum Canonum Apostolorum esse apocryphum. Sed notandum quod in hoc loco vox *apocryphus* non respicit auctorem, sed auctoritatem; et significat tales canones non esse *Canonicos* ut libri sacri, vel legendos esse cum cautela. (Cfr. Darras, Hist. Eccl. t. 6, p. 623) · Maschat, *proleg. III. 17*, aliter rem exponit, dicens: " Gelasius vero reprobat alios Canones Apostolorum ab haereticis depravatos, cum sinceri et genuini Canones reperiantur a Conciliis et Pontificibus approbati ". Unde in pretio habiti sunt, et citantur etiam a Conc. Trid. sess. 25. cap. 1 de ref. hisce verbis: " Cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiastica, quae Dei sunt, consanguineis donent (Episcopi) "; — quae allegatio respicit can. 39 et 75.

[2] Ex Bellarmino legitimi existunt 50 priores; vel 52 ex Baronio.

et alii duo saeculo quarto conscripti fuere, ut tenent eruditi. [1]

158. — Illos commendat S. Epiphanius, quia tunc in eis nihil fidei vel disciplinae contrarium inveniebatur. Attamen, in editionibus posterioribus, in aliquibus inveniuntur contrarii doctrinae catholicae: fuerunt enim ab haereticis corrupti pluribus in locis.

159. — **Collectiones Graecae.** — **I. Collectio Chalcedonensis** continet canones generales et particulares, nempe canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopol. I.

160. — *Huic collectioni accesserunt,* medio saeculo sexto, canones Apostolorum (iam antea Graecis plane noti), Sardicenses, Ephaesini, Chalcedonenses, et regula S. Basilii.

161 — **II. Collectio Ioannis Scholastici,** Constantinopolitani Episcopi, an. 564-78, qui novam editionem conscripsit, in qua 84 Canones Apostolorum etc. nec non leges civiles easdem materias respicientes, canonibus praescriptis adduntur. Ioannes iste vocatur etiam *Joannes Antiochenus scholasticus.*

162. — Collectio Io. Scholastici est suspecta, quia eius auctor fuit Nestorianismi fautor. [2]

[1] Funk " inter alia, magna cum eruditione, demonstrare conatur, *eumdem* auctorem *omnes* libros Const. Ap. circiter ineunte saeculo *quinto* in *Syria* composuisse " (Wernz, I. 200 not. 40).

[2] Istius A. duo habentur collectiones, ambae in 50 titulos distributae. Leges civiles ex Codice Iustiniani et ex Novellis excerptae habentur tantum in secunda editione, quae ideo *Nomocanon* dicta est. Deploranda facilitas qua Orientales leges Imperatorum circa causas ecclesiasticas usurpatorie latas admiserunt, *Nomocanones* multiplicavit, cum maximo libertatis ecclesiasticae detrimento.

163.— **III. Collectio Trullana** sive CONCILII QUINISEXTI *seu Trullani.*

164. — Ecclesia Romana probavit seu potius toleravit tantum Trullanos canones, qui Conciliis generalibus aut christianis moribus non adversarentur [1]

165. — **IV. Collectio Photii** (qui sedem Constantinop. usurpavit ann. 858), ubi iste *schismaticorum parens* praeter canones legitimos a sanctis Synodis editos, reposuit plures conciliabulorum regulas. Collectiones orientales iterum elaboravit, suumque consignavit *Nomocanonem*, qui apud Graecos summo honore semper habitus est.

166. — Photii collectio — seu melius, collectiones sunt suspectae, ut patet. In capite V primi tituli, sui schismatis venenum manifestat dicens, omnium ecclesiarum caput esse Constantinopolitanam sedem; ad quod fallaciter citat nonnullas leges ex Codice Iustiniani.

167. — NOTA: *a)* Plures aliae habentur minores collectiones graecae, levioris momenti. *b)* Collectiones græcæ cautissime legendae sunt.

168. — **Collectiones Latinae** [2] — **I.** *Pro Ecclesia latina obtinuerunt primo canones Nicaenae Synodi; quo*

[1] Dicitur Concilium *Trullanum*, quia habitum fuit *in Trullo*, seu in secretario palatii imperatoris (an. 695). Dicitur *Quinisextum* ob praetensionem supplendi quae Concilia generalia V et VI haud fecere. Trullani Patres ad schisma proclives expunxerunt canones Sardicenses, in quibus ius appellationis ad Romanum Pontificem admittebatur.

[2] *Certum est Ecclesiam Romanam, ante saeculum sextum, habuisse Collectionem:* nam Siricius Papa scripsit: " Statuta Sedis Apostolicae, vel canonum definita, nulli Sacerdotum ignorare sit liberum ".

nominantur etiam Sardicenses, quia Concilium Sardicense tamquam appendix Nicaeni habebatur.

169. — Postea *Graecorum codex latine redditus*, sive *Collectio Prisca*.

170.— **II. Collectio Dionysii Exigui** (monachi scythae), initio saeculi sexti quamvis privata auctoritate conflata, a Sancta Sede probata fuit (tacite, non expresse), et dicta communiter *Vetus Canonum Codex*.

171. — Huic plura adiecit ex Conciliis et Patribus S. Isidorus episcopus Hyspalensis.

172. — Codicem Dionysii pluribus monumentis auctum Adrianus I Carolo Magno Romae dono dedit (an. 774): unde vocatur etiam *Collectio Adriana* vel *Dionysio-Adriana*.

173. — Habentur denique **Collectiones Ecclesiarum particularium**, v. g. in Africa *Collectio Ferrandi* diaconi (saec. 6); in Hispania *Capitula Martini*, Bracharensis episcopi; in Gallia *Pannormia Ivonis* Carnotensis; in Germania *Collectio Reginonis*... etc.

174. — Accedunt *libri rituales* et *formularia*, quae conficiebantur ad determinandum modum quo negotia varia scriptis tractari deberent. Eiusmodi formularum collectio pro Ecclesia romana est *Liber diurnus*.

175. — **Collectio Isidori Mercatoris vel Peccatoris.** [2] — Edita probabilius est inter annos 829 et 847, quia auctor inseruit plures sententias Concilii Parisien. anni 829, et Collectionis mentio primum habetur an. 846.

[2] Auctor istius Collectionis incertus existit, ususque est *Isidori* nomine, ut revocata memoria Collectionis Hispanicae S. Isidoro Episcopo et Doctori tributae, maiorem suae collectioni fidem conciliaret. Et hic notare placet, quod Collectio Hispanica, etsi iam tempore S. Isidori edita, incertum tamen habet auctorem. Collectio pseudo-isidoriana adscribenda vi-

176. — *Eius auctoritas* nulla est: et S. Sedes numquam fuit connivens, numquam rem probavit. Extra Romam et inscia Roma confectae sunt falsae Decretales, testibus vel ipsis heterodoxis.

177. — *Fontes huius collectionis.* Usus est documentis 1° *genuinis* et authenticis, quales sunt decretales Dionysii; 2° *suppositītiis*, quae ipse finxit, ut sunt multae Pontificum epistolae; 3° *apocryphis*, seu ab aliis scriptis; 4° *interpolatis*, quae videlicet suis additamentis corrupit.

178. — Falsum est, per fictas Decretales amplificatam fuisse R. Pontificis auctoritatem, novum ius inductum, perturbata Episcoporum iura, eversam veram Ecclesiae disciplinam, ut volunt Centuriatores Magdeburgenses cum Gallicanis ac Febronianis; quod facillime probatur ex ipsa collectione, quae quidem minime proponit ius novum et ignotum, sed disciplinam moribus illius aetatis conformem (et illae paucae iuris immutationes, quae auctor proposuit, in praxim non fuerunt deductae): item, Decretales etiam spuriae nullam haeresim continent. Hisce de causis vulgatissima exstitit isidoriana Collectio. [1]

detur auctori e clero gallico. " Iuxta probabiliorem sententiam auctor illius Collectionis fuit clericus gallus aut gallogermanicus " (*Bonal*, I, 58). — " Cominciata a Magonza o no, essa è, giusta ogni giudizio storico-critico, opera gallicana, almeno nella forma ultima in cui si è divulgata ". (*Cossa*, ap. *Scavini*, I, 326).

[1] Scopus pseudo-Isidori fuit defensio cleri contra oppressionem multorum principum ac magnatum civilium, cessatio abusuum Metropolitarum contra Suffraganeorum iura, et vigoris disciplinae ecclesiasticae restitutio. Sed finis non potuit nec potest falsificationes iustificare. — " Indubitatum est pseudo-Isidorum non *multas* vere *novas iuris*

ART. II. **De collectionibus Iuris novi.**

179. — **Decretum Gratiani.** — GRATIANUS, natione etruscus, *monachus Ord. S. Benedicti,* Bononiae degens, indefesso labore summaque diligentia Collectionem suam edidit anno 1151 sub titulo: *Concordia discordantium canonum.*

180. — Collectio Gratiani componitur ex variis S. Scripturae testimoniis, ex Conciliorum decretis, ex constitutionibus et decretalibus Romanorum Pontificum, ex pluribus sententiis SS. Patrum, et ex selectis etiam legibus civilibus.

181. — Collectio haec vocatur *Decretum Gratiani* vel simpliciter *Decretum.*

182. — *Gratianus collectionem suam in tres partes divisit:* — I[a] (agit DE PERSONIS) CONSTAT 101 DISTINCTIONIBUS, quae singulae plura capita seu canones complectuntur. In ea agitur de origine, auctoritate, ac principiis iuris, et de statu et officiis clericorum. CITATUR SIC: *cap.* vel *c. Ieiunium 7, dist. 76;* vel *dist. 76, cap. 7;* vel *c. 7, d. 76.*

183. — II[a] PARS (agit DE IUDICIIS) HABET 36 CAUSAS; causae dividuntur in quaestiones, et quaestiones in capita seu canones. (In causa 33, *q. 3.* exstat tractatus de Poenitentia in septem dist. distributus). CITATUR HOC MODO: *cap. Qui viderit, 13, quaest. 5,*

sanctiones suae collectioni inseruisse. Quae conformitas cum disciplina saeculo nono vigenti potius est una ex rationibus facilis et celebris divulgationis Decretalium pseudo-Isidori. Porro alia quae aliqua ratione videbantur esse nova, aut nunquam ad verbum in praxi ecclesiastica fuerunt recepta, aut ex natura rei, similibus sanctionibus civilibus vel etiam antiquioribus canonibus commendabantur „ : ait Wernz, I. 216.

causa 32; vel *causa 32, q. 5, c. 13;* vel *c. 13, q. 5, c. 32.* (TRACT. DE POEN. CITATUR SIC: *cap.* vel *c. Petrus 1 de Poen. dist. 1;* vel *c. 1. d. p. d. 1).*

184. — III^{a} PARS *dicitur* DE CONSECRATIONE, quia agit potissimum de rebus sacris, de sacrificio, etc. HABET 5 DIST. ET VARIA CAPITA seu canones. CITATUR SIC: *Cap. Est unitas 49, dist. 4, de Consecratione;* vel *de Consecr. d. 4, c. 49;* vel *c. 49 de consecr., d. 4.*

185. — REGULA GENERALIS: *Prima pars* citatur allegando canonem et distinctionem; *secunda*, allegando canonem, causam et quaestionem; *tertia*, sicut prima sed addito *de Consecr.*

186. — CANONES POENITENTIALES ET APOSTOLORUM SIC ALLEGANTUR: *c. Poenit. 10, c. Apost. 22.*

187. — **Emendatio Decreti Gratiani.** — Pius IV et Pius V, et praecipue Gregorius XIII Gratiani Decretum emendare curarunt.

188. — Idem Greg. XIII emendatam editionem approbavit (vid. n. 191), prohibens quidquam addere vel minuere: « ut (ait Pontifex) quae emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur. »

189. — **Additamenta facta Decreto Gratiani.** — Gratiani Decreto quaedam sunt facta additamenta sub nomine PALEA, sic dicta vel a *Paucapalia* Gratiani discipulo, vel quia erant notulae in margine scriptae cum verbis *post alia*, sive *p. alia;* inde natum est nomen PALEA, *et sunt numero 50.* (Scavini).

190. — In fine Decreti habentur etiam canones poenitentiales et apostolici.

191. — **Auctoritas Decreti Gratiani.** — Nullam vim legis habet: « Gratiani enim Decretum, quantumvis pluries Rom. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet; quin immo

inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret ». (Bened. XIV, de Syn. dioec. l. 7, c. 15, n. 6).

192. — Berardi eruditissime agit de Decreto Gratiani: canones apocryphos notat, difficiliores illustrat, multaque habet scitu utilissima. [1]

193. — **Collectiones Decretalium.** — **Ante Gregorium IX** *prodierunt quinque collectiones Decretalium:* I^a^ BERNARDI CIRCA PAPIENSIS [2], qui an. 1099 evulgavit *Breviarium extravagantium* [3]. Continet quae Gratianum effugerant, et Constit. post Gratianum editas usque ad Coelestinum III, et canones C. Later. III. « Haec collectio, in 5 libros divisa, fuit veluti archetypus

[1] Unde merito notat Maschat (*proleg.* 14): " Canones seu textus Decreti revocandi sunt ad primaevam auctoritatem suorum conditorum, scilicet, textus Scripturae ad auctoritatem divinam, textus legales Pontificum et Conciliorum ad eorum auctoritatem, textus desumpti ex iure civili ad auctoritatem imperialem; ut ex hoc, quod ponantur in Decreto non censeantur canonizati. Denique textus Patrum et multi textus doctrinales Pontificum, qui ut privati Doctores scripserunt, non sunt iuridice decisivi, sed directivi pro instructione, nisi reperiantur a Sede Apostolica approbati instar Iuris Pontificii. " — Et quando Decretum allegatur a SS. Pontificibus, " ista allegatio (addit cit. Auct. ibid.) non tribuit maiorem auctoritatem, quam Canones in suis autographis habeant. Unde dum Pontifices aliquid allegant ex Decreto, supponendum est id reperiri in formis authenticis. " A fortiori auctoritatem non habent Paleae.

[2] Non certo constat an Bernardus Papiensis, verus auctor istius collectionis, sit idem ac Bernardus Circa.

[3] Tanta fuit vulgatio Decreti Gratiani, ut quidquid in ipso non contineretur, diceretur *extra-vagari.* Inde signum *X* (i. e. *extra*) in allegationibus Decretalium Gregorii IX.

ad cuius exemplum reliquae collectiones [1] adornatae sunt. » (Soglia, *Praen. in ius Eccl. c. 3)*.

194. — IIª IOAN. GALENSIS SEU VALLENSIS, qui ex *Gilberti* et *Alani* collectionibus novam confecit.

195. — IIIª INNOC. III *Petro Beneventano* curam mandavit ut ipsius Constitutiones colligeret.

196. — IVª INCERTI AUCTORIS.

197. — Vª HONORII III, qui suam Decretalium collectionem promulgavit.

198. — NOTA: Solis collectionibus quartae, et quintae Pontifices vim legis tribuerunt (quia auctores).

199. — **Decretales Gregorii IX**, opera S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, qui « Iustinianum imitatus est, tum in eo quod ex diversis codicibus unum codicem deduxit, tum in eo quod ex Decretalibus ea sustulit quae inutilia erant ». (Devoti).

200. — DIVIDUNTUR IN 5 LIBROS: *Primus* de iudicibus seu Praelatis; *secundus* de iudiciis ; *tres alii de iudiciorum materia,* nempe *tertius* de rebus ad clerum pertinentibus, *quartus* de matrimonio, *quintus* de criminibus et poenis. Hinc versiculus: *Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.*

201. — Fratres Pithaei et Bohemerus et nonnulli AA. germanici moderni, in editione Gregorii IX, suppleverunt omissa a S. Raymundo, sed privata auctoritate.

202. — **Auctoritas Decretalium Gregorii IX.**— Gregorius IX, die 5 Sept. an. 1233, Litt. *Rex pacificus*, huic collectioni praemissis, declaravit: « ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis et in scholis, districtius prohibemus, ne quis praesumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali. »

[1] Etiam collectiones authenticae seu vim legis habentes.

203. — CITANTUR allegato capite et titulo; vel libro, titulo et capite, v. g. *cap. Venerabilem 6. de electione;* vel *l. 1, tit. 6, cap. 34.* Alii addunt *X*, vel extra.

204. — **Sextus Decretalium.** — BONIFACIUS VIII, an. 1298, operâ trium Cardinalium, in unum volumen congessit tum novas Decretales ab anno 1233 editas, tum canones utriusque concilii Lugdunensis.

205. — *Vocatur Sextus Decretalium*, quia est velut complementum collectionis Gregorianae constans totidem libris, eodem ordine ac Decretales Greg. IX, sed diversâ materiâ.

206. — *Bonifacius suae collectioni auctoritatem legalem tribuit.* [1] CITANTUR eodem modo addito *in 6°*.

207. — **Clementinae.** — CLEMENS V suam confecit collectionem partim ex canonibus C. Viennensis, cui praefuit, partim ex suis epistolis eodem modo subdivisis ac Decretales Gregorii IX. Attamen, cum morte ipse praeventus esset, collectio edita et auctoritate donata fuit a IOAN. XXII die 25 Oct. an. 1317, per Litt. *Quoniam nulla* collectioni praemissas.

208. — ALLEGANTUR eodem modo ac Decretales Gregorii IX, addito *Clement.*

209. — **Extravagantes** (i. e. *extra ius hactenus editum vagantes*).—*Complectuntur duas Collectiones:* 1ª EXTRAV. IOAN. XXII, *in unico libro;* 2ª EXTRAV. COMMUNES, *in 5 libros divisas*, continens Decretales plurium Pontificum.

210. — II° Collectio **Extrav. Ioannis XXII** complectitur tantum viginti Decretales istius Pontificis, et constat quatuordecim titulis. In titulo 14 agitur de *verborum significatione.*

211. — CITANTUR ut aliae, praemisso *Extrav.*

212. — Collectio **Extrav. commun.** continet De-

[1] Litter. *Sacrosanctae* collectioni praeviis.

cretales ab anno 1262 ad 1483 (a viginti quinque Pontificibus, ab Urbano IV ad Sixtum IV) editas.

213. — Citantur ut aliae, addito *inter comm.*, vel *Extrav. comm.*

214. — Post huiusmodi Extravagantes in Corpore Iuris Canonici collectas, idem Corpus Iuris *clausum* dici consuevit, non stricte sed lato sensu, ut patet ex Bened. XIV Litt. *Postremo* (vid. n. 49).

215. — Auctoritas Extravagantium. — Utraque collectio Extravagantium (*saec. XV. edita*), incertum habet auctorem, *neque compertum est qua auctoritate in Corpus Iuris relata sit*, ait Huguenin. Eas tamen esse genuinas patet: *a*) ex possessione temporis pluries saeculari, ex qua semper authenticae habitae sunt, RR. Pontificibus haud contradicentibus; *b*) quia sunt Constitutiones generales pontificiae, quae ex se plenam vim habent ecclesiasticae legis in universa Ecclesia. « Quare, cum sit certum hasce Constitutiones a Romanis Pontificibus prodiisse, dicendum est easdem vim legis in Ecclesia obtinere », ait Santi (proleg. n. 11).

216. — **Corpus Iuris Canonici** est complexus legum ecclesiasticarum *in quinque codicibus*, qui sunt: 1° *Decretum Gratiani*. - 2° *Decretales Gregorii IX*. – 3° *Sextus Decretalium* Bonifacii VIII. – 4° *Clementinae* Clementis V. – 5° *Extravagantes*.

217. — **Auctoritas Corporis Iuris Canonici** — I°. Quae in *Decreto Gratiani* habentur, tantum valent quantum valerent, si Gratianus ea non collegisset, ut patet ex dictis.

218. — II°. *Septimus Decretalium* et *Institutiones Lancellotti*, quae in fine habentur appositae, non habent vim quia non confirmatae.

219. — III°. *Ceterae autem partes universim obli-*

gant, nisi contraria lege, vel legitima et probata consuetudine abrogatae existant.

220.— IV°. Ius Canonicum, praeter Decretales in Corpore Iuris collectas, complectitur etiam alia documenta pontificia authentica: « Neque enim Iurisprudentia Canonica circumscribitur praefata Decretalium (Gregorii IX) compilatione, sed complectitur quoque Epistolas Summorum Pontificum in ea non comprehensas, aliasque Constitutiones Pontificias in eadem non relatas, totque praeterea fontes apprime perspectos omnibus, qui Canonicam facultatem qua decet diligentia pertractant », ait Bened. XIV (Litt. *In postremo* 10 Oct. 1756).

221. — NOTA : Corpus Iuris Canonici diligenter emendatum, Romae edendum curavit Greg. XIII Litt. *Cum pro munere* 1 Iulii an. 1580.

222. — **In Corpore I. C. occurrunt:** I. RUBRICA (a rubris litteris, seu inscriptio indicans materiam tituli). In libris authenticis est magnae auctoritatis: unde tunc valet argumentum a *rubro ad nigrum,* si textus non dissonet, seu, ut aiunt DD., *dummodo rubrum non contradicat nigro.*

223. — II. SUPERINSCRIPTIONES, sive verba, quae indicant unde textus capituli desumptus sit, vel ad quem directus, sunt authenticae, si in libris authenticis.

224. — III. SUMMARIA, sive verba, quibus privati Doctores capitula summarunt, non habent auctoritatem legis, sed sunt mere doctrinalia.

225. — IV. GLOSSA, quae est uberior explanatio Canonum ab auctoribus facta, non facit ius, sed reverenter audienda ob excellentem doctrinam, nisi ei contradicant aliae glossae, vel alii AA. meliori ratione innixi.

226. — V. NOTA, quae est brevior illustratio vel additio citationum. Tantum valet quantum auctoritas

auctoris eiusdem notae. — Cfr. Alasia, art. *de lege eccl.*, Scavini, etc.

Art. III. De collectionibus Iuris novissimi.

227. — **Ius novissimum** continet omnes leges ecclesiasticas post clausum Corpus I. C. sive post Concilium Viennense editas, praecipue Conc. Constantiensis, Florentini, Lateranensis V, *et maxime* Tridentini et Vaticani.

228. — Collectiones huius iuris praecipuae sunt: MAGNUM BULLARIUM, BULLARIUM BENEDICTI XIV, DECRETA CONCILII TRIDENTINI, COLLECTIONES DECRETORUM SEU DECISIONUM SS. CONGREGATIONUM, CONCORDATA, et 72 REGULAE CANCELLARIAE, quae regulae morte cuiusque Pontificis vim amittunt, donec a novo Pontifice confirmentur [1].

229. — **Bullaria.** — I. Eminet *Bullarium magnum Romanum* a Carolo Coquelines compositum, et ab Hieronymo Mainardo editum, continens Bullas Pontificias a S. Leone Magno usque ad Clementem XII. *Adauctum* fuit Bullario Benedicti XIV, *continuatum* usque ad Pium VIII ab advocato Andrea Barberi, et nuperrime usque ad Pium IX. Solum Bullarium Benedicti XIV est authenticum: alia sunt opera privatorum [2]. —

[1] *Leges iuris novissimi* haud compilatae sunt in collectionem authenticam, sed nonnullae eius partes partialem collectionem habent vera authenticitate donatam, ut C. Trid. (Vid. n. 54, in nota).

[2] Istius collectionis magis vulgatus titulus est: Bullarum Privilegiorum ac Diplomatum Rom. Pont. a S. Leone Magno ad Clementem XII amplissima collectio, cui accessere Pontificum omnium vitae, notae et indices opportuni, opera et studio Caroli Coquelines. Romae Mainardi 1758, 28 vol. fol. — Benedicti XIV Bullarium. Romae Mainardi 1754, 4 vol. fol.

II. *Continuatio* ad nostra usque tempora primum Prati, hodie Neapoli facta est.

230. — Utrumque tamen Bullarium (excepto Benedictino) imperfectum existit; habet enim plura vix utilia, et desiderantur non pauca magni momenti documenta: quae dicta sint absque vel minima iniuria collectorum, qui indefesso labore sapienter Bullarium confecerunt; in tantae enim molis opere, perfectio compilationis difficillima evadit.

231. — Habetur etiam *Bullarium Pontificium S. Congregationis de Propaganda Fide* (Romae 1840-1846, 8 vol. in-4). De Martinis alteram eiusdem Bullarii editionem disposuit sub titulo *Iuris Pontificii de Propaganda Fide.* Item *Bullarium Minorum Capuccinorum* (XI vol. in-fol.), *Franciscanum, Praedicatorum*, etc. etc., ad utilitatem respectivorum Ordinum regularium.

232. — **Decreta Concilii Tridentini.** Concilium Tridentinum (an. 1545-1563) a Pio IV die 26 Ianuar. 1564 confirmatum, constat 25 sessionibus, ex quibus 13 tantum decreta de fide aut moribus continent, et quidem fere singulae de utraque materia agunt.

233. — Pars dogmatica habet capita et canones, pars disciplinaris dicta *de Reformatione* continet *decreta. Decreta* disciplinaria vim iuris communis obtinent (excepto casu posterioris dispensationis pontificiae) et merito habentur uti pars praecipua Iuris novissimi.

— Bullarii Romani continuatio Sum. Pont. Clementis XIII. XIV, Pii VI, VII, Leonis XII, Pii VIII, Gregorii XVI, quas collegit And. A. Barberi, Romae Tip. Cam. Apost. 1846. 19 vol. fol. Simul 51 vol. fol. — Adest nova collectio Taurinensis: Bullarium Romanum a S. Leone Magno ad Clementem XII; editio Taurinensis cura et studio D. Tomasetti. Augustae Taur. 1858-70, 25 vol. 4.

234. — Interpretatio Decretorum Trid. reservata est S. Cong. Concilii [1].

235. — **Decreta SS. Congregationum.** — I. Ius canonicum pervalde illustrant, explanant, amplificant, multisque ditant monumentis.

236. — II. Eorum notitia saltem per summa capita non tantum utilis sed omnino necessaria est, ut accurata habeatur ratio vigentis legislationis ecclesiasticae (praesertim quoad decreta SS. CC. Concilii et Episcoporum et Regularium).

237. — III. Ergo quisque Juris Canonici studiosus, una cum Decreto Gratiani et Decretalibus, huiusmodi decreta frequenter perlegat.

238. — IV. Plurimae prodierunt nonnullarum SS. Congregationum (et S. Rotae) collectiones, ex quibus multae accuratae, paucae authenticae existunt [2].

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Prima virtus, in qua Virgo nata est, et infans se singulariter exercuit, fuit humilitas (ap. S. Lig.). Virgo continuo habebat actualem rela-

[1] Titulus novissimae collectionis typis S. C. de Prop. Fide editae, est: *Canones et Decreta Sacr. Oecum. Concilii Tridentini* sub Paulo III, Iulio III et Pio IV, Pont. Max. cum appendice Theologiae, candidatis perutili. Editio novissima ad fidem optimorum exemplarium castigate impressa, cui accedunt *Syllabus*, Constitutio *Apostolicae Sedis*, et duae Constitutiones dogmaticae editae in Oecum. Vaticano Concilio, 1882, in-8.

[2] Utilissima est notitia sequentium collectionum:

Thesaurus Resolutionum Sacrae Congregationis Concilii, quae consentaneae ad Tridentinorum Patrum Decreta aliasque Iuris Canonici sanctiones, prodierunt, 150 vol. (ab. an.1718 ad 1891). Recentiora vol. typis S. C. de Prop. Fide edita sunt.

Collectio omnium Conclusionum et Resolutionum quae in

tionem ad divinam maiestatem, et ad sui nihilitatem (S. Bernardin. Sen.).

MARIAM INVOCA. O vere beata humilitas, quae Deum hominibus peperit, paradisum aperuit, et animas ab inferis liberavit! (S. Aug.).

MARIAM LAETIFICA. Vera et sincera humilitate. « Si quaeras, quae via sit ad obtinendam veritatem, quidquid primum sit in religione et disciplina Christi (et amore Mariae)? Respondebo; Primum est humilitas. Quid secundum? Humilitas. Quid tertium? Humilitas. Et quoties interrogabis, toties hoc dicam. » (S. Aug., epist. 56). — *Filii Mariae, imitatores eius...* (Rich.).

causis propositis apud Sacram Congregationem Cardinalium S. Concilii Tridentini Interpretum prodierunt ab eius institutione anno 1564 ad annum 1860, distinctis titulis alphabetico ordine per materias digesta, cura et studio Salvatoris Pallottini S. Theol. Doctoris et in Romana Curia Advocati. 15 vol. in-4, typis S. C. de Prop. Fide.

Causae selectae in S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum propositae per Summaria Precum, ab anno 1823 usque ad annum 1869. Collegerunt Chr. Lingen I. U. D., et Petr. Alex. Reuss I. U. D. 1871, in-8, typis Pustet, Ratisbonae.

Collectanea in usum Secretariae S. Congreg. Episcoporum et Regularium, cura A Bizzarri Archiepiscopi Philippensis Secretarii edita. 1886, in-8, typis S. C. de Prop. Fide.

Gardellini: *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum* ex actis eiusdem collecta. Typis S. C. de Prop. Fide.

Decreta authentica S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, ab anno 1668 ad annum 1882 edita. Iussu et auctoritate Leonis XIII, Pont. Max. 1882, in-8, typis Pustet, Ratisbonae.

Rescripta authentica S. Congr. et Summaria Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum. 1885, in-8, typis Pustet, Ratisbonae.

CAP. II. — DE IURIBUS PRAECIPUIS ECCLESIAE.

239. — **Successio Apostolica.** — I. *Ecclesia habet successionem apostolicae auctoritatis, nullo tempore interruptam.*

240. — II. *Haec successio fundatur in Romano Pontifice*, successore D. Petri, et in Episcopis, successoribus Apostolorum.

241. — III. Successio apostolica *in cunctis terrae plagis fulget* unitate, sacramentis, et regimine pastorum Rom. Pontifici adhaerentium. Cfr. Alloc. Pii IX, *Ubi primum,* 17 dec. 1847 [1].

242. — **Libertas Ecclesiae.** — *Nunquam pertinet ad civilem potestatem definire quae sint Ecclesiae iura ac limites intra quos eadem iura exercere queat.* Cfr. alloc. Pii IX, *Singulari quadam,* 9 dec. 1854, etc. [2].

[1] " Veniant igitur qui salvi fieri volunt ad columnam et firmamentum veritatis, quod Ecclesia est; veniant scilicet ad veram Christi Ecclesiam, quae in suis Episcopis summoque omnium capite Romano Pontifice successionem habet Apostolicae auctoritatis nullo tempore interruptam, quae nihil unquam potius habuit quam ut praedicaret, atque omni ope custodiret ac tueretur doctrinam ex Christi mandato ab Apostolis annunciatam; quae inde ab Apostolorum aetate in mediis omne genus difficultatibus crevit, et per totum orbem miraculorum splendore inclyta, Martyrum sanguine amplificata, Confessorum et Virginum nobilitata virtutibus, Patrum testimoniis scripturisque sapientissimis corroborata viguit, vigetque in cunctis terrae plagis, et perfecta fidei, sacramentorum, sacrique regiminis unitate refulget. „ (Pius IX ibid.).

[2] In qua Pontifex inter alia dixit: " Sunt enimvero plerique, qui rebus publicis tractandis praepositi fautores se religionis, et adsertores dicant, illam laudibus attollant, huma-

243. — Hinc I. « Non oportet apud alios quaerere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere... » (S. Iren. l. 3, c. 4).

244. — II. Potestas ecclesiastica potestati civili, non vero civilis ecclesiasticae indicare potest quid iustum, vel iniustum in suis legibus, vel decretis.

245. — III. « Si imperator catholicus est, filius est, non praesul Ecclesiae: quod ad religionem competit, discere ei competit, non docere...: Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quae Ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad saeculi potestates: quas si fideles sunt, Ecclesiae suae Sacerdotibus voluit esse subiectas » (Ioan. Papa, Can. 11, dist. 96).

246. — IV. Damnandi ergo *catholici liberales,* qui, *sive privatim, sive publice* iura Ecclesiae definire ac limitare volunt, ipsum sacri cultus exercitium in millibus coarctant, et leges romanas recipere vel reiicere pro libito contendunt.

247. — **Magisterium.** — *Ecclesia habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem, dirigendi studia theologica,* et exigendi ut *omnes* catholici magistri se subiiciant suo iudicio in rebus fidei et decisionibus doctrinalibus pontificiis (Pius IX in variis documentis).

248. — Hinc I. Nulla humana potestas impedire potest liberam Ecclesiae praedicationem.

naeque societati quam maxime accomodatam, atque utilem praedicent; nihilominus eius moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrorum procurationem attingere; uno verbo, civilis intra status limites coercere nituntur Ecclesiam, eique dominari, qua tamen sui iuris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes ac nationes, ut sempiternae illis beatitatis iter designet, expediat. „

249. — II. Nulla civilis potestas impedire potest methodum in scholis theologicis adhibitam, aut talem vel talem sacrae scientiae partem in illis proscribere.

250. — III. Ergo damnandi impii Statûs ministri, qui vellent ut magistri sacri quaedam legant aut doceant quae romanis doctrinis non sunt omnimode consona, et a fortiori qui gallicanismum vel liberalismum in theologicis studiis introducere vellent.

251. — IV. Ergo Pastores Ecclesiae prudenter investigare debent opiniones et doctrinas a *magistris catholicis laicis* emissas, *etiam contradicentibus potestatibus civilibus.*

252. — V. Debemus Ecclesiae reverentiam et obedientiam etiam in rebus non dogmaticis.

253. — **Potestas.** — Ecclesia habet ius inferendi potestatem et auctoritatem directam et indirectam (Pius IX, Lit. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 aug. 1851).

254. — Hinc I. Ecclesia praeter potestatem Episcopatui inhaerentem, alia attributa temporalis potestatis habet, quae non sunt a civili imperio concessa: ideoque nequit ea civile imperium revocare (Id. ibid.).

255. — II. Ecclesia habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi (Pius IX, Alloc. *Nunquam fore*, etc.).

256. — III. Impedientes ecclesiasticam potestatem, et usurpantes iura temporalia Ecclesiae, veri raptores et impiissimi sacrilegi dicendi sunt.

257. — IV. Damnandi etiam qui potestatem Ecclesiae *coercitivam* impediunt.

258. — **Pontificatus Romanus.** — *Non potest sententia universalis Concilii aut universorum populorum facto Summus Pontificatus a Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem tran-*

sferri (Pius IX, Lit. Ap. *Ad Apostolicae*). Patet ex Theol. Dogm.: vid. ibi.

259. — **Nationales Ecclesiae.** — I. *Nationales Ecclesiae separatae nequeunt institui.* Quia una est Ecclesia, et in sua unitate perseveratura usque ad consummationem saeculi.

260. — II. *Romanus Pontifex ius habet declarandi praedictas Ecclesias schismaticas, easque anathemate mulctandi.* Patet ex doctrina catholica, et v. g. ex condemnatione Ecclesiae nationalis italicae *Dominici Pannelli* (qui hodie, 1885, vere poenitens errores retractavit et scandalum reparavit). « Quare suprema nostra « apostolica auctoritate schismaticam et haereticam fa- « ctionem, quae titulum *catholicae Ecclesiae nationalis* « *Italicae* assumit, quaeque facto ipso negat unam esse « fidem, unam Ecclesiam, unum visibile eius caput... « detestamur, damnamus, ac reprobamus, omnesque, « si qui ei misere nomen dederunt ac dederint, ab uni- « tate catholica defecisse edicimus et pronuntiamus... » (Lit. Ap. Pii IX, 3 Iul. 1875).

261. — III. Idem dicendum de ridiculissima *Ecclesia Gallicana Hyacinthi Loyson,* qui, ut sectatores capere possit, suam defectionem in *theatris* et aliis *locis mundanis* explicare conatur, quique ab omnibus derelinquitur.

262. — **Concilia nationalia** *seu plenaria.* — I. Invito Rom. Pontifice celebrata, sunt conciliabula ac synagogae Satanae. Neque celebrari possunt plenaria seu nationalia concilia absque S. Sedis praevia auctoritate (Cfr. *Anal. Iur. Pont.* tom. 22, pag. 776) [1].

[1] " Cum haec celebratio inter causas maiores habeatur, inductum est ut sine Pontificis consensu non fiat " (Scav.-Del Vecchio l. 4, n. 90).

263. — II. Romanus Pontifex potest reformare et abrogare definitiones et decreta omnium Conciliorum nationalium (Ex Lit. Ap. *Ad Apostolicae*, 22 aug. 1851).

264. — **Immunitas.** — I. Ecclesiae et personae ecclesiasticae, iure proprio, immunitatis privilegio gaudent, quod nunquam a iure civili ortum habuit (Vid. *Syllab.*).

265. — II. Igitur, absque naturalis iuris ac aequitatis violatione nequit abrogari ea personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; nec progressûs praetextu, nec forma liberioris regiminis in societate constituta, ius habet laica potestas postulandi immunitatis ecclesiasticae abrogationem.

266. — III. Catholica Ecclesia libera plane est et in suo iure in praescribendo ritus et solemnitates in administratione Sacramentorum servandos, in festis diebus indicendis, in cultu Sanctis tribuendo, quae omnia non possunt sine culpa omitti, nec mutari ab aliquo (Trid. Ses. 16, etc.).

267. — IV. Quando canonicae quaestiones examinantur, nec civilis iudex, neque alius laicus interesse oportet (De Luise, Codex Canon. p. 12).

268. — V. In quaestionibus iurisdictionis inter ecclesiasticam et civilem potestatem dirimendis, nequaquam principes et reges, et rerumpublicarum praesides superiores sunt Ecclesiae: sed ipsae a Sancta Sede Romana sunt definiendae (Vid. Syllab.).

269. — VI. *Prima sedes non iudicatur a quoque* (Can. 7, d. 21).

270. — **Ecclesia et Status.** — I. *Duae supremae mundi potestates debent concorditer procedere* ad societatem, rite pro spirituali et temporali bono, regendam.

Neque Ecclesia a Statu, aut Status ab Ecclesia separari potest, salva Societatis incolumitate, quia Religio est veluti anima, et status corpus Societatis. Cuniunctionem animae cum corpore necessariam fecit ipsa manus Creatoris; cuniunctionem vero religionis cum Statu reliquit Deus, ut facerent homines. Quare notata fuit sequens propositio: *Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia subiungendus est.* Syllab. prop. 55 (C. Ferrari, 23).

271. — II. *Pius IX damnavit sequentem propositionem:* « Neque ecclesiasticae potestatis distinctio et independentia servari potest, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis » (Encyc. *Quanta cura).*

272. — **Principatus civilis Romani Pontificis** fuit a Deo praeparatus, ex beneficiis pontificiis ortus, consensu populorum firmatus; denique, liberalitate et gratitudine Francorum regis, novis territoriis auctus.

273. — **Varia.** I. Unus est Deus, unum ius divinum, una religio, quae est catholica, quae est sanctissimum REGNUM in terris de coelesti regno participans et ad illud disponens; SCHOLA veritatis, TEMPLUM denique in quo verum sacerdotium, et vera religio completur (Cfr. C. Ferrari, 22).

274. — II. Unde Ecclesia habet suas leges, magistratus collegiales in Conciliis, iudices in Cardinalibus Romanae Curiae, Episcopis, etc. Sub uno Christi vicario Deus fundavit in terris regnum coeleste et divinum. Unde, ut recte explicat S. Aug. (Tract. 105, in Ioan.), Christus non ait: *Regnum meum non est in hoc mundo,* sed *non est de hoc mundo.* — Non ait: *Nunc regnum meum non est hic,* sed: *regnum meum non est hinc.* Ergo merito damnata haec propositio: « Doctrina comparantium Rom. Pontificem Principi libero, et agenti

in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit » (Syllab. 34).

275. — III. MONARCHICI REGIMINIS FORMAM APPELLAT PRAESTANTIOREM Pius VI [1], et Bossuet demonstrat, eam esse communiorem, quae naturae magis congruit, et melior in se, omnibus utilior est. — *Nota tamen:* Ut alibi dictum est, constat « potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo.* — Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum ; aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est

[1] " Praestantioris monarchici regiminis forma " (Pius VI, Alloc. *Quare lacrimae* 17 Iunii 1793. Vid. alia ibid., in nota). — Vid. n. 35.

ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, ut unius vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* » (Leo XIII, Enc. *Immortale Dei).*

276. — IV. *Episcopi cum Romano Pontifice gubernant Ecclesiam,* cum eo infallibiliter docent, cumque eo ligant, et solvunt; *sed absque eo, quin colligant, dispergunt,* extra episcopatum catholicum vivunt, et ut schismatici in manu proprii concilii privati remanent. V. *Philipps,* de Iur. eccl.

277. — V. « Sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt, tamquam ipsius divini Petri voce firmatae sint » (Agatho Papa, can. 2, d. 19).

278. — VI. Bellarminus, lib. 1 de Rom. Pontifice cap. 7., ita recte argumentatur: « Regimen Ecclesiae supernaturale est, nemini igitur convenit, nisi cui Deus commisit. Legimus autem in Scripturis commissum Apostolis et Episcopis eorum successoribus. Nam de Petro Apostolo dictum est: *pasce oves meas* (Ioan., ult.); et de Episcopis dicitur (Act. 20): *quos posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* De regibus nihil huiusmodi unquam legimus. » Et eodem loco ex verbis Apostoli (1 ad Corinth. 12, et ad Ephes. 4): « *Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Pastores et Doctores* »; sic ratiocinatur: « Si primi sunt Apostoli, qui Episcopi fuerunt, et qui-

bus Episcopi succedunt, certe primi non sunt reges et principes saeculi; imo, ut recte annotavit Damascenus *in secunda oratione pro imaginibus*, Apostolus reges non solum non posuit primo loco, sed nec ullo alio, ut indicaret non esse reges, Ecclesiae magistratus, sed tantum saeculi » Cfr. Soglia, l. 1, c. 1.

279. — VII. *Merito itaque Gelasius, in epistola ad Anastasium Imperatorem:* « Duo sunt, *ait*, Imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: sacerdotalis auctoritas, et regalis potestas. Utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est. » Et Osius Episcopus Cordubensis ad Constantium Imperatorem: « Desine, quaeso, et memineris te mortalem esse: reformida diem iudicii, serva te in illum diem, purum; nec te immisceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea a nobis disce ». Ergo a fortiori damnanda hodierna liberalismi (qui omnia mala collegit in unum; quique una cum effrenato rationalismo praesertim practico « omnes errores omnesque haereses continet », ait Episcopus Bermudez) praxis de introducenda aut exaltanda immixtione hominum impiorum et acatholicorum, sive gubernantium, sive subditorum, in rebus sacris contra sacrosancta Ecclesiae iura.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratiae dignitatem, quam Maria; sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis (S. Bernardin.). — Merito facta novissima, quae, cum prima esset omnium, se novissimam faciebat (S. Bernard.).

Mariam invoca. Ave Viola, parva per humilitatem, inclinis per obedientiam, terrae adhaerens per compas-

sionem, et pietatem, et affectum misericordiae erga terrenos peccatores, subtilis et suavis odoris per suaveolentem opinionem, Deum, Angelos, et homines delectantem, et temperatae complexionis per omnimodam modestiam (Rich. a S. Laur.).

MARIAM LAETIFICA. Iura Romanae Ecclesiae fortiter defendendo; romanas declarationes ac Pastoris Supremi etiam minima desideria adimplendo; doctrinas minus catholicas reiiciendo, iuxta illud Apost. ad Galat. I. 8: «Licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit» — *Filii Mariae, imitatores eius* (Rich.).

CAP. III. — DE RELATIONIBUS ECCLESIAE CUM SOCIETATIBUS CIVILIBUS.

ART. I. De relationibus Ecclesiae cum heterodoxis.

280. — **Evangelizatio.** — *Ecclesia catholica* vera societas est ordinatissima sui iuris; *divinoque consilio, nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes et nationes*, ut sempiternae illis beatitatis iter designet, expediat (Cfr. Alloc. Pii IX *Singulari quidem).*

281. — *Muneri ac officio catholici sacerdotii est* REMOTAS REGIONES PERTINGERE, *maris licet tractu disiunctissimas,* ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christiane legis disciplinam, habita Romani Pontificis missione, salubriter instituat. *Ecclesia enim missionem habuit a Domino suo auctore, ut omnes populos,*

gentes, nationes pari paterni amoris studio prosequatur, et omnium saluti consulat.

282. — Qui extra gremium Ecclesiae semper fuerunt, quales sunt Infideles et Iudaei, constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent. Contra vero, qui se Ecclesiae per susceptum Baptismi sacramentum subiecerunt, sunt cogendi. (Pius VI, Brev. *Quod aliquantum,* 10 mart. 1791).

283. — **Bella.** — I. *Absit ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam modo inimici sint iis, cum quibus eodem fidei charitatisque vinculo non sunt ligati;* qui imo illos pauperes, sive aegrotantes, sive aliis quibusque aerumnis afflictos, omnibus christianae charitatis officiis prosequi ac adiuvare semper studeant, et in primis ab errorum tenebris, in quibus misere iacent, eripere, atque ad catholicam veritatem et ad amantissimam matrem Ecclesiam reducere contendant, quae maternas suas manus ad illos adamanter tendere, eosque ad suum sinus revocare nunquam desinit, ut in fide, spe et charitate fundati ac stabiles et in omni opere bono fructificantes aeternam assequantur salutem (Pius IX, Enc. *Quanto conficiamur*, 10 aug. 1863).

284. — II. Si contigerit ut catholica aliqua natio contra aliam heterodoxam bellum gerat, nemo catholicorum principum ius habet cogendi Pontificem Romanum ut nationi heterodoxae quibuslibet modis adversetur: quia Summus Pontifex vices gerit eius qui non dissentionis, sed pacis Deus est, et venit in mundum ut inimicitiae tollerentur et pax evangelizaretur tam iis, qui procul sunt, quam iis qui prope extiterint (Pius VII, *epist. ad Imp. Napoleonem*, 21 martii 1806).

285. — III. Ecclesia catholica ius habet *principes congregandi christianos ut arma capiant contra heterodoxas potestates regna catholicarum invadentes,*

bonaque Ecclesiae rapientes. *Proditores* vero qui per se, vel per alios armis, pecuniis, aliisque rebus, vel consilio, vel ingenio heterodoxos aut paganos opitulati fuerint in bello ad catholicae religionis damnum, anathemati subiiciuntur *(Decr. lib. V de Iud. et Sarac.).*

286. — IV. *Ecclesia catholica regum et populorum omnium*, atque in iis singulorum hominum omnis conditionis, religione, *tum iura tuetur, tum officia docet ac praecipit;* ita legibus humanis sanctius fundamentum ponit et fideliorem conciliat obedientiam. Catholica doctrina non solum humanae societatis bono et commodis non adversatur, sed ea promovet eisque praebet incrementum (Pius IX in pluribus encyclicis et alloc.). *Legitimis enim principibus obedientiam detractare imo et rebellari catholica Ecclesia vetat*; et huiusmodi efferatae doctrinae magistros anathemate damnavit (Pius IX, Encyc. *Qui pluribus).*

287. — **Libertas Catholicorum**. — I. Non possunt reipublicae infideles vel haeretici praesides impedire quominus verbum Dei praedicetur, et fideles Christianam religionem profiteantur.

288. — II. Nec impedire possunt, quominus Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

289. — III. *Iure naturae*, non potest homo obligari ad falsi Dei cultus exercitium, sed liber relinqui debet ad veritatem capessendam et religionem veram profitendam (Cfr. All. Pii IX *Maxima quidem).*

290. — IV. Civili potestati ab infideli imperante exercitatae, vel etiam a fideli, non competit indirecta potestas negativa in sacra, nec proinde ius, quod vocatur *exequatur*, vel ius *appellationis*, vel *ab abusu* (Cfr. lit. Ap. *Ad Apostolicae,* 22 aug. 1851).

291. — V. *Si princeps haereticus mandet subditis*

catholicis audire conciones haereticorum, filii Ecclesiae iis obedire nequeunt, nec ritus detestabiles in templis perfidiae venerari possunt, *quamvis civiles potestates declarent se hac re nihil aliud exigere, quam obedientiam civilem,* nec velle cogere, ut a fide discedant, cum tamen reipsa contrarium velle videantur (Pius V bis rescripsit Anglis).

292. — **Prudentia.** I. Parochis saecularibus et regularibus in ditione heterodoxa degentibus Sancta Sedes praecipit, ut *caveant ullo modo se ingerere in rebus spectantibus ad politicam saecularem; nec ullum ad officia publica proponant*, quamvis aptior ceteris videatur ; *nec unquam intersint comitiis* aut conventibus, ubi de rebus publicis agitur *(Alexand. VII*, 1658, ap. De Luise, p. 14). Nota : Attende ad instructiones *particulares* pro nationibus *mixtis*, seu ubi catholici sunt numerosi, ut in Germania, etc. ubi multi inveniuntur magistratus catholici.

293. — II. *Ecclesiastici tum saeculares, cum regulares, ceterique, qui ethnicorum conversionibus dant operam*, illos non vexationibus, pollicitationibus aut vi, sed verbi Dei praedicatione, et bonorum operum exemplo inducant, *perscrutantes praecipue diligenter quo fine et spiritu ducantur qui baptizari postulant* (ibid.)— Nota: *Iudaei in superioris Africae regionibus*, praecipue in occidentali parte degentes, facile baptismum recipiunt: et facilius apostatae fient, si hac in re mature et prudenter haud procedatur. Unde, *serio* examinandi et instruendi. Saepe enim non Christum, sed humanum subsidium quaerunt...

294. — **Baptismus parvulorum.** — I. Non baptizetur infans filius heterodoxorum vel paganorum, insciis atque invitis parentibus. — Potest tamen

baptizari si sit *in periculo mortis*, vel fuerit a parentibus proiectus.

295. — II. Item, si pater iam ad catholicam religionem conversus, licet mater dissentiat, illum baptizandum offert.

296. — III. Potest etiam baptizari infans qui offeratur ab *avo paterno*, dissentientibus parentibus.

297. — IV. Item, *si pater sponte promittit se suscepturum baptisma una cum filio suo* quem tradiderit instruendum.

298. — V. *Avia paterna* potest hebraeum baptismo offerre, quamvis mater tutoresque dissentiant.

299. — **Varia.** — Laici ex iure canonico, nequeunt de fidei mysteriis publice vel privatim disputare cum haereticis. Attamen nostris temporibus, quibus haeretici et athei undique scatent, *laici eruditi* in necessitate vel utilitate Ecclesiae licite possunt inimicos fidei confundere (Cfr. C. Ferrari, *Summa Inst. Can.*, n. 63).

300. — *Haereses et errores statim opprimi debent.* Nam, 1.° « Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est ». (S. Hieron., *Galat.* c. 5, v. 9). 2.° « Haeresis velut quaedam hydra fabularum, vulneribus suis crevit; et dum saepe reciditur, pullulat igni debita incendioque peritura » (S. Ambros., *de fid. ad Gratian.* c. 6.)

301. — « Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filii coegerunt alios ut perirent? » (S. Aug., epist. 185 ad Bonifac. c. 6).

302. — Haeretici fugiendi. — I. S. Antonius Magnus « nunquam schismaticorum se miscuit communioni, antiquam eorum sciens pravitatem atque transgressionem. Numquam Manichaeis aut aliis haereticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantum ea, quae eos possent ab iniquitatis errore revocare; denun-

tians, talium amicitias atque sermones, perditionem esse animae. Sic etiam Arianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Nam cum venissent quidam Ariomanitae, reperta eorum post examinationem infidelissima secta, effugavit eos de monte, dicens, multo serpentibus deteriores horum esse sermones » (S. Athanas. in *vita S. Antonii*, n. 90, ap. Boland.). II. « Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissentiones et offendicula praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis... per dulces enim sermones et benedictiones seducunt corda innocentium » (Rom. 16, 17-18). III. D. Irenaeus (*contra haeres.* l. 3, c. 2) narrat, quod Ioannes Evangelista Cerinthum videns sese in balneo lavantem, statim fugit: unde « tantum Apostoli et eorum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem ».

303. — *S. Gregorius Magnus* (l. 1, ep. 74) *vehementer laudat Gennadium patritium et exarcham Africae, quod magno studio haereticos armis prosequeretur.* « Cognovimus, inquit, eos contra catholicam Ecclesiam, Domino eis adversante, colla subrigere, et fidem velle christiani nominis inclinare: sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, et superbas eorum cervices iugo rectitudinis premat. » — *Ipse Petrus Bayleus* multa dat argumenta in *commentar. Philos.*, ad illa verba: *compelle intrare*; ut conficiat, puniendos esse atheos et haereticos, qui morum regulas corrumpunt, qui turbas in republica excitant, qui ministris iniuriam irrogant, qui malae fidei sunt, qui societati inferunt detrimentum. Ex quibus omnes poenas a catholicis contra haereticos constitutas vindicari, late ac nervose ostendit Gauchatus. *Ita Devoti*, vol. II, p. 237. — Cfr. Bossuet, *Hist. variat.* l. 10, c. 56.

Art. II. De relationibus Ecclesiae cum Orthodoxis.

304. — **Praenotandum.** — I. Orthodoxi dicuntur, qui *veram et integram* catholicam fidem sub uno visibili Ecclesiae Capite, Romano Pontifice, profitentur. *Unde* patet, non esse orthodoxos Graecos orientales ab Ecclesia catholica divisos, et Russiae religionis cultores, licet « orthodoxos » magno fastu se appellent [1]. — II. Pius IX, *Syll.* 54, *damnavit* sequentem propositionem : « Reges, et principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia. »

305. — **Bona ex Religione.** — Principes et reges, Ecclesiam catholicam sinant uti legibus suis, nec libertati eius quemquam permittant obsistere. Certum est enim hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre. (S. Felix, *epist. ad Zenonem imp.* - Pius VII, Encyc. *Diu satis*, 17 mai. 1800).

306. — Quae omnia exponit Leo XIII in Encyclica *Immortale Dei:* « Eorum vim bonorum (ait Pontifex) mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis: « Tu pueriliter pueros, fortiter iu-
« venes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tan-
« tum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu
« feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed
« ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societa-

[1] *Orthodoxus* seu *rectae opinionis* accipitur pro catholico, et e contra Heterodoxus. *Orthodoxia* seu *recta opinio* accipitur pro sana ac catholica doctrina (Cfr. Macri, *Hierolexic.*)

« tem, castâ et fideli obedientiâ subiicis. Tu viros « coniugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, « sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus « filios libera quadam servitute subiungis, parentes « filiis pia dominatione praeponis... Tu cives civibus, « tu gentes gentibus, et prorsus homines, primorum pa« rentum recordatione, non societate tantum sed qua« dam etiam fraternitate, coniungis. Doces reges pro« spicere populis, mones populos se subdere regibus. « Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus re« verentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus ad« monitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus « objuratio, quibus supplicium, sedulo doces; osten« dens quemadmodum et non omnibus omnia, et omni« bus charitas, et nulli debeatur injuria. » — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos: « Qui doctrinam Christi adversam dicunt « esse reipublicae, dent exercitum talem, quales do« ctrina Christi esse milites jussit, dent tales provin« ciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, « tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, « tales judices, tales denique debitorum ipsius fisci « redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina « christiana, et audeant eam dicere adversam esse rei« publicae, immo vero non dubitent eam confiteri ma« gnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae. » — Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Jesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret: cum sacerdotium

atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque expectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, « cum regnum « et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mun« dus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se « discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed « etiam magnae res miserabiliter dilabuntur ». (Hucusque Leo XIII).

307. — **Errores de Iuribus Ecclesia.** — *Errant gravissime qui dicunt: a)* « Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu ».

308. — *b)* « Episcopis sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas litteras promulgare ».

309. — *c)* « Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae ».

310. — *d)* « Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *Exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant *ab abusu* ».

311. — *e)* « In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet ».

312. — *f)* « Laica potestas habet per se ius praesentandi episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas litteras accipiant ».

313. — *g)* « Imo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem ».

314. — *h)* « Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad coscientiarum normam pro suo munere edunt ».

315. — *i)* « Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent ». — Huiusmodi errores proscripti habentur in syllabo prop. 20, 28, 29, 41, 42, 50, 51, 44, 49.

316. — **Alii errores de iuribus Ecclesiae:** — *a)* « Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat ».

317. — *b)* « Non pertinet unice ad ecclesiasticam

iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam ».

318. — *c)* « Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum ».

319. — *d)* « Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur ».

320. — *e)* « Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant ».

321. — *f)* « Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent ».

322. — *g)* « Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia ».

323. — *h)* « Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia seiungendus est ».— Isti autem errores damnantur in Syllabo prop. 11, 33, 45, 46, 52, 53, 54, 55.

324. — **Unio potestatum**. — Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos quibus contineatur terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos... Alteri proxime maximeque

propositum *est* rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: caetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. (Leo XIII. Enc. *Immortale Dei* 1 Nov. 1885).

325. — « Inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur ». (Ibid.). Igitur voluit Christus, ut « in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt coelestia concredita. Huiusmodi autem compositione ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. (Leo XIII. Enc. *Arcanum*, 10 Febr. 1880).

326. — **Varia.** — I. Rex est qui sapienter regit, ordinate vivit, potenter malum reprimit, et vindicat, innocentibus parcit, miseris iniuriam non permittit, de suscepta potestate non superbit, sed omnibus condescendit. (S. Bonav.).

327. — II. Ex ipsis protestantibus, qui saniores sunt, ultro fatentur atque ostendunt, nullo modo tolerandos illos, qui Deum negant, aut qui eum nullam omnino habere censent rerum humanarum procuratio-

nem, quae monstra opinionum ipsi quoque civili reipublicae maxime perniciosa esse docet Cicero, *De natur. deor.* lib. I. (Devoti).

328. — III. *Catholicis certum fixumque est, tolerandos non esse homines a catholica veritate alienos*, eosque meritis quoque poenis esse coercendos, atque id late demonstrant Suarezius, de fide, sess. 3, disp. 20 per tot. et Bellarminus, de laicis, lib. 3, cap. 21 et 22 (ib.). Nota: 1° Si quis quaerat cur pacem nolumus in rebus fidei cum sectis adversariis, facilem ei dabimus responsionem illis Tullii verbis (si ipsis hac in re uti liceat): *Cur pacem nolumus? quia turpis est, quia periculosa est; quia esse non potest.* Philipp. 2. (Scavini-Del Vecchio, *Theol. Mor.* IV. n. 156). 2° Hieronymus, cum suo tempore in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter exclamasse: *Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est.* (Ibid. II, 857).

329. — IV. « Sunt duo libri mei contra partem Donati, in quorum primo dixi, non mihi placere, ullius saecularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et vere tunc mihi non placebat, quoniam nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre potest diligentia disciplinae ». (S. Aug. Retract. 12, c. 5).

330. — V. Indifferentismus civilis *in praxi* nihil aliud est quam occultum impiorum consilium, ut indifferentismum theologicum seu religiosum confirment, et veram religionem subvertant si fieri possit.

331. — Leo XII, Enc. *Ubi primum*, ostendit quam facile indifferentismus religiosus convertatur in *deismum*, imo in *atheismum* ac *materialismum*. Pontifex

autem Pius IX Enc. *Qui pluribus*, vocat indifferentismum *systema horrendum*, ac vel ipsi naturalis rationis lumini maxime repugnans; eumque iterum damnat, ut videre est in *Syllabo*. (Scavini–Del Vecchio II, 857).

332. — Et Leo XIII, Enc. *Immortale Dei:* « De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse ».

333. — VI. Si interdum mali gravioris metus, atque periculum expelli non sinit e civitate haereticos caeterosque similes, licet exlegi necessitati morem gerere et obtemperare. Tunc autem hi homines in civitate retinentur, sed ita tamen retinendi sunt, ut eorum error latius manare non possit, neque caeteri ex eorum societate detrimenti aliquid accipiant. (Devoti).

334. — VII. Potestas in principes. Alii plures cum Bellarmino (De Rom. Pontifice, 1. v.), tuentur Pontificem non habere directe et immediate illam potestatem temporalem, sed solam spiritualem ; tamen ratione spiritualis habere saltem indirecte potestatem quamdam, eamque summam in temporalibus. Quae Bellarmini opinio *de indirecta potestate* Romae aegre tunc audita fuit. Alii tandem et quidem volunt accuratius cum Marchetti (in Opere, *Della Chiesa quanto allo stato politico della città;* confer. 9ª par. III. Rimini, 1824, ubi nervose sententiam suam tuetur),

Pontifices nulla neque directa neque indirecta temporali potestate potiri in contumaces principes, ut ideo eos regno privent; sed gaudere tantum spirituali potestate, vi cuius tamen directe possunt imperantes expoliare imperio si eo abutuntur ad subversionem fidelium. Certum est (ait vel Leibnitzius), qui habet plenam auctoritatem curandi salutem animarum, ipsum habere per consequens et natura sua, etiam directam et plenam auctoritatem tyrannos, qui fideles ad interitum ducunt, reprimendi, coercendi, puniendi et privandi, si opus, ea qua abutuntur regia auctoritate. Audiatur D. Thomas: « Qui fidem susceperunt, potest sententialiter *(Ecclesia)* « punire, et convenienter in hoc puniuntur, quod sub- « ditis fidelibus dominari non possunt; hoc enim ver- « gere posset in magnam fidei corruptionem quia homo « apostata pravo corde machinatur malum et iurgia « seminat, intendens homines separare a fide. Et ideo « quam cito aliquis per sententiam denuntiatur, excom- « municatus propter apostasiam a fide, ipso facto eius « subditi sunt absoluti a dominio eius, et iuramento « fidelitatis quo ei tenebantur. » (2. 2, q. 12, a. 2). Et hoc sensu sua semper Pontifices potestate usi sunt: sic Gregorius VII in depositione Henrici IV die 17 martii 1080, ne unum verbum facit de directa vel indirecta temporali hac potestate, sed se id egisse declarat vi potestatis clavium sibi a Christo traditae [1]. Item In-

[1] S. Gregorius PP. VII, in fine Const. *Beate Petre*, 7 martii 1080, qua Henricum Imperat. deposuit. BB. Apostolos Petrum et Paulum invocans, concludit: " Agite nunc, quaeso, Patres et principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat, quia si potestis in coelo ligare et solvere, potestis in terra imperia, regna, principatus, marchias, ducatus, comitatus, et omnium hominum possessiones pro meritis tol-

nocentius III, Const. *Novit ille* anno 1204, cum Ioannem Angliae regem exauctoravit: « Non quod velimus « *(aiebat)* iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat « iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos spe« ctat sine dubitatione censura. » (Scavini-Del Vecchio, *Theol. Moral.* vol. IV, n. 108).

335. — Ad rem ergo faciunt quae habet Seraphicus: « Recognoscant igitur pontifices Christi ac sacerdotes, quod a Dominatore universae terrae receperunt supremum dominium, et a diebus saeculi non solum hominibus, imo et angelicis spiritibus penitus inauditum... Patet igitur, quod dignitas clericalis, quae in sua radice considerata, est penitus spiritualis, merito est consona ordini Dominationis, *quae sic praecedit alios inferiores ordines, quod illos illuminat, perficit et purgat, et tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur.* Quia sicut spiritus dignitate et officio praecellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est quam saecularis; et ideo bene sortitur nomen Dominationis. Unde REGALIS POTESTAS SUBIACET POTESTATI ET AUCTORITATI SPIRITUALI, sicut in prima canonica (Petri 2, 9) dicitur: *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium* etc. Nam

lere unicuique et concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis, quid de saecularibus vos posse credendum est? Et si Angelos, dominantes omnibus superbis principibus iudicabitis, quid de illorum servis facere potestis? Addiscant nunc reges et omnes saeculi principes, quanti vos estis, quid potestis; et timeant parvipendere iussionem Ecclesiae vestrae; et in praedicto Henrico tam cito iudicium vestrum exercete, ut omnes sciant, quia non fortuitu, sed vestra potestate cadet. Confundatur utinam ad poenitentiam, ut spiritus sit salvus in die Domini „.

temporale regnum velut quoddam adiectum subiacet sacerdotio in novo Testamento, sed in veteri Testamento sacerdotium subfuit regno. Unde dicitur in Exodo (19, 5-6): *Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale regnum* etc., ubi regnum ponitur substantive, sed sacerdotium adiective; et ideo reges tunc poterant amovere ab officio Summos Sacerdotes, sicut Salomon amovit Abiathar (3 Reg. 2, 27). Iam vero possunt sacerdotes et pontifices ex causa amovere reges, et deponere imperatores, sicut saepius accidit, et visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, et reipublicae necessitas sic requirit. *Summus vero Pontifex penes quem prima in terris residet auctoritas, non a rege, non a principe saeculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reservatur; spiritualis* enim homo *iudicat omnia, et a nemine*, nisi a solo Deo, *iudicatur.* » I. Cor. 2, 15. (S. Bonav. *de Eccles. Hierarc.* part. 2, cap. 1).

Art. III. **De Concordatis.**

336. — **Definitio.** — Concordatum *est conventio ab Apostolica Sede cum principe saeculari inita de relationibus Ecclesia et Status;* vel melius *Lex particularis Ecclesiastica pro aliquo regno Rom. Pontificis auctoritate edita ad instantiam Principis eius loci, speciali eiusdem obligatione confirmata se eam perpetuo servaturum.* Unde, concordata sunt veluti foedera et privilegia; sunt concessiones, seu derogationes Iuri canonico communi factae, faciuntque legem pro nationibus seu dioecesibus regionum pro quibus inita sunt.

337. — **Origo** et vis Concordatorum. — *Concordata ducunt originem a summa prudentia Rom. Pon-*

tificum, qui pacis procurandae causa, Principum relationes cum Ecclesiis particularibus ordinant. Quoad tempus vero, origo Concordatorum repetenda est a contestationibus Philippi Pulchri contra Bonifacium VIII, ac consequenter a *Zelotypia Status,* qui immerito suspicans invasiones suorum iurium ex parte Ecclesiae, illam indigne tractavit, ac variis modis insecuta est, praecipue usurpationibus potestatis ecclesiasticae quas Status legitimare contendebat. Quae omnia peiora postea facta sunt, protestantismi accedentibus perniciosis influxibus in civitatum gubernio.

338. — Quapropter pia Mater Ecclesia, ut tot calamitatibus occurreret, fortiter pugnavit adversus errores et usurpationes sive per Constitutiones, sive per anathemata, sive per salutaria monita, etc. Deinde, ad aemulationes Status destruendas, iniit varia Concordata, quibus aliqua de exercitio seu usu mediorum haud necessariorum concessit saeculari potestati, ut ista liberam relinquat ac tueatur Eccleriam in saluberrima sua missione, et pace restituta, optimi renasci possint fructus ex utriusque potestatis unione oriundis.

339. — Ergo 1° Ecclesia non renuntiat suae potestati, sed solummodo sibi restringit *usum* quorumdam mediorum. 2° Status vi pacti seu Concordati, tenetur erga Ecclesiam ad illa ad quae ex iure naturali et divino positivo iam tenebatur. 3° Ecclesia in Concordatis dat quae non debet, et accipit quae iam ipsi debebantur. 4° Pontifex init Concordata, qua talis, seu qua Papa. Ergo principatus civilis Romani Pontificis non est causa vim praebens Concordatis: ergo sacrilega usurpatio dicti principatus non minuit Concordatorum robur.

340. — *Novissima Concordata differunt a prioribus* in eo quod non tantum quasdam res disciplinares spe-

ctent; sed potissimum eo tendunt, ut a potestate civili iura Ecclesiae agnoscantur, vel saltem salva sit libertas catholicorum.

341. — **Teneto** I. *Romanus Pontifex potest vera inire Concordata.* Quia potest omnia quae videntur necessaria vel utilia bono Ecclesiarum et fidelium; et nihil magis necessarium quam nobilis concordia cum societatibus civilibus.

342. — II. *Errant, qui impugnant modum agendi Rom. Pontificis in Concordatis ineundis.* Quia *causa* Concordatorum est summa prudentia pontificalis, et *finis* est bonum generale. Hinc a veritatis et prudentiae norma alieni dicendi sunt illi catholici, in doctrina canonica haud sufficienter versati, qui peroptare videntur quamdam separationem inter Ecclesiam et Statum, et Concordatorum denuntiationem (abrogationem). Etenim, etiam temporibus infaustis, Ecclesia abhorret ab ista separatione, et pro viribus curat salutarem pacem et concordiam legitimam. Aliunde, formula *Ecclesia libera in Statu libero* a Montalembert invecta, « nunquam fuit immaculata, sed semper importavit errorem separationis, scilicet Ecclesia a Statu, quae res *per se anormalis est*, et proinde non potest assumi ut formula exhibens legitimum progressum », ait De Angelis.

343. — III. Concordata igitur init Ecclesia ob gravissimas causas, et, attentis temporum adiunctis, ob maiorem Ecclesiae utilitatem. Omnes vere catholici laudare et defendere tenentur Ecclesiae praxim circa Concordata, (et circa omnia alia), nec quisquam fidelis sapientiorem et prudentiorem se praesumat Summo Magistro, Pontifice scilicet Romano Christi in terris Vicario.

344. — IV. *Concordata saepissime quidem sunt infausta signa,* veluti cum Pater nequit habere pacem

cum filiis suis, nisi cum eis de familiaribus rebus paciscendo. Unde dici solet: *Historia Concordatorum, historia dolorum.* Novissima tamen, sicut antiqua Concordata maximi facienda. Per ipsa enim novo lumine splendet sublimitas catholicae religionis, quae et regibus et principibus, et bonis et malis apparet ut suprema Moderatrix, cuius amicitiam, veluit nobis iniquii, omnes populi quaerere debent [1].

345. — V. *Concordata vim legis habent, et religiose observanda sunt.* Constat ex dictis, et Prob. 1° Quia ephemeris Gallica *L'Avenir* 1831, cum asseruerit Concordata non esse obligatoria, Gregorius XVI eam doctrinam reprobavit. Et Leo XIII, Enc. *Nobilissima*, ait: « Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem rei publicae, concordiam manere integram. » 2° Quia Concordata feruntur auctoritate supremae potestatis ecclesiasticae, habentque rationem contractus. 3° Quia

[1] In Concordatis ineundis Ecclesia benignissima existit, prout temporum locorumque adiuncta postulant. Et revera quoad Borussiam, haec benignissime declarabat Leo XIII: " Tantum Nobis studium fuit et inest adhuc animo restituendi solidis innixam fundamentis concordiam ac pacem, ut declarare supremis rerum Moderatoribus non omiserimus, propositum esse Nobis usque eo Nos morigeros eorum voluntati praebere, quo per divinas leges et conscientiae officium liceret ". Tamen, Pontifex nunquam concedit quae concedi non debent: " Quamquam enim sincero pacis studio teneamur, non tamen fas est Nobis contra ea, quae divinitus constituta et sancita sunt, quidquam audere; pro quibus profecto, si ad ea tuenda opus esset extrema quaeque perpeti, exemplo Decessorum nostrorum non dubitaremus " (Leo XIII, Encycl. *Jampridem* ad Borussiae Episc.).

Pius IX, Alloc. *In Consistoriali.* 1 Nov. 1850, declaravit: « Non solum Religionis, sed etiam Civilis Ordinis, ac publicae privataeque rei omnino interesse, ut Ecclesiasticae eaedem Conventiones sanctae atque intemeratae habeantur; quandoquidem earum vi ac iure contempto et labefactato, aliorum quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret ».

346. — VI. Merito damnata fuit, in *Syllab.* sub n. 43, sequens propositio: « Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas, solemnes conventiones (vulgo concordata) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, imo et ea reclamante ».

347. — VII. *Si regnum in quo viget Concordatum,* QUALIBET DE CAUSA *ad novas provincias extendatur, illud absque consensu S. Sedis nequit ad istas extendi.* Quia concordatum sequitur tantum territorium pro quo initum fuit, ut merito declaravit Pius VII.

348. — VIII. REGIMINIS CIVILIS IMMUTATIO IN ALIQUO REGNO NON *importat extinctionem aut mutationem Concordati.* Quia quilibet in aliquo regimine succedens tenetur observare foedera et pactiones cum altera parte legitime semel initas.

349. — DENUNTIATIO CONCORDATI est publica proclamatio rescissionis vel cessationis pacti. Unde, ex hucusque dictis, patet solum S. Pontificem esse iudicem causae abrogationis, modificationis et interpretationis Concordatorum, cum et ipsa temporalia quae Status spondet, habenda sunt saltem pro rebus fini spirituali destinatis, circa quas Status nihil potest.

350. — **Varia.** — I. Indipendentia potestatis Rom. Pontificis non ligatur *in se* per Concordata, sed *quoad usum.* Id est: *plenitudo potestatis*, quatenus ex iure

divino respicit commune bonum Ecclesiae, nunquam ligatur; *usus* vero potestatis aliqua in re ligatur per Concordata, in eo sensu quod Concordata religiose observanda sint, quamdiu conditiones a potestate civili non violantur.

351. — II. Si tractu temporis res eo deveniat, ut circumstantiis mutatis *Concordata* servari sine detrimento salutis aeternae ideoque sine peccato non possint, Ecclesia curabit rem primo componere mutuo consensu; sin id minus succedat, a fide data merito recedet, quandoquidem in eo casu vera etiam pacta vi sua deficiunt (cfr. Tarquini, *Juris ecclesiastici publici instit.*).

352. — III. « Plenitudo enim Potestatis Pontificiae ex iure divino respicit bonum commune Ecclesiae: *ergo quomodocumque paciscatur Summus Pontifex, non potest excludere hanc conditionem: nisi aliud exigat commune bonum Ecclesia;* atque in ordine ad hoc ipsum condita erectaque sunt Concordata: medium vero desinit esse tale, dum evidenter fini intento adversatur » (Barthel. diss. gen. de Concord.).

353. — IV. « Pacta haec proprie loquendo *synallagmatica* dici fortasse nequeunt, saltem ut communiter hodie hoc verbum assumitur, nec *coaequari in totum pactis internationalibus*, in quibus utraque pars de proprio dat et de alieno suscipit. Hic autem Ecclesia de proprio remittit et largitur; ex parte vero Saecularis potestatis non habetur, nisi eadem obligatio naturalis *aucta vi pacti.* » (De Angelis) — *Unde*, ex parte Ecclesiae obligatio enascitur *ex ultronea Pontificis promissione,* non autem ex conditione rerum, neque ex exigentia conditionis Status civilis (cfr. id.). Ecclesia semper fuit fidelis in hisce promissionibus; ast non semper Status.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Actus perfectae charitatis, quos beata Virgo habuit in hac vita, innumerabiles fuerunt, quae fere totam vitam in contemplatione transegit et hunc amoris actum frequentissime repetebat (Suarez). Adeo ut nec actio contemplationem minueret, et contemplatio non desereret actionem (S. Petr. Dam.).

MARIAM INVOCA. O Maria! *Tu es* « ignis inflammans frigidos, et tepidos ad Dei amorem, et dilectionem, purgans immundos a peccatis, illuminans tenebrosos per ignorantiam ad Dei cognitionem, uniens, et copulans Deo homines ab eo elongatos et divisos » (Bernardin. de Bustis).

MARIAM LAETIFICA. Dei et Beatissimae Dominae nostrae amorem unice quaerendo. Ama, et fac quod vis: amando enim fideliter divina mandata servabis, et ab omni voluntaria transgressione alienus eris. — *Filii Mariae imitatores eius...*

TRACTATUS DE HIERARCHIA IN GENERE

CAP. I. — NOTIO HIERARCHIÆ

354. — I. « HIERARCHIA, secundum Dionysium *(de eccl. hier.* c. 1), est *potestas ordinata ad dispensandum sacra omnia potestati subiecta.* In potestatibus autem ordinatis, quidquid potest inferior, etiam potest superior, *at non e converso.* Unde et *ipse hierarcha habet totam potestatem in se ordinatam*, quae est hierarchia per varios gradus distributa. Unde nominans hierarchiam, nominat omnem hierarchicam potestatem. Unde docet Dionysius (ibid.), quod licet ille hierarcha aliis tradat sibi subditis potestatem, manet tamen apud eum ordinaria potestas ad agenda omnia quaecumque per sibi subditos fieri possunt ad salutem fidelium procurandam » (S. BONAV. *Expos. Regulae*, cap. 9).

355. — II. « *Sicut inter coelos est ordo magni, maioris et maximi*, ut quoddam coelum sit infimum, quoddam medium, quoddam summum, ita tamen quod est influentia superiorum in infimos, et non inferiorum in summos; est etiam ponere coelum, quod est creatione primum, quod est situ altissimum et influentia maximum, sicut est coelum empyreum, quod influit in omnia inferiora et media, et a nullo ipsum recipit influentiam; sic et *in Ecclesia Dei quidam sunt praelati minimi, ut parochiales presbyteri, quidam medii ut Episcopi, quidam maximi ut Patriar-*

chae, EX QUIBUS ROMANUS EST DIGNITATE SUMMUS ET INFLUENTIA MAXIMUS, EO QUOD IPSE AUCTORITATEM DAT ALIIS, ET OMNIBUS PRAECIPIT, ET IPSE A NEMINE RECIPIT, QUIA COELO PRIMO PER OMNIA EST SIMILIS » (id. *Serm. 1 de St. Apost.*).

356. — III. « ***Sedes Apostolica immediate curam*** « ***Ecclesiae habet***, **a qua caeteri Ecclesiarum pastores,** « **tam maiores, quam minores, gubernandi suscipiunt** « **auctoritatem, tam mediate, quam immediate, et a** « **qua omnes canonum leges emanant** » (id. *Determinat. quaest. circa Regul. S. Franc.*).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Maria est « Antistes summa christianorum. Antistes vitae in gratiam cum Filio nos reducens » (S. Ioan Damasc.).

MARIAM INVOCA. O Maria, adiuva nos, quia Tu es « adiutorium nostrum quo universas inimicorum insidias sine laesione pertransimus » (id.).

MARIAM LAETIFICA. Strictissima et obedientissima cum Apostolica Sede coniunctione. - *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. II. — DIVISIO ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ

---

357. — I. *Hierarchia est vel* ORDINIS, *vel* IURISDICTIONIS. *Prima* est sacramentalis, qua quis capax redditur ponendi actum ordinis; *secunda* per simplicem

iniunctionem confertur, ut quis possit gubernare, regere et leges ferre [1]. — II. Heterodoxi rite ordinati, ordinis potestatem habere possunt; secus *per se* iurisdictionis, quia non habent legitimam *missionem*. — III. *Utraque potestas distincta est:* Unde potestas *iurisdictionis* aut *regiminis* non ita cohaeret ordini ut ab ea seiungi non possit. — IV. Potestas *ordinis* nunquam amitti potest; potestas vero *iurisdictionis* potest revocari. Illa *absolute* non requirit subditos; ista e contra.

358. — **Varia.** — I. Sunt qui triplicem hierarchiam faciunt, nimirum *ministerii*, *magisterii* et *imperii*. Potestas *ministerii* eadem est ac potestas *ordinis;* potestas *magisterii* ea est, quae res fidei et morum docet, ac definit; potestas demum *imperii* eadem est ac potestas iurisdictionis (cfr. Card. Soglia). *Melius dicendum* cum D. Th. « Spiritualis potestas, una quidem sacramentalis est, alia iurisdictionalis. Sacramentalis... quae per aliquam consecrationem confertur... Potestas autem iurisdictionalis est, quae a simplici iniunctione hominis confertur » (2, 2, q. 39, a. 3).

359. — II. *Conc. Tridentinum definivit* tum *ordinationem*, tum *missionem* esse necessariam, ut quis possit esse legitimus verbi Dei et sacramentorum minister,

[1] « Intelligant fideles, qui in Ecclesiasticum ordinem cooptari volunt, ad quodnam officii genus vocentur, quantaque ipsi Ecclesiae, eiusque ministris potestas divinitus tributa sit. Ea autem duplex est; ordinis et iurisdictionis. Ordinis potestas ad verum Christi Domini corpus in sacrosancta Eucharistia refertur. Iurisdictionis vero potestas tota in Christi corpore mystico versatur; ad eam enim spectat christianum populum gubernare et moderari, et ad aeternam coelestemque beatitudinem dirigere. (Cat. Conc. Trid., de Sacr. Ordin.).

et eos anathemate percussit, qui contrarium dicerent, (Sess. 23, can. 7).

360. — **Doctrina Concili Tridentini de Hierarchia** (sess. 23, cap. 4 et can. 6, 7, 8): I. « Quoniam vero in sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest; merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores ».

361. — II. « Proinde sacrosancta Synodus declarat, praeter caeteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent ».

362. — III. « Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et caeterorum Ordinum, nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio:

quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse. Haec sunt, quae generatim sacrae Synodo visum est Christifideles de sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit: ut omnes adiuvante Christo fidei regula utentes, in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint ».

363. — IV. « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit ».

364. — V. « Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde, veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit ».

365. — VI. « Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. *Maria* est « Mare amarum, quia mundanas delicias amaricat amatoribus suis, et amari-

tudinem praesentem dulcorat charitatis igne, gratiam eis subministrando » (Rich. a S. Laur.).

Mariam invoca. O Maria, « numquam sinas in me spinas vitiorum crescere: quae ad fructum nos virtutum doces semper tendere » (S. Anselm.).

Mariam laetifica. Perfecta erga potestates Ecclesiae obedientia. — *Filii Mariae imitatores eius...*

TRACTATUS DE HIERARCHIA ORDINIS

CAP. I. — NOTIO HIERARCHIÆ ORDINIS

366. — **Tenendum.** — I. Divina igitur ordinatione in Ecclesia catholica instituta est hierarchia, quae *constat Episcopis, Presbyteris et Ministris.* In Sacramento Ordinis sicut in Baptismo et Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest. Merito proinde Tridentina Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatum, iterum laicum effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceat.

367. — II. *Summus hierarchiae ordinis* gradus habetur in Episcopo, quem sequuntur Presbyteri et Ministri. Unde Episcopus ex Innoc. III est *summus* (sive magnus) *Sacerdos*, qui ordinis plenitudinem habet. *Ratione iurisdictionis*, SOLUS PAPA *est summus ac supremus Sacerdos*. Unde *solus* vocatur summus Pontifex, supremus Pastor.

368. — Catech. Concilii Tridentini, de Sacr. Ordin., haec habet: « Verum ordinis potestas non solum consecrandae Eucharistiae vim, et potestatem continet: sed ad eam accipiendam hominum animos praeparat, et idoneos reddit, caeteraque omnia complectitur quae ad Eucharistiam quovis modo referri possunt.

369. « Eius vero plura ex sacris Litteris testimonia afferri possunt; sed illa praeclara, et gravissima sunt quae apud sanctos Ioannem et Matthaeum leguntur: inquit enim Dominus: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Et: Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelo. Quae quidem loca a pastoribus ex sanctorum Patrum doctrina, et auctoritate explanata, maximum veritati lumen afferre poterunt ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Maria est « arx inviolabilis ad se recurrentium » (S. Ioan. Damasc.).

MARIAM INVOCA. Ora pro nobis et salva nos, o Maria; Tu enim es: « auxilium promptum ac paratum christianorum (id.).

MARIAM LAETIFICA. Pià ac vere sacerdotali conversatione. – *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. II. — DE EPISCOPIS

370. — **Tenendum.** — I. Ecclesiae hierarchia est divina ordinatione velut castrorum acies ordinata; hinc praeter caeteros ecclesiasticos gradus, Episcopi qui in Apostolorum locum successerunt ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinent, et positi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, iique superiores presbyteris sunt,

ac sacramentum Confirmationis conferre, et ministros Ecclesiae possunt ordinare, atque alia pleraque peragere, quarum functionum potestatem nullam habent inferioris ordinis Ministri (Cfr. n. 659-664).

371. — II. Episcopus *est filius simulque frater* supremi Episcopi, sed hic primogenitus et caput est omnium Episcoporum, Pastor pastorum, Pater patrum, Supremus Hierarcha...

372. — III. Episcopus habere debet et *ordinem* et *iurisdictionem* ut *pastoris* munus exercere possit.

373. — IV. *Nullus Episcopus veram iurisdictionem habere potest absque approbatione, aut saltem consensu Romani Pontificis.* Unde qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate, ac magistratu vocati, et instituti ad haec ministeria ecclesiastica exercenda ascendunt... latrones per ostium non ingressi habendi sunt. — Unde merito Pius IX damnavit ac reprobavit sacrilegam ordinationem apostatae Reinkens veterum-catholicorum Episcopi. — ATTAMEN *episcopus valide sed illicite ordinatus vere ordinat et consecrat,* sed gravissime peccat.

CAP. III. — DE PRESBYTERIS ET MINISTRIS

374. — I. **Presbyteri,** ut dictum est, sunt ex ordinatione divina inferiores Episcopis. — II. Primum Sacerdotum munus circa Eucharistiam versatur

375. — **Diaconi et Ministri** (vid. *Theol. Mor.*). Et hic nota quod ad ordinem hierarchicum proprie pertinent saltem Episcopi, Presbyteri et Diaconi. Saltem enim Diaconi nomine *Ministrorum* in sensu tridentino intelligi debent *(ex capite ordinis hierarchici).*

376. — **Varia.** — I. Sacerdotes a sacris faciendis appellati sunt. Vocantur etiam *Presbyteri*, latine *seniores*, magis tamen sapientiae, quam aetatis gratia. Omnis eorum potestas vel ex Ordine. vel ex iurisdictione procedit.

377. — II. Eodem Presbyteri et Sacerdotis nomine vocabantur etiam Episcopi. Sed, ut plurimum, ne quis esset errori locus, Episcopi aut *summi sacerdotes*, aut *sacerdotes primi ordinis:* Presbyteri autem *secundi ordinis sacerdotes*, aut *sacerdotes secundi appellati sunt* (cfr. Devoti).

378. — III. Diaconi ab Apostolis instituti sunt numero septem, quem numerum diu Romana Ecclesia retinuit. Electi autem sunt non tantum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent. Explicat eorum munera Pontificale Romanum his verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, praedicare.*

379. – IV. Diaconos ipsis Presbyteris dare ausos Eucharistiam coercuit Nicaena Synodus (canon. 18).

380. — V. Acolythi quasi perpetui testes erant et comites Episcoporum; et hinc magna erat eorum fides. Erat autem in Ecclesia Romana maior acolythorum, quam aliorum separatim minorum Clericorum numerus, quoniam illorum plura erant officia; et vero alii dicebantur *palatini*, qui Summo Pontifici inserviebant; alii *stationarii*, qui in templis aderant, in quibus stationes celebrantur; alii *regionarii,* qui nomen ducebant ab Urbis regionibus in quibus cum diaconis munus suum exercebant (Devoti).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. *Maria* nihil unquam elegit, nisi quod divina sapientia demonstrabat; tantumque dilexit Deum, quantum a se diligendum existimabat (S. Bernard.).

Quia tota ardens fuit, omnes se amantes, eamque tangentes incendit, et sibi assimilat (S. Bonav.).

Mariam invoca. *Ave* amatrix amorosissima universorum, per quam Deus et conditor noster factus est Salvator et frater noster (Dion. Carth.).

Mariam laetifica. Ecclesiae ministros venerando. Proprii status obligationes adimplendo. Supremum Hierarcham ubique defendendo. - *Filii Mariae imitatores eius...*

TRACTATUS DE HIERARCHIA IURISDICTIONIS

CAP. I. — DE ROMANO PONTIFICE

381. — **Praenotandum.** — I. « Hoc sana fide tenendum est, quod Dominus suo Vicario plenitudinem potestatis contulit, *et tantam utique recepit potestatem, quantam decebat homini puro dari;* et hoc ad aedificationem corporis sui, quod est Ecclesia. Unde super hoc non temerarie iudicare, sed gratias plurimas Deo debemus agere » (S. Bonav., *4*, *dist. 20*, *p. 2*, *a. 1*, *d. 4)*.

382. — II. « Summus Pontifex plus potest quam omnes Episcopi, eo quod plenitudinem habeat potestatis super omnes » (S. Bonav., *4*, *dist. 20*, *p. 2*, *a. 1*, *q. 6*, *fund. 3)*.

383. — III. « Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia nec interdictum ponere nec arctare potuit, nec ei praeiudicare, nec ligare eam ad aliquid » (S. Bonav., *4*, *dist. 11*, *a. 1*, *q. 1)*.

384. — IV. « Locum tenent (Episcopi) Apostolorum, super Apostolos autem est Christus, et post Petrus. *Oportet ergo esse Patrem Patrum, quem nos Papam vocamus; qui tamen propter humilitatem quatuor habet* Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, Antiochenum. Et de his loquitur

Isaias (19, 18): *Erunt quinque civitates loquentes lingua Chanaan*. Roma autem universalis est; ideo *civitas solis vocabitur una* (ibid.). Quia etsi aliae quatuor sedes plenam auctoritatem habeant super Ecclesiis partialibus, sola tamen Roma universaliter sicut sol super planetas habet plenitudinem potestatis super omnes. Et secundum hoc sunt tres ordines, non quidem propter novi characteris impressionem, quia ultra sacerdotium non est gradus, sed propter eminentiam et potestatem. Primus respondet Thronis, secundus Cherubim, tertius Seraphim, quia oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem (Tit. 1, 9). Papa autem debet esse perfectissimus inter omnes » (S. Bonav., *Serm. 22, in Exaem*).

385. — **Praecipua nomina quibus Papa et Romana Sedes a traditione donatur.** — I. Petri cathedra Ecclesia principalis, Exordium unitatis sacerdotalis, Vinculum unitatis, apostolico culmine sublimatus, dignitate Aaron (S. Cyprian.). — II. Sacerdotii sublime fastigium Ecclesia in qua est potentior principalitas (S. Iren.). — III. Ecclesiae radix et matrix (S. Anaclet.). — IV. Sedes super quam Dominus universam construxit Ecclesiam (S. Damascen.). — V. Cardo et caput omnium Ecclesiarum (Marcellin. 1). — Episcoporum refugium (Syn. Alexand.). — Summa Sedes Apostolica (S. Athan.). — VI. Caput pastoralis honoris, principalis apostolici Sacerdotii dignitas, Caput omnium Ecclesiarum, prima Sedes omnium (S. Prosper). — VII. Caput orbis et mundi religionis, Sacerdos magnus (Imp. Valentinian.). — VIII. Caeteris praelata Ecclesia (Victor Uticensis). — IX. Ecclesia praesidens (Imp. Iustinian.). — X. Prima sedes a nemine iudicanda, universalis Patriarcha (S. Leo M.). — XI. Tu-

tissimus communionis catholicae Portus (Syn. Romana). — XII. Fons Apostolicus (S. Ignat.). — XIII. Sanctissimus Ecclesiae catholicae Episcopus, sanctissimus ac beatissimus Patriarcha (Syn. Sinuessana). – XIV. Caput orbis Ecclesiae (Innocent.). — XV. Apostolicae cathedrae principatus beatissimus Dominus (S. Aug.). — XVI. Pater Patrum, summus omnium praesulum Pontifex, Summus Sacerdos, Princeps Episcoporum, ordine Melchisedech (Conc. Chalced.). — XVII. Rector domus Domini, vineae custos Dominicae, Christi Vicarius, fratrum confirmatio (Conc. Carthag.). — XVIII. Princeps Sacerdotum (S. Stephan.). – XIX. Patriarcharum Abraham (S. Ambros.). — XX. Director discipulorum, conservator clavium regni Dei (S. Cyril.). — XXI. Os discipulorum, anima Ecclesiae, fidei basis, fundamentum confessionis Christi (S. Chrysost.). — XXII. Haeres Apostolorum, primatu Abel, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, ovilis dominici Pastor, claviger Domus Domini, Pastor Pastorum omnium in plenitudine potestatis (S. Bernard.).

Art. I. De Iuribus Rom. Pontificis generatim.

386. — **Tenendum ex C. Vaticano.** — (Bulla *Pastor aeternus*, cap. 3). I. « Quapropter apertis innixi « Sacrarum Litterarum testimoniis, et inhaerentes tum « Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, « tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque « decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini « definitionem, qua credendum ab omnibus Christifide« libus est, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum « Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et

« ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati « Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vi- « carium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Chri- « stianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in « beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi univer- « salem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam « potestatem habitam esse; quemadmodum etiam in « gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris ca- « nonibus continetur ».

387. — II. « Docemus proinde ac declaramus Ec- « clesiam Romanam, disponente Domino, super omnes « alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et « hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem quae « vere episcopalis est, immediatam esse, erga quam « cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fi- « deles, tam seorsum singuli quam simul omnes, of- « ficio hierarchicae subordinationis veraeque obedien- « tiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad « fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disci- « plinam et regimen Ecclesiae per totum orbem dif- « fusae, pertinent; ita ut custodita cum Romano « Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei pro- « fessioni unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub « uno Pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, « a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest ».

388. — III. « Porro ex suprema illa Romani Pon- « tificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius « eidem esse consequitur, in huius sui muneris exer- « citio *libere communicandi cum pastoribus et gre- « gibus totius Ecclesiae*, ut iidem ab ipso in via salutis « doceri ac regi possint. Quare *damnamus ac repro- « bamus* illorum sententias, qui hanc supremi capitis « cum pastoribus et gregibus communicationem *licite « impediri posse dicunt*, *aut eamdem reddunt saecu-*

« *lari potestati obnoxiam;* ita ut contendant quae ab « Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ec« clesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi « potestatis saecularis placito confirmentur ». UNDE damnatur *placitum regium* ac omnium caesaristarum doctrina a liberalismi peste quotidie, practice praecipue, renovata.

389. — IV. « Et quoniam divini Apostolici Pri« matus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae « praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse « *iudicem supremum fidelium, et in omnibus causis* « *ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius* « *posse iudicium recurri:* Sedis vero Apostolicae, « *cuius auctoritate maior non est,* iudicium a nemine « fore tractandum, *neque cuiquam de eius licere iu*« *dicare iudicio.* Quare a recto veritatis tramite aber« rant, qui affirmant licere ab iudicio Romanorum « Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad « auctoritatem Romano Pontifici superiorem appel« lare ». — UNDE, damnatur doctrina *Gallicanismi.*

390. — DICENDUM: I. « *Romanus Pontifex sum*« *mam habet, eamque ordinariam, in Ecclesia uni*« *versa potestatem et auctoritatem: quam non extraor*« *dinariis dumtaxat casibus, sed semper exercere po*« *test,* et in fideles universos, et in ipsos Ecclesiae totius « Episcopos, quia Pastorum omnium UNUS est Pastor » (Natal. Alex.).

391. — II. *Merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* — *Nota:* Iura Primatus profluunt tum ex fine tuendae unitatis, tum ex summa et plena potestate, qua Pontifex ad explendum munus suum in tota Ecclesia potitur (Soglia, *Inst. iur. pub.*, etc.).

392. — III. *Potestas, quam Metropolitae, Conciliaque provincialia in Episcopos comprovinciales humana institutione exercebant, non erat eorum propria et nativa; tantummodo eius potestatis usus ipsis tributus fuerat.* Ipsa vero potestas in Pontifice residebat, ut qui ratione Primatus divinitus instituti omnem potestatem Ecclesiasticam in se complectitur (id.).

393. — IV. *Reiicienda ergo distinctio iurium Primatus in essentialia et adventitia*, inventa ad Primatus iura deprimenda. Non enim habet ius adventitium, qui plenitudinem potestatis habet... (id.).

394. — V. « *In Pontifice tota semper plenitudo potestatis residet*, ETSI NON TOTAM SEMPER EXERCEAT » (Thomassin.). Ubi ergo per se exercere coepit, non iure aliunde comparato, sed iure proprio usus est. — *Unde*, errant qui putant Rom. Pontificem non posse praeter consuetudinem ordinariam committere *alicui particulari* negotium quod *de praxi* solis praelatis iurisdictionem habentibus competit. ERGO a fortiori damnandi qui exercitium supremae potestatis impediunt, etiam subtiliter et indirecte, praetextu humanae prudentiae, etc.

395. — CONCLUDENDUM. « Si necessitas id exigat, scribit Bossuetius, *Papa omnia potest;* facta exceptione, ut patet, rei divinae institutionis », ait ipse Döllinger. ERGO temere verus catholicus disputaret, an Papa recte fecit quae *vi Primatus seu officii* faciendum iudicavit. ERGO *potestas pontificia est maxima et plenissima.*

396. — **Varia.** — I. IPSE HETERODOXUS LEIBNITZIUS scribens de Rom. Pontifice (epist. 8) ait: « Cum Deus « sit Deus ordinis, et corpus unius Ecclesiae catho- « licae et Apostolicae uno regimine hierarchiaque uni- « versali continendum iuris divini sit; consequens est,

« ut eiusdem sit iuris supremus in eo spiritualis ma-
« gistratus... directoria potestate, omnique necessaria
« ad explendum munus pro salute Ecclesiae agendi
« facultate instructus ».

397. — II. Summa potestas in Ecclesia non solum data est Petro, sed reliquis etiam Apostolis, *et his quidem ut tamquam extraordinario munere et cum eis interituro* fungerentur. Unde omnes illud Pauli merito sibi vindicare poterant: *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Sancto vero Petro concessa est auctoritas illa suprema TAMQUAM ORDINARIO PASTORI, CUI PERPETUO SUCCEDERETUR, Apostolica tandem auctoritate ad unum revocata. *Unde Sancti Petri Sedes antonomastice Apostolica dicta est* a S. Hieronymo, etc. (Natal. Alex.).

398. — III. *Ex dictis de summa sublimique R. Pontificis dignitate, patet quam rationabile sit* OSCULUM PEDIS *quo catholici Romani Pontificis maiestatem venerantur.* — 1° Primi fideles ipsorum Episcoporum pedes osculabantur, teste D. Hieronymo. — 2° Populus et clerus, scribit Anastasius (In vitis Pontificum), Leone IV electo, pedes deosculabantur: *qui morem conservantes antiquum, omnes eius osculati sunt pedes.* — 3° Constantinus deosculavit pedes S. Silvestri Papae, Iustinus I Ioannis Papae, Iustinianus Constantini Papae. — 4° *Una cum pede Rom. Pontificis osculatur crux in calceis efformata:* unde Papa *non gloriatur nisi in cruce*, quae quidem in omnibus eius paramentis invenitur. « *Adorabunt vestigia pedum tuorum* ». (Isaia, 60). — Cfr. Margotti *(Roma e Londra)*, Scavini, etc.

ART. II. De Iuribus Rom. Pontificis in specie.

399. — **Ius definiendi controversias de fide et moribus.** — PIUS IX DEFINIVIT : « *Romani Pontificis definitiones (ex cathedra)* EX SESE *non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse* » (Bulla *Pastor aeternus*, c. 4).

400. — **Ius prohibendi libros pravos.** — Deducitur ex dictis. — HINC I. Saec. tertio, ad *Pontianum Pontificem* libri Origenis missi fuerunt, ut damnarentur. — II. Ad *Innocentium I* praestantissimi quinque Africae Episcopi dedere litteras, ut Pelagii librum condemnaret. Et sic successive, teste tota traditione. — III. Rom. Pontifex pravos libros damnat per bullam aut breve, aut per Supremam Congr. S. R. et U. Inquisitionis, vel per Congr. Indicis. Magister S. P. A. olim aliquos libros damnabat.

401. — **Ius ferendi leges.** — Rom. Pontifex cui ex Flor. « pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Christo plena potestas tradita fuit », habet consequenter ius ferendi leges pro tota Ecclesia. HINC « *Petrus semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet* » (Conc. Ephes.).

402. — **Ius tuendi Canones.** — « *Convenit Papas paternarum sanctionum diligentes esse custodes* », ait Bonif. I, Epist. 5 ad Hilar. Arelat. — HINC I. *Habet ius animadvertendi in transgressores*, quia Papa est custos et *vindex canonum:* « Quisquis conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicae Sedis minime defuturam. Quae enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus » (Coelest. I. *epist. ad Episc. per Apuliam et Calabriam).* II. Papa non est

merus executor canonum (ut praesules in Republica et reges *constitutionales* dicti), sed supremus Legislator, *fundamentum Canonum*, VERUS REX REGENS ET GUBERNANS.

403. — **Ius dispensandi.** — *Cuius est legem condere, eius est illius obligationem remittere.* Ergo Rom. Pontifex potest dispensare super omnibus ecclesiasticis legibus.

404. — **Ius iudicandi graviores causas ecclesiast.** — Unde graviora negotia semper referri consueverunt ad Sedem Apostolicam. « Si maiores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem apostolicam, sicut Synodus statuit et beata consuetudo exigit, post iudicium episcopale referantur » (Innoc. I, epist. 2 ad Victric. Rothomagen., c. 3). Imo Bonifacius I (epist. 15) statuit graviores causas statim, primoque iudicio ad Sedem Apostolicam esse deferendas (Cfr. Devoti).

405. — **Ius approbandi Ordines Regulares.** — I. « Maiores causae, quae salutem animarum tangunt, reservari solent Sedi Apostolicae. Religionum autem approbatio ad maiores causas pertinet: quia denique absque approbatione Religiones neque securitatem haberent, neque immobilitatem » (Sylvius) — II. « Approbatio adeo necessaria habita est, ut sine ea nec Religiones, nec vota solemnia consistant » (Soglia). — III. In Conc. Lat. IV et Lugd. II decretum fuit, ne deinceps sine Apostolicae Sedis approbatione novus Ordo institueretur. — IV. Ius approbandi Religiones non est positivum tantum, sed *proprium* Rom. Pontificis.

406. — **Ius beatificandi et canonizandi.** — I. Canonizatio nunquam licuit Episcopis; Beatificatio vero primis Ecclesiae saeculis ab illis fiebat... Cum Sanctus canonizatus proponatur ab omnibus fidelibus colendus, *nemo nisi Pontifex potest Sanctos canonizare;* accedit

quod *solemnis canonizatio est una de maioribus causis*, quae inter christianos proponi potest, et per consequens eius cognitio ad Pontificem spectat ex iuribus adductis in cap. *Maiores* in baptismo. Deinde quia miraculorum approbatio inter fidei quaestiones recensetur, sed quaestio fidei ad Pontificem referenda est, igitur tantum per Pontificem canonizatus publice venerari potest. — II. Urbanus VIII facultatem beatificandi Romanae Sedi omnino reservavit (Cfr. Soglia, Devoti).

407. — **Ius Episcopatuum constituendorum.** — I. Novi Episcopatus eriguntur per cathedrae Episcopalis institutionem, et per territorii, seu Dioecesis circumscriptionem. (Soglia). — II. « Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est... Potest si utile iudicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit » (S. Bernard.). — III. « Ex hac potestate in Dioeceses omnium Episcoporum, quae in solis Petri successoribus ex divini iuris primatu est ordinaria, *Romana Sedes potest*, *si expediat*, *Episcopatus aliquos supprimere*, *novos erigere*, *unum dividere in duos* » (Pet. Ballerini, *de Potest Eccl.*).

408. — **Ius creandi Episcopos.** — I. « Certum est, Rom. Pontificem summam habere potestatem, ut per totum christianum orbem Episcopos constituat » (Hallier. *de sacris elect.*). — II. *Unde* « Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate Rom. Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit » (Trid. sess. 23, can. 8). — III. *Haec potestas propria est unius Romani Pontificis.* Unde: Quamvis Patriarchae, Primates, et Metropolitae,

olim ea potestate usi sunt, id non ex iure divino, cum omnes sint pares in potestate et ordine, sed ex mero beneplacito Apostolicae Sedis, ac proinde cum Rom. Pontifices creationem Episcoporum sibi reservaverunt praecipue per regulas Cancellariae, nulli iniuriam fecerunt, cum ea quae sunt iuris divini nunquam abrogari possint... (Cfr. Soglia, ib., et Hallier.). CONCLUDENDUM CUM PIO VI (Const. *Charitas*, an. 1791): Haec potestas, « illuc reversa unde discesserat, unice residet apud Apostolicam Sedem ».

409. — **Ius transferendi, deponendi Episcopos.** — I. « Cum fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum. Non humana, sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur; et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata » (Innoc. III. *Cap. 3 de Trans. Ep.*).

410. — II. *Abdicatio Episcopatus* fieri debet ex legitima causa Apostolicae Sedi probata, et spirituale vinculum, quo Episcopi Ecclesiae suae obligantur, ab eadem Apostolica Sede laxandum est (Soglia).

411. — III. « Peremptoriam dare sententiam, ad depositionem Episcoporum, solius Romani Pontificis noscitur esse » (S. Bern.).

412. — IV. « Primatum gloriosius exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Constantinopolitanum Patriarcham haereticum exauctorando, et in eius locum alium ordinando, idque nulla Synodo convocata » (Nat. Alex.).

413. — **Ius destituendi Episcopos etiam invitos.** — I. Si eiusmodi sint rerum ac temporum rationes, ut Ecclesiae et animarum salus periclitetur, nisi Episcopus loco cesserit, sive quod ipse omnino nequeat suae plebi prospicere, sive quod mala plebs ipsum oderit, penitusque deserat, neque ulla reliqua sit spes illius mali avertendi, tunc quidem Episcopus debet Episcopatum sponte dimittere, ac profiteri non sibi sed animarum saluti se natum ordinatumque Episcopum fuisse. Praeclare ad rem nostram Augustinus, in lib. *de gestis cum Emerito.* « Quid enim dubitemus Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de Coelis in humana membra descendit ut membra eius essemus, et nos ne ipsa eius membra crudeli divisione lanientur, descendere de Cathedris formidamus? Episcopi propter christianos populos ordinamur. Quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus ». Huius rei illustre exemplum reliquit S. Gregorius Nazianzenus, qui studio pacis Episcopatu Constantinopolitano se sponte abdicavit dicens: « Si propter me commota est ista tempestas, deiicite me in mare, ut vos iactari desinatis ».

414. — II. *Si Ecclesiae necessitas id exposcat, Episcopus conqueri iure nequit, quod Episcopatu etiam invitus privetur:* causa enim boni Ecclesiae temporali ipsius Episcopi utilitati longe multumque praestat.

415. — III. Harum destitutionum habentur exempla tum alias, tum nostra praesertim aetate in Gallia, Belgio et Sabaudia.

416. — IV. *Haec destitutio Episcopi innocentis non potest dici iniusta;* quia *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus;* ergo si causa subsit, aliquis, etiam sine culpa puniri poterit. — Nota: 1° in

huiusmodi destitutionibus non servatur forma iudicialis, ut patet; 2° Episcopo sic remoto assignatur decens congrua, ne fiat mendicus, cum Ordinis dedecore.

417. — **Ius dandi coadiutores.** — I. Episcopos senes vel mala valetudine confectos dimovere inhumanum videtur; nam « afflictioni non est addenda afflictio » (Innoc. III, c. 5, de Cler. aegrot.). Tunc Coadiutor dandus est, qui impedito Episcopo subsidium comparare possit. Sic S. Aug. Valerii vicem sustinuit. — II. *Coadiutores alii sunt ad tempus, alii perpetui seu cum futura successione.* Coadiutoria temporalis expirat morte coadiuti; secus perpetua. Uterque episcopali charactere insignitus est et a Rom. Pontifice instituitur. — III. Coadiutor Episcopi amentis habet plenam potestatem administrandi dioecesim. Secus, aliter.

418. — **Ius ferendi censuras.** — Probatur ex hucusque dictis (Cfr. *Theol. Mor.*).

419. — **Ius casuum reservandorum.** — « Merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare », ut dictum est (Trid., sess. 14, c. 7).

420. — **Ius reservandi beneficia.** — I. « Ad Summum Pontificem pertinet potestas omnia totius Ecclesiae beneficia conferendi, quia ipse est Ordinarius omnium Ordinariorum, habens concurrentem iurisdictionem cum omnibus Ecclesiae Praelatis. Illud ius ei competit, tum ratione Primatus, cui licet *reservationes statuere:* tum ratione supremae bonorum ecclesiasticorum administrationis, nam ad Sanctam Sedem spectat clericis de Ecclesia bene meritis, pro ea laborantibus, litteratis, et pauperibus ad eam confugientibus prospicere; tum ex canonum praescripto quibus principium exprimitur » (Huguenin). — II. Licet Angli et

Hispani conquesti aliquando sunt de *usu iuris*, nunquam negarunt *ipsum ius*. Sed deplorarunt abusus cum viderent a Pontificibus Avenione residentibus « hominibus Gallis sua sacerdotia conferri » ait Rigantius. Unde controversiae *de usu iuris* magis probant ipsum ius... (Cfr. Soglia, ib.).

421. — **Ius concedendi exemptiones.** — I. Dioecesium divisio subditorumque designatio a Romano Pontifice pendet, qui et iustis de causis immunitates ac privilegia, ecclesiis vel monasteriis concedere potest, quibus ab ordinaria iurisdictione solvantur et eximantur (Nat. Alex., 12 in saec. 16). — II. Quamquam Episcopalis ordo divinitus institutus sit, sive, ut ait Apostolus: Episcopi positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, portio tamen eius gregis, quam quisque regat, a Christo determinata non fuit, sed prudenti Ecclesiae arbitrio relicta. Itaque divinis Episcoporum iuribus nulla fit iniuria, dum Ecclesia, Monasterium, vel persona aliqua ratione muneris aut dignitatis, aliave iusta de causa a iurisdictione alicuius Episcopi eximitur. Illud accedit, quod Concilia et Pontifices semper caverunt, « ne privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitarent, et exemptis occasionem laxioris vitae praeberent » (Conc. Trident., sess. 24, cap. 11, *de Reform.* Soglia).

422. **Ius percipiendi annatas.** — I. *Annatae sunt certae pensiones, aut certae pecuniae quantitates, quae ex Episcopatuum, aliorumque Beneficiorum fructibus primi anni Romano Pontifici, sive Camerae Apostolicae solvuntur* (Soglia). — II. « Omnibus curam animarum habentibus pie solvuntur decimae. Porro Romanus Pontifex iure divino constitutus est Pastor omnium fidelium, et omnium Ecclesiarum curam gerere

debet. Ergo annatas absque ullo vitio recipere potest, easque pie ac rationabiliter conferunt Praesules designati » (Tournel., *de loc. Theol.*). — III. « Doctores, Episcopi, Pontifices Maximi, Ecclesia per orbem diffusa, annatas subventionis titulo exigi, solvique posse agnoscunt, sentiunt, iudicant, sive ante, sive post Bullarum concessionem exigantur. Horum itaque iudicio standum est, quoad iuris quaestionem in hac causa » (Barthel. — Cfr. Soglia, Ferrari).

423. — **Ius mittendi legatos seu nuntios.** — *Huius iuris Sedis Apostolicae praeclarum exhibet testimonium Ioannes VIII, epist. 73. Nobili viro Lamberto, apud Labbeum,* Concil. tom. 2, col. 60. « Porro quia dixisti, quod sine consensu tuo legationes nusquam mittere deberemus, usus que hic non fuerit, nec litteris legitur nec a quoquam superstite unquam fuisse reminiscitur factum: et ideo Sedes Apostolica, libera semper existens, liberam ubique suam mittit legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ».

424 — Leo XIII multa de Legatis habet in Enc. *Longinqua oceani spatia*, 6 Iunii 1895, quae Patribus Conc. Plen. Americae Latinae, art. 67, 68, sequentia opportunissime dicenda occasio fuit et fundamentum: « Romani Pontifices, ob hanc causam, quod rei christianae administrandae divinitus tenent principatum, suos peregre Legatos ad gentes populosque christianos mittere vel ab ultima antiquitate consueverunt. Id autem non extrinsecus quaesito, sed nativo iure suo, quia Summus Pontifex... « cum personaliter « singulas regiones circuire non possit, nec circa gre- « gem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exer- « cere, necesse habet interdum, *ex debito impositae*

« *servitutis,* suos ad diversas mundi partes, prout ne-« cessitates emerserint, destinare legatos, qui, *vices eius* « *supplendo*, errata corrigant, aspera in plana conver-« tant, et commissis sibi populis salutis incrementa « ministrent » (Cap. un. Extrav. Com. *De Consuet.* l. I).

425. — « Cum partes Legati Apostolici, qualicumque demum potestate augeatur, sint, Pontificis a quo mittitur, mandata facere et voluntatem interpretari, tantum abest, ut ordinariae potestati Episcoporum quidpiam ipse pariat detrimenti, ut potius ei fundamentum ac robur sit allaturus. Eius quippe auctoritas non parum est habitura ponderis ad conservandam in multitudine obedientiam; in Clero disciplinam debitamque Episcopis verecundiam; in Episcopis charitatem mutuam cum intima animarum coniunctione: tutamen insuper est mutuae inter potestatem civilem et ecclesiasticam concordiae ».

426. — **Ius appellationum.** — I. S. Bernardus, lib. 3, *de consid. ad Eug.* c. 2, ait: « Appellatur de toto mundo ad Te. Id quidem in testimonium singularis Primatus tui ». - II. Quod quidem ius recipiendarum appellationum, non humana, sed divina institutione Primatui inhaerere, ita praeclare comprobat Benedictus XIV de Synodo Dioeces. lib. 4, c. 6: « Est huiusmodi appellationum ius adeo necessario adnexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit praefracte inficiari. Etenim cum Primatus praerogativa Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia Iudex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem; ab inferioris quippe sententia superioris tribunal adire omnibus concessum esse, ipsa naturalis aequitas dictat et persuadet ». — III. Notat S. Antonin. (p. 3, sum. tit. 23, *c.* 3, *de*

appel. Papae, 3): « Sentire quod a Papa ad Concil. appellari possit, est haereticum, et contra illum articulum *S. Ecclesiam Catholicam*; nam si licitum esset appellare a Papa, et ille ad quem appellatur, esset Caput, sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum ». — Constat ex Conc. Vaticano supra citato.

427. — **De iure recipiendi relationes.** — I. Bonifacius I, epist. 15 *ad Rufum*, ita scribit: « Maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione maiori, Sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exigit, eius auxilium postulasse. Sanctae memoriae Athanasius et. Petrus Alexandrinae Sacerdotes Ecclesiae huius Sedis auxilium postularunt. Cum Anthiochena Ecclesia per multum tempus laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum saepe discursus, primo sub Meletio, postea sub Flaviano Apostolicam Sedem manifestum est esse consultam ». — II. « Si quae certamina aut de religione, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indignae diligenti ratione discussa, rationis ad nos seriem destinantes Apostolicae Sedi terminanda servate ». (Vigil. *epist.* 7). — III. « Si qua mediocris est quaestio, cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostrae audientiae sententia decidatur ». (S. Greg. M. *ad Ep. Larissen.*). — IV. In Epistola Episcoporum Galliae ad Innocentium X (an. 1653) legitur: « Maiores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro iure suo postulat ».

428. — **Ius principatus civilis.** — I. Pius IX (in Syll. nn. 75, 76 et 80) *sequentes damnavit proposi-*

tiones: 1ª « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii ». 2ª « Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem, felicitatemque vel maxime conduceret ». 3ª « Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum *liberalismo et cum recenti civilitate* sese reconciliare, atque componere ».

429. — II. Summus Pontifex non unam, sed plures refert personas: nam est Princeps, caput et centrum universalis Ecclesiae, *Patriarcha Occidentis*, *Primas Italiae*, *Metropolita provinciae Romanae et Episcopus urbis Romae*. Est etiam in temporalibus supremus totius ditionis ecclesiasticae Princeps et Rex, qui more caeterorum Principum et Regum summo potitur imperio, quod sive procedat ex consensu populorum, sive ex Principum et Regum donationibus, sive ex diuturna praescriptione, sive ex onerosis contractibus, adeo est in eo solidatum, ut nemini aequius et potius competat, vel competere possit. (C. Ferrari, Devoti).

430. — *Nota*. Rom. Pontifex plura alia habet iura, quae non videntur necessario hic exponenda. Omnes confitentur Papam posse *plenarias indulgentias largiri*; *generale Concilium indicere*; *Breviarium et Missale corrigere ac mutare*; *ubique terrarum Pontificalia exercere*, etc., etc.

431. — **Varia.** — I. Innocentius III, de sua auctoritate ita sententiam profert: « Qui secundum plenitudinem de iure possumus supra ius dispensare ». (Cap. 4, *de concess. praeb.*).

432. — II. Papa potest et debet leges divinas interpretari et declarare. (Reiffenstuel).

433. — III. Pontifex potest non acceptare Pontificatum sibi delatum; imo Pontificatum ipsum deponere

exemplo S. Coelestini, quin necessaria sit ex parte Cardinalium vel Ecclesiae acceptatio renuntiationis, ex cap. *Quoniam de renunt.* (V. Vecchiotti).

434. — IV. Ante saeculum sextum, non semper accedebat Pontificis expressus consensus in erectione novorum episcopatuum. Liberum erat conciliis ac metropolitis novos episcopatus erigere, dummodo servarentur leges quas Ecclesia statuerat. — *In Oriente* tota cura erigendi dioceses Patriarchis et Metropolitis concredita fuit. Gradus vero Patriarcharum et Metropolitarum a Summo Pontificatu dimanabant. — *In Occidente* non solum a Metropolitis et conciliis provincialibus constituebantur sedes episcopales, verum etiam plurimum a Pontificibus Romanis, qui Episcopos a se ordinatos ad barbaras gentes destinarunt, et Ecclesias a viris Apostolicis erectas approbarunt. In eo sensu explicatur Innocentii I, epistola 25: « Cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores constituerunt sacerdotes...» Postea, ut dictum est n. 408, haec potestas, « illuc reversa unde discesserat, unice residet apud Apostolicam Sedem ». (Pius VI. Cfr. Huguenin, Soglia, etc.).

435. — V. Summus Pontifex in gravioribus definiendis, ut cautissime procedat, Cardinalium consilium solet adhibere sub hac formula: *De Fratrum nostrorum consilio:* vel *Habita cum Fratribus nostris, et sancto concilio deliberatione,* vel alia simili. At hoc ex decentia, non ex necessitate fit, ut aequitas definitionis, quodammodo demonstretur, et non, ut auctoritas definiendi requiratur. (Ferrari).

436. — Obedientiae et devotionis Summo Pontifici debitae exemplar facti sunt Patres Concilii Ple-

narii Americae Latinae, art. 184-186 dicentes: « Obedientiae exemplum fidelibus nostrae iurisdictioni commissis praebentes, nos Patres huius plenarii Concilii solemniter profitemur, fidem, subiectionem et obedientiam per omnia exhibere Romano Pontifici Iesu Christi Vicario, et in unitate eiusdem fidei, Deo operante, persistere, in qua omnis christianorum salus sine dubio esse comprobatur; profitemur etiam cuncta decreta Pontificum Apostolicae Sedis custodire; et quaecumque ipsi damnaverunt damnamus, quaecumque susceperunt suscipimus, et tota fidei integritate veneramur et semper libere, sicut praedicarunt, praedicabimus ».

437. — « Quo plenius testatum faciamus, quali corde, mente et animo, Romano Pontifici, Pastorum Principi, omnium fidelium Patri, devoti simus, et adhaereamus, nos, Apostolicae Sedis non tantum mandata recepturos humiliter, et quam diligentissime executuros, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse declaramus ac spondemus ».

438. — « Sacrarum Congregationum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus auctoritatem adserentes, debitum earumdem, Summi Pontificis nomine editis, declarationibus et mandatis obsequium et religiosam obedientiam verbo et exemplo inculcabimus; ipsae enim veluti traditum depositum custodiunt antiquae et praesentis Ecclesiae disciplinae, omnigenis pontificiae sapientiae thesauris, virorumque omni aevo Ecclesiasticae iurisprudentiae laude perinsignium consultationibus locupletatum ».

439. — Cardinalis Sarto, hodie Pius X, in Synodo dioeces. Veneta anni 1898, p. 2, cap. 2, scribit: « Inconcussum Ecclesiae dogma est, et de fide tenendum, Romani Pontificis iudicium, *ex cathedra* prolatum, infallibile esse (Conc. Vatic. Sess. IV, cap. 4). Cum

vero hisce nostris temporibus illud inverecunde reiiciatur, et a non paucis contemnatur, expedit omnino ut saepe saepius Parochi infallibilitatis dogma fidelibus explicent, inerrantiam ab impeccabilitate distinguant, et conditiones enumerent, quibus servatis, divina haec praerogativa explicari debet, ut vere *formalis definitio ex cathedra* habeatur.

440. — « Doceant praeterea non tantum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, uti definierunt Vaticani Concilii Patres, *quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent*, inque omnibus, quae Christi Vicarius decernit, firmiter illi esse adhaerendum, praedicantes Summo Pontifici toto corde coniungi, ipsum ardentissima charitate diligere, summa reverentia prosequi, eumdem ab impiorum dicteriis intrepide tueri, et quae pro Dei gloria, animarum salute et ipsius civilis societatis bono ac decore ille gerit, omnibus pandere et magnificare esse vere fidei professionem omnium forsan splendidissimam.

441. — « Neminem latet qua egestate temporum nequitia prematur Iesu Christi Vicarius. — Quapropter gratissimum sit omnibus sacerdotibus officium subsidia pro viribus illi conferendi; nec eos taedeat pios laicos excitare ut nomen exhibeant religiosae Sodalidati Stipis Petrianae ».

442. — **Conclusio**: « Ex hactenus disputatis concludere est quanta sit oporteat omnium reverentia, observantia et obedientia erga R. Pontificem, qui (ut verbis utamur S. Alphonsi) *summus est theologiae princeps unusque Ecclesiae moderator, divinae veritatis conservator et vindex, unusque controversiarum iudex ab ipso Deo singulari providentia ad hoc constitutus.* Ideo patet quid dicendum sit de illis *forsan etiam*

ecclesiasticis, qui Eius verba irridere, actus carpere, *praecepta parvipendere vel de imprudentia illum incusare* non erubescunt. Si autem haec agerent Ecclesiae ministri, quid populus? Pii, devoti, catholici omnes et maxime animarum Pastores hic toti esse debent, ut verbo et exemplo sinceram erga Pontificem maximum adhaesionem, obedientiam, amorem *publice et privatim perpetuo curent, ostendant, promoveant* ad propriam aliorumque salutem » [1] (Scavini-Del-Vecchio). — Ergo *fugiamus falsam prudentiam et*

[1] " Similiter animi est minus sincere in obsequio permanentis, alterum Pontificem cum altero committere. Ex diversis duabus agendi rationibus, qui praesentem despiciunt ut praeteritae assentiantur, ii parum se obnoxios potestati impertiunt, cuius imperio ipsos regi ius et officium est: iidemque aliquam habent cum iis similitudinem, qui, sua causa damnata, ad futurum Concilium vellent, vel ad Pontificem, cui melius de causa liqueat, provocare. — Quam ad rem hoc fixum persuasumque sit, in Ecclesiae gubernatione, salvis officiis maximis, quibus Pontifices omnes apostolicum munus adstringit, unicuique eorum integrum esse eam rationem sequi, quae, spectatis temporibus caeterisque rerum adiunctis, optima videatur. Idque ad solius Pontificis iudicium pertinet: propterea quod is ad eam rem non solum singulari quodam donatur consilii lumine, sed etiam perspecta habet totius christianae reipublicae tempora, quibus apostolicam providentiam suam convenienter respondere necesse est. Is curam gerit de communi Ecclesiae bono, cui singularum partium servit utilitas: caeteri vero, quotquot hoc ordine comprehenduntur, debent summi rectoris coepta adiuvare, et quo ille spectat, obedienter sequi. Sicut una est Ecclesia, et unus qui Ecclesiae praeest, eodem modo una est rectio, cui oportet subesse universos „ (Leo XIII, Litt. *Epistola tua* ad Archiep. Parisien, 17 Iunii 1885).

sapientiam huius saeculi; damnemus pestem liberalismi catholici verae obedientiae destructoris et IN PETRA SEMPER SOLIDATI, CLAMEMUS CUM D. BERNARDO *(Serm. 61, in Cant.)*: « IN PETRA EXALTATUS, IN PETRA SECURUS, IN PETRA FIRMITER STO, SECURUS AB HOSTE, TUTUS A CASU; TREMIT MUNDUS, PREMIT CORPUS, DIABOLUS INSIDIATUR: NON CADO; FUNDATUS ENIM SUM SUPRA FIRMAM PETRAM ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Sic Maria dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (S. Bonav.): Magna fuit erga miseros misericordia Mariae adhuc exsulantis in mundo, sed multo maior est regnantis in coelo (id.): Ex dulcedine Mariae nullus est, qui non per eam, si petitur, sentiat pietatem (Rev. S. Birg.): Nisi preces Matris meae intervenirent, non esset spes misericordiae (ib.).

MARIAM INVOCA. Ave Mater misericordiae sine commendatione laudabilis, sine exhortatione amabilis, sine retributione venerabilis! (Petrus Cellensis).

MARIAM LAETIFICA. Illius charitatis et misericordiae imitatione: « Nulla res est, quae Virginis benevolentiam conciliat, quam misericordia » (S. Greg. Nazian.). — Inimicos Ecclesiae et Romani Pontificis detractores *fugiendo,* ac pro illis *humiliter* orando. — *Filii Mariae imitatores eius.*

CAP. II. — DE ADIUTORIBUS ROM. PONTIFICIS

Art. I. De Cardinalibus.

443. — **Officium et dignitas Cardinalium.** — I. Sicuti in cathedra ipsius Petri successor et verus Christi Vicarius Romanus Pontifex divina praeordinatione, eiusdem Supremae Apostolicae dignitatis fastigium et locum in terris tenet, ita etiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae CARDINALES REPRAESENTANTES PERSONAE SANCTORUM APOSTOLORUM *dum Christo Salvatori regnum Dei praedicanti atque humanae salutis mysterium operanti ministrarent*, eidem Pontifici in executione sacerdotalis officii et in dirigenda ipsa Ecclesia catholica cui praeest CONSILIARII ET COADIUTORES ASSISTANT, QUASI OCULI ET AURES AC NOBILISSIMAE SACRI CAPITIS PARTES ET PRAECIPUE ILLIUS MEMBRA A SPIRITU SANCTO CONSTITUTA, qui in hac ipsa Ecclesiastica hierarchia divina dispositione, instar illius coelestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, *ad altissimum gradum erecti*, cum ipso Romano Pontifice communi Patre ac Pastore, ad quem ex omnibus undique gentibus ac nationibus, in gravissimis, maximeque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem atque onus populorum sustineant, ET PRO ANIMARUM SALUTE, PRO FIDE, PRO IUSTITIA, PRO UNITATE ASSIDUE VIGILENT AC LABORENT, qui circa ipsum universali Ecclesiae serviendo singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera et necessaria et plurimum fructuosa universae Reipublicae Christianae in securis ornamento et com-

modo, in dubiis praesidio et adiumento esse possit, denique pro exaltatione catholicae Religionis, pro pace et quiete Christiani populi, *pro augmento et honore Sanctae Sedis Apostolicae* SANGUINEM, SI ITA RES FERAT, ET SPIRITUM CONSTANTER EFFUNDANT (Sixtus V in const. *Postquam*, 9 dec. 1586).

444. — II. *Ex eorum corpore, numero et collegio ille ipse, qui cunctis pastoribus est praeficiendus, ac totius Dominici gregis curam habiturus Summus Pontifex deligitur,* iidemque illum suis suffragiis creant (id.). Nota quod mortuo Pontifice seu Sede vacante, non possunt facere quae Rom. Pontificem personatim respiciunt, v. g.: creare alios Cardinales; depositos Cardinales redintegrare; tradere insignia Cardinalibus recenter nominatis a defuncto Pontifice Maximo; creare Episcopos; electos Episcopos confirmare; conferre beneficia.

445. — **Numerus.** — CUNCTI CARDINALES SIMUL NUMERUM SEPTUAGINTA NULLO UNQUAN TEMPORE EXCEDANT. EX HOC NUMERO CARDINALIUM DIACONI QUATUORDECIM, RELIQUI OMNES PRAETER SEX EPISCOPOS PRESBYTERI sint et esse debeant. Diaconorum autem numerus sic praefinitus perpetuo retineatur, ac diaconi in eorum ordine semper remaneant, et *si qui eorum ex devotionis fervore* [1] *ad Presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem Diaconatus ordine et officio ministrent, et suum locum inter Diaconos Cardinales teneant;* donec ex Cardinalibus de novo creandis sive eligendis alii Diaconi praedictum numerum suppleant, et in eorum locum subrogentur ac substituantur (id.).

[1] Hodie omnes Cardinales Diaconi ordine Presbyteratus insigniti esse solent. Cardinales vero Presbyteri maxima ex parte imo fere omnes in Episcopali dignitate constituti.

— Nota quod fere nunquam completus est numerus Cardinalium.

446. — **Tituli.** — I. *Statutum est atque ordinatum has tantum, quae infra descriptae sunt, ecclesias, neque alias in titulos assignari debere, videlicet* EX ANTIQUIS, S. Crucis in Ierusalem, SS. Marcellini et Petri, SS. Quatuor Coronatorum, SS. Ioannis et Pauli, S. Anastasiae, S. Sabinae, S. Stephani in Coelio Monte, S. Clementis, SS. Nerei et Achillei, S. Susannae, S. Pudentianae, S. Sixti, S. Petri ad vincula, S. Martini in montibus, S. Eusebii, S. Priscae, S. Vitalis, S. Marci, S. Marcelli, *S. Laurentii in Damaso, quae S. Romanae Ecclesiae Vice-Cancellario pro tempore existenti perpetuo concessa et assignata est.* S. Balbinae, S. Caeciliae, S. Chrysogoni, S. Praxedis, S. Mariae trans Tiberim. EX POSTERIORIBUS vero, SS. Quirici et Iulitae, S. Ioannis ante Portam Latinam, S. Agnetis in Agone, S. Laurentii in Panisperna, S. Thomae in Parrione, S. Sylvestri in Campo Martio, S. Pancratii, S. Bartholomaei in Insula, S. Matthaei in Merulana, S. Mariae de Aracoeli, S. Mariae in Via, S. Mariae supra Minervam, S. Mariae Angelorum in Thermis, S. Hieronymi Illyricorum, S. Honufrii in Ianiculo, S. Augustini, S. Mariae de Populo, S. Alexii in Aventino, S. Blasii de Annulo, S. Mariae de Pace, S. Salvatoris de Lauro, S. Petri in Monte Aureo, SS.mae Trinitatis in Monte Pincio, S. Mariae Transpontinae.

447. — II. EX DIACONIBUS vero antiquis retinentur tantummodo quatuordecim, videlicet: S. Mariae in Aquiro, S. Mariae in Cosmedin, SS. Cosmae et Damiani, S. Mariae Novae, S. Adriani, S. Mariae in via Lata, S. Mariae in Porticu, S. Angeli in foro Piscario, S. Nicolai in carcere Tulliano, S. Mariae in Domnica, S. Eustachii, S. Viti in Marcello, S. Agathae ac S. Georgii

ad Velabrum, ecclesias quae insigniores existunt, et praescriptum Diaconorum Cardinalium numerum exaequant. (Sixtus V. Const. *Religiosa Sanctorum).*

448. — III. *Ita ut computatis* ECCLESIIS CATHEDRALIBUS, videlicet *Ostiense* et *Veliterna* invicem unitis, *Portuensi* et *S. Rufinae* itidem unitis, *Albanensi*, *Sabinensi*, *Tusculana*, *Praenestina*, QUIBUS SEX EPISCOPI CARDINALES PRAESUNT, et titulis Presbyterorum superius designatis, numerum septuaginta ecclesiarum constituunt. Et alter praeterea titulus supra numerum additus sit, ut si quando contingat Diaconum vel Episcopum Cardinalem Vice-Cancellarium esse et ideo eumdem dictae Ecclesiae S. Laurentii in Damaso, quae Vice-Cancellario pro tempore existenti per litteras Clementis Papae VII perpetuo concessa et assignata fuit, praeesse, alicui presbytero Cardinali proprius titulus non desit (id.).

449. — **Residentia.** — Cardinales apud Pontificem in Romana curia residere tenentur, nec nisi obtenta ipsius Pontificis licentia a Statu ecclesiastico discedant, (Innocent. X, Constit. *Cum iuxta*, 1646). Nota quod Episcopi facti Cardinales tenentur residere in propria dioecesi, Suburbicarii vero in Curia.

450. — **Varia.** — I. Cardinales a solo Rom. Pontifice possunt creari, et creati deponi. *Unde Leo IV* deposuit Card. tituli S. Marcelli, *Bonifacius VIII* deposuit Card. Iacobum et Petrum de Columna, *Pius VI* an. 1791, deposuit Card. Stephanum Carolum de Loménie de Brienne. — (Cfr. *Acta Pii VI in Gallia*). — *Ad creandos Cardinales sufficit expressa voluntas Pontificis Romani,* quia non est sacramentum sed nobilissima potestas iurisdictionis. Ergo: 1° ritus seu forma creationis pendet a Papa ac proinde mutari potest. 2° Papa non indiget consensu S. Collegii.

451. — II. Cardinales nominati iam inveniuntur ab anno 324, in Synodo Romana post conversionem Constantini a S. Sylvestro celebrata [1], in qua legitur: *A subdiacono usque ad lectorem omnes subditi sint Diacono Cardinali.* Dicuntur *Cardinales* sive *incardinati* S. Rom. Ecclesiae, quia haec est cardo circa quem versatur tota Catholica Ecclesia [2].

[1] Eugenius IV (C. *Non mediocri*, an. 1438) originem Cardinalium a S. Petro repetendam docuit: " Etsi huius dignitatis nomen, quod modo in usu est, ab initio primitivae Ecclesiae non ita expressum fuit, officium tamen ipsum a B. Petro eiusque successoribus institutum evidenter invenies. Immo, ut inquit Innocentius III, ex veteri Testamento, iussu Dei, traxit originem; asserit enim id quod Deuteron. XVII dicitur, ut, pro difficultate et ambiguitate iudicii, accedatur ad sacerdotes Levitici generis et iudicem qui fuerit illo tempore, et obediatur ipsorum iudicio, qui praesunt loco, quem Dominus elegerit, de Summo Pontifice intelligendum esse et fratribus eius, id est S. R. E. Cardinalibus, qui ei, iure Levitico, in executione sacerdotalis officii coadiutores existunt. Itaque et ab exordio Ecclesiae, sicut et hodie, Summo Pontifici in regenda, gubernandaque universali Ecclesia assistebant. Et ut ex concilio Stephani Papae colligitur dicentis: Oportebat ut haec sacrosancta domina Romana Ecclesia, iuxta quod a B. Petro et eius successoribus institutum est, rite ordinaretur, et in apostolatus culmine unus de Cardinalibus presbyteris aut diaconis consecraretur, datur manifeste intelligi, hos fratres nostros qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitisse ".

[2] Leo XIII (Alloc. *Ubi primum,* 28 Martii 1878) haec de munere et dignitate Cardinalium dixit: " In his autem partibus Ministerii Nostri obeundis, consilium, sapientiamque Vestram Nobis non defuturam confidimus, et ut nunquam desit, vehementer exoptamus ac petimus; quod quidem ita a Vobis accipi volumus, ut non officii studio, sed pro so-

452. — III. Leo X in C. *Superna* confirmat Cardinales caeteros omnes in Ecclesia post S. Pontificem honore et dignitate praecellere [1]. Habent enim iurisdictionem universalem [2]; caeteri particularem [3]. Sunt

lemni testificatione Nostrae voluntatis hoc dictum intelligatis. Alte enim insidet menti Nostrae quod in sacris Litteris ex Dei iussu Moyses fecisse narratur, qui gravi pondere universum populum regendi deterritus congregavit sibi septuaginta viros de senibus Israel, ut una cum eo onus ferrent, atque opera consilioque suo in gentis Israeliticae regimine curas eius allevarent. Quod quidem exemplum, Nos, qui totius Christiani populi duces ac rectores, licet immerito, constituti sumus, prae oculis habentes, facere non possumus quin a Vobis septuaginta virorum Israel in Ecclesia Dei locum obtinentibus, laboribus Nostris opem, animoque Nostro levamen conquiramus. — Noscimus insuper, uti sacra eloquia declarant, *salutem esse ubi multa consilia sunt*, noscimus, ut monet Tridentina Synodus, Cardinalium consilio apud Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administrationem niti, noscimus denique a S. Bernardo Romani Pontificis collaterales et consiliarios Cardinales appellari... „

[1] Etiamsi non sint Episcopi, sed Presbyteri vel Diaconi: " Nec causetur quispiam quod ordo episcopalis presbyterio maior sit, quoniam in eiusmodi praelationibus, officium ac dignitas sive iurisdictio praeponderat ordini „. (Eugenius IV, C. *Non mediocri* an. 1438).

[2] Haec tamen iurisdictio non est stricte talis, nam, ait De Angelis (l. 1, tit. 31, n. 9): " Vivente Pontifice, Cardinales qua tales nullam habent proprie dictam iurisdictionem, sed solent a Pontifice causis pertractandis ac finiendis delegari, quae ad Sedem Apostolicam quomodocumque in re disciplinari adveniunt, et hinc dicitur a S. Bernardo, quod ipsi sint *orbem iudicaturi*. At Cardinales Episcopi in suis dioecesanis Ecclesiis habent ordinariam iurisdictionem „.

[3] " Quis etiam non videat Cardinalatus dignitatem Archie-

Papae collaterales et adiutores, constituunt senatum eiusdem. Hinc illud D. Bernardi: « Veniamus ad collaterales, et adiutores Tuos *(Eugenii III)*. Hi seduli tui; hi intimi tui, eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi ».

453. — IV. Ornarunt plurimum Cardinales Innocentius IV et Paulus II, quorum alter dedit rubrum galerum, alter rubrum pannum, quo equitantes sternerent equos, aliaque honoris insignia, quae primum Cardinalibus ex Clero saeculari data sunt, deinceps Gregorius XIV, etiam Regularibus rubrum pileum attribuit. Denique Urbanus VIII eos titulo EMINENTISSIMI honestavit. Incertus *olim* et varius eorum numerus fuit. (Devoti, p. 145). Cardinales regibus aequiparantur: unde reges sedent post primum Cardinalem Episcopum in illis consistoriis quibus adsistere ipsis permittitur. — Offendens Cardinales est reus laesae maiestatis. (Ferraris, ib. *addit Barbiel.)*.

454. — V. Suum vero munus explent Cardinales praesertim *in electione S. Pontificis*, in *Consistorio* coram Summo Pontifice, et in *Congregationibus*, quae coetus sunt Cardinalium a Pontificibus instituti ad certa negotia curanda, discutienda ac definienda. Earum

piscopali esse maiorem dignitate, quia cum illa privatae unius patriae praesit utilitati, ista publicae totius populi christiani? Illa unam dumtaxat regit Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica universas, et cum a nemine, nisi solo Papa iudicentur Cardinales, ipsi Patriarchas et Archiepiscopos et reliquos Ecclesiae gradus, cum Summo Pontifice, iudicant. Quorum officio nomen ipsum consonat optime; nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hoc Sedes Apostolica, totius Ecclesiae ostium, quiescit et substentatur ". (Eugenius IV, C. *Non mediocri* an. 1438).

aliae sunt *ordinariae*, quae scilicet perpetuo sunt addictae certis negotiis expediendis; aliae *extraordinariae*, quae pro certis rebus praeter consuetudinem indici solent, quibus absolutis, dissolvuntur. (Vid. *Theol. Mor*. ubi de legibus).

455. — VI. *Habent autem Cardinales in suis titulis amplam iurisdictionem in iis quae ad earum ecclesiarum servitium pertinent.* — Non autem habent iurisdictionem episcopalem in iisdem titulis, sed, ut patet, oeconomicam [1].

Art. II. De Legatis et Nuntiis.

456. — I. **Legatorum nomine** *illi intelliguntur Pontificis ministri, qui in partibus ab Urbe dissitis eius vices agunt.* Olim speciem quamdam legatorum praeferebant Vicarii Apostolici, quo nomine intelligebantur quidam Episcopi a S. Pontifice in provinciis deputati, ut suo nomine supra alios Episcopos, et integram provinciam vigilantiam et iurisdictionem exercerent. Sed nunc legati, sunt vel a latere vel missi, vel nati [2].

[1] Proposito dubio " Utrum in Ecclesiis tituli Cardinalitii ius consecrandi Altaria spectet Em.mis Cardinalibus earumdem Titularibus, vel potius Em.mo Cardinali Urbis Vicario „; Commissio quinque Cardinalium a Pontifice ad casum deputatorum die 25 Ianuarii 1879 respondit: " Affirmative ad primam partem, negative ad secundam „. Leo XIII die 30 eiusdem mensis resolutionem confirmavit.

[2] Multae Legatorum species creantur; alii, qui ad sponsalitia Principum mittuntur; alii, ut Baptismalem caeremoniam pro regum primogenitis celebrent; alii, ad gubernandas status Ecclesiastici provincias, sive ut praesideant in Oecu-

457. — II. LEGATI A LATERE *sunt Cardinales, quos Rom. Pontifex quasi ex suo dimissos latere, cui semper adhaerere censentur, aut ad supremos principes, aut in ditionis Ecclesiasticae provincias mittit.* 1° Utuntur Apostolicis insignibus et amplissima fruuntur potestate. 2° Ipsis praesentibus, alterius Legati auctoritas cessat. 3° Legatis a Latere praesentibus, Archiepiscopus et Patriarcha nequeunt praeferre Crucem.

458. — III. LEGATI MISSI sive NUNTII *a Rom. Pontifice mittuntur ad Principes et in locis sive regnis legationis pontificiam iurisdictionem explicant.* Non sunt Cardinales. Cardinales facti, saepe per aliquod tempus nuntiaturam regunt cum titulo *Pro-Nuntii* [1].

459. — IV. LEGATI NATI *sunt illi, qui legationis munus propriae dignitati adiunctum habent.* TALES Episcopi Cantuariensis et Eboracensis *in Anglia*, Remensis, Bituricensis et Lugdunensis *in Gallia*, Tole-

menicis Conciliis: " Cum enim propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de latere meo mitterem, qui defensioni veritatis assisterent ": S. Leo Papa, epist. 14 ad Faust. Sed in rigore Legati *a latere* illi tantum dicuntur, qui a latere Pontificis solemnibus caeremoniis creantur, et pro aliquo publico Christianitatis negotio ad Reges mittuntur (Macri, *Hierolexicon*, v. *Legatus*).

[1] " Isti quidem Nuntii residentes Cardinalitia dignitate non sunt condecorati (nisi extraordinarie ad tempus Pro-Nuntii locum teneant), sed charactere Episcopali fulgent, et aliquando mittuntur *cum potestate Legati a latere.* Sed in hoc casu quod est Legatis *a latere* speciale non venit ex *cap. 1, h. t. in VI*, nisi in litteris id fuerit peculiariter expressum. Uno verbo ad dimetiendas istorum Nuntiorum facultates, necesse est Litteras Missionis expendere ". (De Angelis).

tanus et Bracarensis *in Hispaniis*, Salisburgensis *in Germania*, Pisanus *in Italia* [1].

460. — **Facultates Legatorum.** — I. « Nemini dubium esse volumus, ait Greg. IX (in cap. 11, *de off. Legat.)*, quin Legatorum Sedis Apostolicae statuta edita in provincia sibi commissa durant tamquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi ».

461. — II. Universas causas, quae per appellationem vel querimoniam ad eorum audientiam perveniunt, audire possunt et debent.

462. — III. Ipsorum officium non expirat morte mittentis.

463. — IV. *Legati nati* hodie habent titulum sine re, et honorificum nomen tantum. (Cfr. Soglia).

464. — V. *Ordinariae Legatorum facultates hodie huc fere reducuntur*, ut invigilent, an omnia recte fiant in provincia sibi assignata, ut errores et abusus Rom. Pontifici significent, ut informationem accipiant circa vitam et mores eorum, qui ad Episcopatum as-

[1] " Saeculo XV disparuerunt Legati nati, amiseruntque universam iurisdictionem, non confirmantibus amplius Romanis Pontificibus eorum iura. Paucis verbis id exponit Petrus De Marca, *De Concordia Sacerdotii et Imperii*, lib. VI, cap. 29, n. 6: ' Romani Pontifices cum intelligerent Metropolitanos ferre nolle uni ex suo corpore conferri ius perpetuae praesidentiae, existimarunt mittendos esse legatos in Gallias et in alia regna. „ Hoc fuit initium Nuntiorum, qui dicti sunt *residentes*. Eorum positio sub uno respectu valde similis est positioni Apocrisiariorum vel Responsalium, qui saltem a Leonis Magni temporibus ad Constantini Pogonati Imperium in Constantinopolitana urbe apud Orientis Imperatores, et in ipsa Imperatorum aula residebant. (De Angelis).

sumuntur, et ut repraesentent S. Pontificem penes saeculares principes, eorumque internationalibus deliberationibus assistant [1]. *Melius concludendum cum Card.*

[1] Die 14 April. 1885 Em.us a Secretis Status Leonis PP. XIII, improbavit quoddam scriptum " ubi Episcopis fas esse asseritur, ab illius auctoritate, qui Romani Pontificis personam gerit, se in rebus quae ad Religionem attinent, subducendi, quum ipsis propriam conscientiam consulere satis sit: in iis quae et civilem simul et religiosum rerum ordinem attingunt, sive legibus, sive factis cuiusque Dominatus censoriae severitatis notam inurendi potiori cum quoad amplitudinem, tum vero etiam quoad extensionem, prae Nuntio Apostolico, Episcopum iure pollere: Nuntii actionem humanis rationibus praepediri, Episcoporum vero liberam esse: Nuntii item Apostolici officium iis negotiis, quae ad exteras iurisque publici inter Ecclesiam civilemque Dominatum relationes spectant, contineri; Episcoporum vero (officium) internas, atque ad rei ipsius naturam pertinentes, quas inter utrumque Principatus Deus statuit, relationes attingere: haud verum esse, quod, ut ipse scriptor ait, ephemeridum more asseritur, Nuntium essentiales Ecclesiam inter et civilem Principatum relationes praeseferre; ideoque neque Catholicorum, neque Episcoporum debere in Nuntii Apostolici praecipientis auctoritatem oculos esse conversos, ut ipsius mandatis vitae suae rationem conforment: Eius qui Pontificis Romani personam gerit, officium potestatemque in quodam speciali rerum ordine, qui ad ius publicum pertinet, versari; quique ab eo ordine quo Catholici continentur, itemque ab eo, quo cuiusque Praesulis actio circumscripta est, apprime distinguitur: ex quo, exempli gratia, factum esse ait, ut qui Romani Pontificis in Hispania vicem gerit, scripto quopiam typis edito et publici iuris facto, amicas atque sinceras inter S. Sedem et Hispaniae Dominatum relationes intercedere ex officio affirmaverit; quum et Catholici, omnesque Episcopi, quae inter utrumque Principatum

De Luca (discurs. 23 ad C. Trid.): « ID TOTUM PENDERE A TENORE FACULTATUM. » *Unde certa regula*

relationes intercedunt, detestabiles prorsus esse affirment: posse quippe ratione iuris publici et gentium aliquid verum esse, quod reapse non sit. „ — De quibus erroribus idem Em.us Cardinalis dixit: " Haud fugit quam perniciosa atque iniuriosa sint haec *axiomata*, per quae Gallicanorum Febronianorumque vetusta placita suscitantur, a S. Sede, praesertim vero a S. M. Pio VI in percelebri Opere, cui titulus *Responsio super Nuntiaturis*, iampridem reprobata atque damnata... — Iam vero si Romanus Pontifex, ratione sui primatus, in universam Ecclesiam plena ac suprema auctoritate pollet; si hanc Ipse per se et proxime exerçere potest, Legatos etiam, qui ipsius vicem gerant, quibusque Pontificiae potestatis exercitium, qua velit mensura exequendum, attribuat, quocumque ipsi placeat mittendi profecto ius habet. Atqui Nuntii Apostolici Romani Pontificis, a quo auctoritas eo modo exercenda ac forma ab ipso praescripta in illos derivatur, reapse vicem gerunt; proindeque si Episcoporum auctoritas supremae Pontificis auctoritati subiecta esse debet, neque contra Eius voluntatem legesque ab Ipso statutas exerceri unquam potest, inde consequitur, episcopalem auctoritatem contra Nuntii Apostolici praescripta nunquam exseri posse, praesertim vero quum iste velut *organon* auctoritate plenum, quo Pontifex, ut cum Fidelibus atque Episcopis communicet, opportune utitur, quid iste velit omnium maxime agnoscat... — Praeterea Nuntius Apostolicus, ut Summi Pontificis vicem gerens, neque Fidelibus, neque illius Nationis Episcopis, ubi ille commoratur, subditus est; ideoque neutri officia eidem sive imponendi, sive definiendi ius habent; multoque minus eius acta iudicandi, quae cum a Fidelibus, tum vero etiam ab Episcopis sunt reverenda, salvo ipsis iure, si quando rationes suspicandi suppetant, Nuntium suae missionis terminos praetergredi, suoque Legati munere abuti, ad S. Sedem confugiendi. Quo-

statui nequit circa Legatorum facultates. — Cfr. Soglia, Devoti, C. Ferrari. [1].

modo ergo affirmari potest, Nuntium Apostolicum, ad ea tantum negotia curanda, quae iure publico sive gentium continentur, sine ulla auctoritate circa ea quae Religionem etiam attingunt, missionem suscipere? — Nec minori censura dignum videtur quod eiusdem Ephemeridis scriptor asserit, Nuntium scilicet Apostolicum, hac ipsa de causa quod ad ea tantummodo negotia, quae sunt iuris publici, curanda Legatus mittitur, quasdam conditiones, quas *detestabiles* quidam arbitrantur, bonas nihilominus, aut saltem *tolerabiles* edicere posse. Quae quidem assertio si vera esset, exinde profecto, quod Ecclesiae Religionique reapse perniciosum est, id bonum ac tolerabile S. Sedem declarare posse consequeretur: acta enim Nuntii, quae virgula censoria a S. Sede notata non sunt nec reprobata, tamquam huius acta haberi iure possunt: haec igitur assertio supremo Ecclesiae Capiti minimum iniuriosa est, ideoque omnino reprobanda. — Postremo nec veritati consonum est, quod idem Ephemeridis scriptor affirmat, Nuntium videlicet, quo minus veritatem prodat, iustitiam asserat, humanis rationibus praepediri; Episcopos vero maiori libertate pollere. Nuntio quippe Apostolico, ut qui Principis nemini subiecti vicem gerit, a civili Dominatu, penes quem Legati munere fungitur, quemadmodum nihil sperandum suppetit, ita nihil est timendum „. (Ex Ephem. *Acta S. Sedis*, vol. 17, p. 561 et seqq.) — Nota: Retractatio A. articuli, hic improbati (qui non ex malitia erravit) et humilis subiectio Directoris Diarii in quo idem scriptum publicam lucem vidit, ea fuit, quae de scriptoribus aliunde religiosissimis et peritissimis spectari debeat: et merito laudantur ap. Pallottini *Collect. conclus. et resol. S. C. C.*, vol. 14, p. 379.

[1] Nuntius Matritensis facultates plurimas impertire potest, quarum numerus et taxa habentur in periodico *La Cruz*, 19 Aug. 1871.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Quod Eva ligavit per incredulitatem, Maria solvit per fidem (S. Iren.): Fides Mariae coelum aperuit, cum angelo nuntianti consensit (S. Aug.).

MARIAM INVOCA. AVE Sceptrum orthodoxae fidei (S. Cyril. Alex.): AVE Legatio nostra ad Deum, cuius orationibus ipse Deus pacem mundo largitur, regni sceptra corroborat, et Ecclesias suas coniungit in unum (S. And. Cret.).

MARIAM LAETIFICA. Omnia propter illam faciendo, ut melius Filio suo placeas; firmissima et *practica* fide: « Dicis credo, fac quod dicis, et fides est. » (S. Aug.). — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. III. — DE EPISCOPORUM GRADIBUS

ART. I. De Patriarchis.

465. — **Praenotandum.** — I. « Inter beatissimos Apostolos in similitudinem honoris fuit quaedam discretio potestatis, ut cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut caeteris praeemineret, de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidem in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem, universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil a suo

capite dissideret. » (S. Leo M. epist. 84 ad Anast. Thessalon.).

466. — II. « Cum Apostoli fere omnes fixas Sedes « non habuerint, Episcopi Apostolorum successores dici « non possunt, nisi in genere, ut loquuntur Theologi « nostri polemici, id est, dici non possunt speciatim « successores Andreae, vel Philippi, quorum auctori- « tas, cum extraordinaria esset, cum ipsis interiit. » (Nat. Alex.).

467. — III. Ea est natura hierarchiae ecclesiasticae, ut eiusmodi superior dignitas inferiorem non supprimat; qui dicitur Metropolita, idem est Episcopus: Patriarcha est simul Metropolitanus sicut Summus Pontifex, ut notavimus, est caput Ecclesiae, Patriarcha Occidentis, Primas Italiae, Metropolita provinciae romanae, Episcopus Romae. (Huguenin).

468. — **Origo Patriarcharum.** — I. Episcopi ordine pares, iurisdictione tamen et imperio superiores sunt etiam Patriarchae, Primates, Metropolitae. Patriarchas quasi PATRUM PRINCIPES interpretatur Isidorus, et ius quidem patriarchicum Nicaeno Concilio antiquius est. Sed eius nominis prima mentio occurrit in Concilio Chalcedonensi, illudque primum singulari quadam ratione Summo Pontifici, deinceps etiam Alexandrino, Antiocheno, postque Hierosolymitano, aliisque nonnullis Exarchis imitatione quadam tributum est (Devoti).

469. — II. Proprie ad praecipuos Exarchas Patriarchae appellatio pertinet, sed interdum etiam ad Exarchas minorum gentium, qualis, ex. gr., erat Episcopus Caesariensis, traducta est (id.).

470. — III. *Quatuor ergo sunt maiores Patriarchatus* (praeter *Romanum* undequaque nobiliorem auctoritateque ac potestate maximum): 1° Constantino-

politanus, 2° Alexandrinus, 3° Antiochenus, 4° Hierosolymitanus. (Etiam ordine praecedentiae, ex Innoc. III).

471. — **Patriarchae hodierni.** — I. *Antiqui Patriarchatus orientales nomine solum perseverant*, quia in schisma lapsi, unitatem et iura Patriarchalia amiserunt.

472. — II. Rom. Pontifex ne illorum Patriarcharum memoria oblivione deleatur tantam dignitatem confert quibusdam Episcopis latinis, qui PATRIARCHAE TITULARES *appellantur et Romae plerumque commorantur.*

473. — III. *Pius IX Patriarchatum latinum Hierosolymitanum* instauravit per Bullam *Nulla celebrior.* Et Leo XIII Archiepiscopatum Goanum in Indiis « dignitate patriarchali ad honorem » decoravit (Vid. C. *Humanae salutis auctor*, 1 Sept. 1886) [1]. — In libro *La Gerarchia Cattolica* pro anno 1891, Patriarchatus (praeter Romanum, qui primatum tenet) hoc ordine describuntur: 1° Constantinopolitanus; 2° Alexandrinus; 3° Antiochenus Melchitarum; 4° Antiochenus Syrorum; 5° Antiochenus Maronitarum; 6° Antiochenus Latinorum; 7° Hierosolymitanus; 8° Venetiarum; 9° Babylonensis Chaldaeorum; 10° Ciliciae Armenorum; 11° Lisbonensis; 12° Indiarum Occidentalium; 13° Indiarum Orientalium.

474. — IV. *Ex ruinis antiquorum Patriarchatuum*

[1] In Concordato inter S. Sedem et Regem Lusitaniae de rebus goanis 23 Iun. 1886, art. 2, legitur: " L'Arcivescovo *pro tempore*, per benigna concessione di Sua Santità, sarà elevato alla dignità di Patriarca *ad honorem* delle Indie Orientali, e godrà inoltre il privilegio di presiedere ai Concilii nazionali di tutte le Indie Orientali, i quali ordinariamente si aduneranno a Goa, salvo al Papa il diritto di disporre altrimenti in circostanze particolari ".

Orientalium exortae sunt variae Patriarchales sedes pro variis (non pro omnibus) ritibus Orientalibus. Ex quibus Antiochenus Patriarcha Graecorum-Melchitarum, Patriarcha Antiochenus Maronitarum, Patriarcha Syrorum, Patriarcha Chaldaeorum, Patriarcha Ciliciae Armenorum Catholicorum, Patriarcha Alexandrin. Coptorum: qui catholici sunt, communionem et gratiam Apostolicae Sedis habentes. [1].

475. — V. *In Occidente sunt alii Patriarchae* MINORES dicti, scilicet *Patriarcha Venetus, Ulyssiponensis, et Indiarum Occidentalium* (in Hispania degens). Quibus addendus Patriarchatus *Indiarum Orientalium* seu Goanus, de quo n. 473.

476. — **Iura antiquorum Patriarcharum.** — I. *Ius consecrandi Metropolitas, eisque pallium tribuendi,* postquam tamen ipsimet Patriarchae a Rom. Pontifice pallium accepissent. Patriarcha Alexandrinus *omnes sui Patriarchatus Episcopos* et Metropolitas consecrabat. — II. *Ius convocandi et praesidendi Synodos* ex provinciis sibi subiectis. — III. Ius accipiendi appellationes a Metropolitarum iudiciis, etc. Uno verbo: in toto territorio patriarchali iurisdictionem habebant ordinariam in Archiepiscopos sibi subiectos.

477. — **Iura actualium Patriarcharum.** — I. PATRIARCHAE TITULARES solam honoris praerogativam retinent absque iurisdictione. NOTA: Hodie Patriarcha latinus Hierosolymitanus veram iurisdictionem sed me-

[1] Ritus Orientales sunt: I. Ritus *Armenus;* - II. Ritus *Coptus ;* - III. Ritus *Graecus* (estque quintuplex: Graecus Purus, Graeco-Rumenus, Graeco-Bulgaricus, Graeco-Ruthenus, Graeco-Melchita); - IV. Ritus *Syriacus* (estque quadruplex: Syriacus Purus, Syro-Chaldaicus, Syro-Maronita, Syro-Malabaricus).

tropoliticam tantum exercet et, ut dictum est, in sua Sede commoratur.

478. — II. PATRIARCHAE MINORES OCCIDENTALES, i. e. Indicus, Venetus, Lusitanus, Goanus, *iurisdictione* Metropolitas non superant, et ex hoc capite aequiparantur Primatibus.

479. — III. PATRIARCHAE CATHOLICI RITUUM ORIENTALIUM gaudere solent, ex Apostolicae Sedis privilegio, aliquibus ex iuribus quibus antiqui Patriarchae fruebantur. Ad quod necesse est, ut novus quisque Patriarcha ad praescriptas formulas et catholicam fidem profiteatur, et iuramentum fidelitatis praestet, dum suae electionis confirmationem et pallium a Rom. Pontifice consequatur. — Cfr. Soglia, Devoti...

480. — **Varia.** — I. Patriarchae ordine dignitatis sedent post Rom. Pontificem et Cardinales. — II. *Patriarcharum maiorum institutio a D. Petro, et Apostolis repetenda est*, quod indubitatum videtur, si de Romano, Antiocheno et Alexandrino Patriarcha sermo sit, quia D. Petrus Ecclesiam Antiochenam septem annis, Romanam viginti quinque, et Alexandrinam per Marcum Evangelistam discipulum suum gubernavit. Cfr. C. Ferrari, Soglia. — III. Attamen « Metropoliticam aut Patriarchalem dignitatem a Christo institutam fuisse, merum commentum est quod ne verosimilitudinis quidem umbram habet » ait Dupinius ap. Soglia. — IV. « Primates vel Patriarchae nihil iuris prae caeteris habent, nisi quantum canones concedunt », ait Innoc. III.

ART. II. De Primatibus et Metropolitis.

481. — **Origo Primatuum seu Exarcharum.** — I. In Oriente tres fuerunt *Exarchae :* Ephesinus, Hera-

cleensis et Caesariensis, quorum iura interiere quando ex illorum provinciis erectus fuit Patriarchatus Constantinopolitanus. — II. In Occidente *Primates* appellati sunt Episcopi sedium quibus *Vicariatus apostolicus* vel *Legatio nata* quondam annexa fuit. Tales Antistites Bituricensis, Toletanus, Salisburgensis, Pisanus, etc. [1] Unde Primates sunt episcopi qui primas sedes Episcopales Nationum obtinent, quique praesunt omnibus Metropolitis.

482. — **Iura Primatuum.** — I. *Poterant*, inter alia, in toto Primatu crucem anteferre et appellationes a Metropolitarum sententiis recipere. — II. *Hodie* honoris tantum praerogativam habent, non vero iurisdictionis.

483. — **Varia.** — I. In Gallia, per concordatum an. 1801, Lugdunensis Primas ius appellationis (quod *adhuc* habebat) amisit. — II. Apud Afros Primates Metropolitae erant, atque hinc Numidiae metropolitanum *Primatem* Augustinus vocat (Devoti).

484. — **Origo Metropolitarum.** — I. Apostoli fuerunt auctores Metropolitanae dignitatis. Certum enim est Titum a D. Paulo constitutum fuisse Metropolitam pro Creta, et Timotheum pro Asiae provincia. De qua re haec scripsit S. Leo Magnus: « Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret: de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis sin-

[1] Inter Primates habentur et alii plurimi Metropolitae, ut Tarraconensis, S. Salvatoris seu de Bahia in Brasilia, Bogotensis in Columbia, etc.

guli, quorum inter fratres prima haberetur sententia ». (Epist. 84). Et Patres Antiocheni, dignitatem statuerunt: « Per singulas provincias Episcopos singulos scire oportet, Episcopum Metropolitanum, qui praeest, curam et sollicitudinem totius provinciae suscepisse » (Cap. 2, caus. 9, q. 3). — II. Fuisse Metropolitas ante C. Nicaenum, perspicuum est ex ipsius Concilii can. 6 et 7. — III. *Metropolitae nomen* a Metropoli repetitur, quae est urbs provinciae caput. — IV. « *Archiepiscopus* graeco dicitur vocabulo, quod sit summus Episcoporum, tenet enim vicem Apostolicam, et praesidet tam Metropolitanis quam Episcopis » (S. Isidor. de Etymologiis). Hodie tamen Archiepiscopus et Metropolita idem sonant; sed Archiepiscopus non habens suffraganeos non est Metropolita. — Cfr. Soglia, Devoti.

485. — **Iura Metropolitarum.** — I. Singulis trienniis [1] Concilium provinciale convocant, eique praesident.

[1] " Notat vero Giraldi... Concilii provincialis convocationem suo tempore fere ubique obsolevisse, et auctoritate Card. De Luca *Discursu 30 Concil. Trident.*, in Italia prohibitam esse hanc convocationem inconsulta Sede Apostolica, quae aliquando, sed raro Suffraganeorum informationibus prius auditis, omnibusque diligenter pensatis, id remandare solebat. Et id forsan eo tempore propter dissentiones inter Metropolitanos et Suffraganeos locum habere poterat. Hodie tamen ista incommoda recesserunt, sicut pariter recessit zelus nimius intromissionis ex parte civilis Gubernii: ex quo accidit, ut auctoritas suprema ecclesiastica non solum se facilem exhibuerit in permittendis hisce Synodis provincialibus, sed potius auctorem se fecerit pro iis promovendis, quemadmodum hodierna praxis habet et experientia demonstrat nostri temporis, necnon exhortationes, quae fiunt a S. Congregatione Concilii in responsio-

486. — De qua re ita Conc. Rom. an. 1725, tit. 2, cap. 2: « Ex hoc quia Episcoporum Concilia (Provincialia) minime vel raro sunt celebrata, multae sane, quae correctione opus habent, ecclesiasticae res negligantur, controversiae percrescant, fidelium mores deformentur, et Religio ipsa in dies non pauca sustineat, eisdem contra eam pugnantibus sanctae matris Ecclesiae filiis »: Praecipit Concilium Tridentinum ut « Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis, renoventur » (Sess. 24, cap. 2, de ref.).

487. — Unde tempore legitimo, « Metropolitani per se ipsos, seu, illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior... post Octavam Paschae Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more Provinciae, non praetermittat Synodum in Provincia sua cogere, quo Episcopi omnes, et alii qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur » (Conc. Trid. ibid.).

488. — Sed Leo XIII, in Const. *Trans Oceanum*, pro tota America Latina concessit, « ut Concilii provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit ».

489. — Difficultates contra regularem celebrationem Conciliorum Provincialium superabiles suadent et non

nibus ad relationes Archiepiscoporum ad S. Limina. Et revera Concilia haec provincialia iterum celebrantur ubique locorum, atque ecclesiastica disciplina eorum ope ubique restauratur. „ (De Angelis, l. 1, tit. 31, append.).

parum eliminant, Conventus seu Conferentiae Episcopales, quae ex praescripto S. Sedis variis in regionibus stato et frequenti tempore celebrantur. De qua re haec leguntur in Conc. Plen. Americae Latinae, art. 202: « Quoniam conferre ad optimum ecclesiasticarum provinciarum regimen et ad fidelium aedificationem, sanctam Antistitum concordiam ac necessitudinem compertum est, Scriptura testante: *Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. XVIII. 19), peroptamus, ut constanter servetur inter Metropolitanos eorumque Suffraganeos sanctae amicitiae et charitatis vinculum, et arctius in dies, per consuetudinem et per mutua praesertim in rebus gravioribus consilia, foveatur. Quapropter Plenarium hoc Concilium singularum Provinciarum Americae Latinae Antistites, his verbis SS. D. N. Leonis XIII hortatur: « Vigeat in vobis charitas arctissima et animorum concordia, *ut idem sapiatis, unanimes idipsum sentientes* (Philip. II. 2). Cuius rei gratia summopere commendamus ut inter vos frequenter communicetis consilia, atque episcopales conventus, pro locorum intervallis sacrisque muneris officiis, saepi usitetis ». Tempus autem huiusmodi episcopales conventus habendi, triennium non excedat, et in singulis Provinciis de communi Episcoporum consilio stabili modo determinetur.

490. — Normam autem huiusmodi Conventuum Episcopalium habendorum varia est, in accidentalibus, pro diversitate regionum. Sed inter normas a S. Sede datas, habetur sequens Instructio S. C. NN. EE. EE. 1 Maii 1900, quae, argumento *a fortiori*, haud difficiles suadet eosdem conventus. Ibi dicitur: « 1° Tertio quoque anno, crebrius etiam pro necessitate vel opportunitate, Episcopi omnes uniuscuiusque Ecclesiasticae

provinciae conveniant, de communibus Ecclesiarum suarum negotiis coniunctim acturi. — 2° Sedem primi conventus Metropolita designet: in posterum ipse Episcoporum coetus pro qualibet insequenti vice. — 3° Episcopalem consessum Metropolita convocet et moderetur, et, in eius defectu, senior in ecclesiastica hierarchia. — Secretarii munere fungatur is, quem Episcopi suo suffragio designaverint. — 4° Congressuris ad deliberandum maxime proponantur opportunae rationes, quibus efficaciter eliminentur difficultates et excusationes quae contra religiosam observantiam omnium decretorum Concilii Plenarii produci contigerit; necnon ad fortiter et suaviter corrigendas negligentias in eadem observantia. Speciatim vero totis viribus curandum erit, ut efficaciter ad praxim ubique deducantur, quae in Concilio Plenario decreta sunt de Indorum ad fidem conversione et eorum institutione in christianis praeceptis et morum urbanitate. Agendum pariter erit, tum de assiduo indigenarum idiomatum studio sacerdotibus urgendo, ut ad salutare missionum opus habiles reddantur; tum de infausta dilatione baptismi parvulorum, ruri vel in locis ubi deficiunt sacerdotes, degentium; tum de corrigenda parochorum negligentia quoad infirmos praesertim ruricolas Sacra Eucharistia reficiendos; demum de aliis id genus argumentis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum provehendam necessaria vel utilia Episcopis, pro eorum zelo ac prudentia, videantur. — 5° Propositiones et sententiae coetus Episcoporum, maxime vero graves difficultates quae in executione et observantia unius vel alterius decreti Concilii Plenarii occurrere possunt, ad notitiam Sanctae Sedis, sicuti par est, accurate deferantur, servata norma praescripta in articulo 995 eiusdem Plenarii Concilii.

— 6° Acta huiusmodi consessuum episcopalium breviori qua fieri poterit forma redigantur; et si quae resolutiones vel praescriptiones clero vel fidelibus communicandae videantur, id per litteras circulares vel per epistolam pastoralem communem, concisa pariter forma exaratam, fieri poterit ».

491. — II. Metropolitae Suffraganeorum negligentiam supplent eosque compellunt ad residentiam.

492. — III. Minores causas criminales Episcoporum *in Concilio Provinciali* tantum cognoscunt. Graviores causae Papae reservantur.

493. — IV. Metropolitae in Dioeceses Suffraganeorum nulla iurisdictione pollent, nisi in *appellatione*, in *visitatione*, et in *devolutione*. Hinc 1° Appellationes a sententia Suffraganeorum suscipiunt et iudicant. 2° *Causa cognita et probata in Concilio provinciali*, possunt dioeceses suffraganeorum visitare. Secus, non possunt. Unde haec visitatio fere desuevit. 3° Sede suffraganei vacante, Vicarium capitularem ex iure devolutionis constituunt, si Capitulum id per octo dies a morte Episcopi neglexerit. Si vero sedes metropolitana vacet, haec facultas competit Episcopo provinciae antiquiori.

494. — V. Metropolita cum visitationem in suffraganei dioecesi persolvit, potest *crucem praeferre*, benedictionem impertiri, pontificalia facere, aliaque plura exequi, quae visitationem respiciunt. At haec visitatio in Italia non fit absque Apostolica commissione [1].

[1] Notandum: I. " De iurisdictione Archiepiscopi generalis regula statui haec potest, eum esse Ordinarium suorum Suffraganeorum in iis tantum quae a iure ei sunt permissa, nullam autem habere iurisdictionem in locis quae intra eorum dioecesim sunt, vel in eorumdem subditos, nisi in

Art. III. De Cruce et Pallio.

495. — **Crux.** — I. Thomassin. *(de vet. et nov. Eccl. disc. p. 1, l. 2, c. 8)* docet « praelatas esse cruces Pontificibus primo Romanis, inde Legatis pontificiis, ac denique Archiepiscopis, *quod nemini non persuasissimum esset, nusquam eos procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi Crucem imperiumque aut constabiliendum aut propagandum.* »

496. — II. *Crux concessa fuit:* 1° Legatis; 2° Patriarchis; 3° Primatibus; 4° Aliquibus Metropolitis; 5° *Omnibus Archiepiscopis.* Constat ex Clementina (a Clem. V) secunda *de privil.* « Archiepiscopo per quaevis loca exempta suae provinciae facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut crucem ante se

casu iurisdictionis devolutae, vel cum agitur de re, quae ad totam provinciam pertineat „. Zitelli, *Apparat. Iuris eccl.)*. — II. " An valeant insistere pro observantia interminatis quoque censuris disputant Doctores, et Card. Petra in Comment. ad Constit. 7, Leonis IX, num. 88 et seq., docet id fieri ab Archiepiscopis debere cum magna consideratione, et nonnisi consulta S. Congregatione Concilii „ (De Angelis, l. 1, tit. 31, n. 17). — III. " Ex virtute dispositionis Tridentinae eximi non viderentur causae civiles Episcoporum suffraganeorum a tribunali Metropolitani; verum Barbosa, *De Iur. Eccl. univ.* l. 1, c. 7, n. 46, refert S. Cong. Episc. et Reg. die 31 Maii 1588, respondisse, Archiepiscopum non posse esse iudicem in causis civilibus quae agitantur contra Episcopos suffraganeos „. (Santi, l. 1, tit. 31, n. 153). Ex Const. Urbani VIII, 7 Octob. 1634, cognitio causarum legitimae absentiae Episcoporum Papae reservantur. Unde Metropolitae non amplius concedere possunt suffraganeis licentiam commorandi extra Dioecesim ultra trimestre conciliare.

libere portare faciat.... sacro probante Concilio, praesentis Constitutionis serie duximus concedendum. »

497. — **Pallium** *est fascia lanea candida, tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quae humeros cingit, et habet duas lineas ante pectus et intra humeros impendentes cum sex sericis nigrisque crucibus intextis:* — I. Die S. Agnetis Virginis (21 Ian.) in eiusdem Agnetis templo in via Nomentana singulis annis duo candidi agni offerri ac benedici solent, cum in Missa imploratur Agnus Dei, deincepsque Apostolicis Subdiaconis traduntur, atque in aliquo Sanctimonialium monasterio nutriuntur, donec suo tempore tondeantur. Ex ea vero lana permixta reliquae lanae cum in filum deducta fuerit, pallia conficiuntur (Devoti).

498. — II. Pallium sumitur ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus, idcirco *ex eodem Petri corpore, sumptum dicitur*, ac per ipsum plenior Patriarcharum et Metropolitarum potestas designatur (id.).

499. — **Origo Pallii.** — I. Origo Pallii a divisione ecclesiasticarum provinciarum videtur repetenda, eo praesertim tempore, quo Sacerdotes a Diaconis, a Sacerdotibus Episcopi, atque inter eos qui principem obtinebant locum vestibus distingui coeperunt. Neque enim aliud, praeter pallium, videtur occurrere ornamenti genus, quo Episcopi inter se discernantur (Devoti). — II. De origine sacrorum palliorum multa inepte et profane nonnulli commenti sunt, ex solo pallii nomine coniectantes, quod fuerit ornamentum ab imperatoribus concessum, et principio usque ad talos profluxerit. Antiqua et ecclesiastica est illius origo, quae ad ipsos S. Petri discipulos refertur. *Unde* ait Benedictus XIV (Const. *Rerum Ecclesiast.*) : « Rerum ecclesiasticarum origines, quo altius ex sacra memoria repetimus, eo

magis illas et solidis fundamentis innixas, et sublimi non minus quam vetusta institutione venerabiles, ipsaque disciplina et ritu graves ac religiosas agnoscere et comprobare gaudemus » (Huguenin).

500. — **Significatio Pallii.** — I. « Episcopi pallium non e lino, sed e lana confectum, ovis pelles denotat, quam aberrantem quaerens Dominus in proprios humeros sustulit. Episcopus enim Christi typum gerens illius munere fungitur, et omnibus ipso habitu ostendit, se boni et magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates ferre voluit. Atque attende sedulo: cum enim verus ipse Pastor accedit, apertis venerandis evangeliis, et assurgit Episcopus, et imitationis vestem deponit » (Isid. Mon. aegypt. l. 1, ep. 136). — II. Pallium significat particulam Ecclesiasticae potestatis, derivatam ex plenitudine officii pastoralis, quae in successoribus Petri residet. Propterea Summus Pontifex solus semper et ubique in Missis solemnibus illo utitur.

501. — **Usus Pallii.** — I. Rom. Pontifex, Patriarchae, Primates, Metropolitae (et Cardinalis Episcopus Ostiensis cum Papam consecrat), pallio utuntur. Beneficio Apostolico aliqui Episcopi pallii usum habent.

502. — II. Solus Romanus Pontifex semper et ubique pallio uti potest, caeteri non nisi intra fines suae iurisdictionis, et statis certisque diebus, de quibus Pontificale Romanum (Soglia).

503. — III. Pallium saltem intra tres a consecratione menses petendum est, a Summo Pontifice consueta formula, hoc est, INSTANTER, INSTANTIUS, INSTANTISSIME : propterea quod, ut S. Gregorius Magnus ad Brunichildam Reginam scribit, *cap. prisca dist. 188:* « Honor pallii nisi fortiter postulanti dari non debet. » Electus autem Archiepiscopus petere debet per seipsum,

si Romae adsit: per procuratorem vero, si absit; neque pallium ei conceditur, nisi prius fidelitatem et obedientiam erga Summum Pontificem iureiurando spoponderit (Soglia).

504. — IV. *Pallio ita est adiunctum munus Archiepiscopale, ut, eo nondum accepto, neque Archiepiscopi quidem nomen quis mereatur*, neque Synodum provincialem indicere possit, neque chrisma conficere, neque Episcopos consecrare, neque alia obire munera sive metropolitica, sive Episcopalia (Devoti). Et quoniam pallium datur ad potestatem, illo non utuntur Archiepiscopi mere *titulares*.

505. — V. *Pallium semel acceptum, Personae sic inhaeret, ut alteri commodari non possit*, nec transit ad haeredes dignitatis, neque Archiepiscopus ab uno ad aliam Sedem translatus pallium secum defert, sed novum semper petendum est: et ubi Archiepiscopus obierit, pallium seu pallia, si plura acceperit, cum eo humanda sunt (Soglia).

506. — VI. Pallium datur *praesenti* in Urbe a primo Diacono Cardinali, *absenti* ab aliquo Archiepiscopo cui summus Pontifex rem commisit (Devoti).

507. — **Varia.** — I. Graecis Episcopis nunc commune pallium est, quod quidem *sibi saeculis ultimis Graecos cunctos Episcopos arrogasse* tradit Goarius, Euchalog. Graec. tit. Epist. ordinat. p. 312 (Devoti, p. 163). — II. Pallium est ad exemplum summorum Sacerdotum veteris legis, qui in signum auctoritatis a Deo eis concessae Rationale et Superhumerale induebant. — Cfr. C. Ferrari. — III. Honoris causa, in Ecclesia Latina, nonnullae etiam episcopales sedes privilegio pallii a Summis Pontificibus donatae sunt, absque tamen detrimento iurium Metropolitae. Nuperrime insignis ecclesia cathedralis seu dioecesis Barci-

nonensis in Hispania, pallii honorem accepit, per Breve Apostolicum *Ad Hispanos*, 11 Aprilis 1904, ubi haec leguntur, quae rem nostram illustrant: « Par esse omnino ducimus, quod iam pluries a Decessoribus novimus factum, ut insignem aliquam Episcopalem Ecclesiam sacri Pallii honore decorarent, id ipsum praestari a Nobis ad Barcinonensem ornandam sedem; eo magis quod eamdem qui hodie obtinet, virtutum suarum non minus quam Romanae purpurae splendore condecorat. Porro Ecclesiae quoque Tarraconensi, cuius caeteroquin praestantiam metropoliticam volumus, uti antehac, ita nunc et in posterum esse salvam, rem Nos pergratam facturos arbitramur; siquidem ad ipsius amplificandam dignitatem recidit subditae sedi collatus honor. Simul hinc fore confidimus ut arctiora si possint, fiant necessitudinis vincula quae utramque Ecclesiam cum Romana iungunt. Itaque Dilecto Filio Nostro Salvatori S. R. E. Presbytero Cardinali Casañas y Pagés, hodierno Barcinonensi Episcopo, eiusque in dicto Episcopatu futuris successoribus Pallii usum in solemnibus secundum sacros Canones praescriptis, et in Dioecesi Barcinonensi dumtaxat et non alibi, etiamsi Ordinarii consensus accedat, gestandi, Apostolica auctoritate Nostra concedimus atque indulgemus. Quod vero attinet ad futuros in eodem Episcopatu successores, volumus et mandamus, ut novus semper Episcopus Pallium a Sede Apostolica postulet, illudque de corpore Beati Petri Apostolorum Principis sumptum, a Romano Pontifice accipiat, omniaque ea serventur, quae servari solita sunt, quum Archiepiscopis Pallia traduntur. »

Art. IV. De Episcopis.

508. — **Praenotandum.** — I. Iura et officia Episcoporum pertinent etiam ad Patriarchas, Primates et Archiepiscopos, qui peculiarem habent Ecclesiam quam regunt.

509. — II. Praecipua Episcoporum officia posita sunt *in docendo, in curando cultu divino, et recta Sacramentorum administratione*, etc.; iura vero sita sunt *in iubendo, iudicando, puniendo, dispensando, et administrando.*

510. — III. Episcopi titulares habent eamdem potestatem quam caeteri Episcopi, quamvis non habeant eiusmodi potestati usum et iurisdictionem, cum careant propria dioecesi. Obtinent titulum alicuius cathedralis sine iure administrandi. Vocabantur etiam *Episcopi in partibus infidelium* sed *nuperrime* Leo XIII decrevit Episcopos in partibus *vocandos esse* titulares: unde titulus *in partibus* non amplius existit. [1]

[1] Notandum circa Episcopos titulares: I. Ob defectum actualis iurisdictionis non tenentur lege residentiae. Hinc non vacant beneficia, quae tempore promotionis ad ordinem episcopalem habent, neque incapaces ad alia obtinenda ipsi evadunt. Pariter ex eodem principio sequitur non teneri onere applicationis Missae pro populo, licet consentaneum sit eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiae illius conditionem, cuius titulo et nomine ipsi honestantur. Leo XIII Const. *In suprema,* IV Id. Iunias 1882. Neque tenentur onere visitationis sacrorum liminum, neque petitionis et usus pallii, si archiepiscopalem titulum habeant. (Zitelli, *App. Iur. Eccl.*). — II. Quoad Episcopum Titularem Canonicum sufficiat notasse: 1) ipsum assistere debere choro in habitu ordinario; 2) in capitulo habere ius

511. — IV. CHOREPISCOPI *fuerunt simplices presbyteri.* 1° Quia ex can. 10 Conc. Antiocheni ab uno tantum civitatis Episcopo ordinabantur, Episcopi a tribus Episcopis. 2° Quia a Synodo Neocaesariensi ad similitudinem septuaginta Discipulorum instituti dicuntur; at Episcopi non Discipulorum modo, verum etiam Apostolorum successores semper habiti sunt. — CHOREPISCOPI erant quasi *ruris Episcopi*, ordinabant subdiaconos, etc. saecul. VIII et praecipue X. — Chorepiscopatus ob abusus et insolentias penitus extinctus fuit. Nota quod *Chorepiscopus* idem sonat ac *ruralis superintendens* [1].

suffragii sicut caeteri Canonici; 3) subesse cum aliis canonicis visitationi sui Episcopi: BARBOSA, l. c.: 4) A Missis de turno abstinere debere, ne sine pontificali habitu eas canere cogatur: S. Rit. Cong. in *Asculana*, 10 April. 1728. — Si absit a choro occupatus in exercendis pontificalibus, non lucratur distributiones, nisi vel privilegio Pontificis vel consuetudine legitime praescripta, vel statuto a Pontifice confirmato eidem concedantur (ZITELLI, ibid.). Vide infra ubi de Administr. Apost.

[1] Gratianus (can. 3, d. 68) notat: " Inter Episcopos et Chorepiscopos autem haec est differentia, quod Episcopi nonnisi in civitatibus, Chorepiscopi etiam in vicis ordinari possunt. Episcopi formatas tribuunt litteras, Chorepiscopi nonnisi commendatitias, et pacificas dare valent. Episcopi ius consecrandi habent. Chorepiscopi tantum minores Ordines tribuunt, Leviticam autem, et Sacerdotalem benedictionem non valent praestare ". — Leo I (can. 4, d. 68) differentiam Chorepiscopi ab Episcopo sic describit: " Quamvis Chorepiscopis et Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris Legis, quaedam novellis, et Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut est Presbyterorum et Diaconorum,

512. — **Officium docendi.** — I. *Trid. (sess. 5, c. 2, de ref.)* statuit: Omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri *per seipsos*, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum.

513. — II. Ad Episcopum pertinet concionatorum approbatio ac missio. Unde neque saeculares, neque Regulares possunt praedicare absque venia Episcopi. Regulares indigent benedictione (petita licet non positive obtenta) Episcopi ut praedicare possint in suis Ecclesiis.

514. — III. Episcopus debet scholas publicas et privatas visitare, et vigilare ne quid tradatur contrarium fidei vel moribus.

515. — IV. Episcopus concedit veniam libros evulgandi, ita ut nemini liceat absque illius licentia *imprimere, vel imprimi facere* librum sive scripturam quamcumque.

516. — V. Episcopus debet «sanam orthodoxam-

aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias vel altaria consecrare licet, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conversis haereticis Paracletum Spiritum Sanctum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publice quidem in Missa quemquam poenitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Haec enim omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum et formam LXXII Discipulorum esse noscuntur, vel Presbyteris, qui eamdem gestant figuram: quoniam quamquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent „. — Gratianus ibid. subiungit: " Hi vero propter insolentiam suam qua officia Episcoporum sibi usurpabant, ab Ecclesia hodie prohibiti sunt „.

que doctrinam expulsis haeresibus inducere » (Trid. sess. 24, c. 3).

517. — VI. *Episcopus nequit quaestiones ad fidem et mores spectantes definire.* Unde merito monet Benedictus XIV, et quidem pluries: *non debere Episcopum sibi arrogare partes iudicis inter gravissimos secum contendentes Theologos*, et hoc neque in Synodo. *De syn.* passim (vid. in Indice eiusdem operis, verb. *Quaestiones)* [1].

518. — **Reliqua Episcoporum Officia.** — I. *Omnes Episcopi iurisdictionem habentes* debent Missam applicare pro populo statutis diebus. Constat ex nuperrima declaratione Leonis XIII.

519. — II. Debent curare divinum cultum, et videre, ne quid peccetur in Sacrificio Missae, in divinis Officiis celebrandis, in Sacramentorum administratione, in dierum festorum religiosa sanctaque observantia, in reverentia Ecclesiis sacrisque locis debita, et fortiter *curare observantiam decretorum S. Congr.*

520. — III. Praeterea excubandum Episcopo est pro clericalis Ordinis disciplina tuenda, et ubi opus fuerit instauranda, pro laicis in officio continendis, pro moribus emendandis et pravis usibus tollendis.

521. — IV. Cum vero Episcopi recte fungi muneribus officii sui non possint, nisi « gregi suo invigilent atque « assistant » *(Conc. Trid. sess. 23, cap.*

[1] Bened. XIV, De Synodo, l. 6, c, 3, n. 7, ait: " Quamvis enim nequeat Episcopus quaestiones definire ad Fidei doctrinam pertinentes, non tamen prohibetur, ne aut in Synodo, aut extra Synodum, cavendos iubeat errores, iam ab Ecclesia proscriptos, quod colligitur, ex cap. *Ad abolendam, de haereticis:* notatque Gonzalez, in cap. *Vestra,* n. 3, *de locato et conducto* ".

1, de Reform.): consequens est, ut *in Dioecesi residere, sive commorari debeant*, neque iisdem liceat in aliis versari regionibus, relicto grege cui praepositi sunt. Deinde cum officium et sollicitudo Episcopi non in aliquem locum aut partem Dioecesis, sed in totam Dioecesim ipsam feratur, hinc inter praecipua ipsius munera recensetur *totius Dioecesis visitatio*, quam ipse *per semetipsum*, vel si legitimo impedimento teneatur, per alium visitatorem obire debet, si « quotannis propter eius latitudinem visitare non poterit, saltem maiorem eius partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur » *(Trid. sess. 24, cap. 3, de Reform.)*.

522. — Tenentur pro viribus curam suscipere pupillorum, viduarum, et eorum qui in paupertate sunt, opisque alienae indigent. — Ita ex Soglia.

523. — **Ius iubendi.** — I. Episcopi possunt leges condere pro tota dioecesi tum in Synodo, tum extra Synodum.

524. — II. *Disputatur an leges extra Synodum conditae et per edictum promulgatae sint perpetuae*, seu durent post mortem, renuntiationem, aut translationem Episcopi. Verius affirmant Bened. XIV, Soglia, etc.

525. — III. Episcopus non potest leges condere contrarias Iuri communi Ecclesiae. Nam, ut ait Card. Bona *(ep. 259 ad J. B. Thiersio)*: « Communes Ecclesiae leges, ritus, et consuetudines ubique receptae eius dumtaxat auctoritate tolli vel mutari possunt, cuius est in universam Ecclesiam auctoritas et potestas, alioquin ingens fieret disciplinae et Hierarchiae ecclesiasticae perturbatio » (Vide Benedictum XIV, *de Synod. Dioec.* l. 12, cap. 1) [1].

[1] Ubi legitur: " Nihil magis vulgatum est, quam quod

526. — **Ius iudicandi et puniendi.** — I. *Satis erit* hoc loco admonere causas omnes ad forum ecclesiasticum quoquomodo pertinentes, etiamsi beneficiales sint, itemque matrimoniales et criminales ab Ordinariis Locorum in prima instantia cognoscendas atque definiendas esse, quod Tridentina Synodus edixit *cap. 20, sess. 24, de Reform.*

527. — II. Praeterea sicut in potestate iubendi iudicandique penitus insita est potestas *coercitiva*, qua criminosi et contumaces coercentur, ita ab Episcopis virga adhiberi potest, quam minitatus est Apostolus *I Corin., cap. 4:* « Quid vultis in virga veniam ad vos? » Quin imo si mitiores poenae non prosint, contumaces a communione Ecclesiae abscindi poterunt. At in poenis infligendis ea norma servanda est, quam Episcopis proposuit eadem Tridentina Synodus *sess. 12, cap. 1, de Reform.* — Ita Soglia.

528. — **Ius dispensandi.** — I. Incidunt saepe iustae causae propter quas privati homines aliqua lege solvuntur, « quia *(ut scribit Symmachus Papa in epistola ad Avitum Viennensem), quod fit praeter regulam, modo sit ex iusta causa, non infringit regulam,* quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus laedit. Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione, et observandi diligentia sunt custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset si praevidisset; et saepe crudele esset insistere legi, cum observantia eius esse praeiudiciabilis Ecclesiae videtur, quoniam

Synodalis constitutio contra ius commune, et apostolicas sanctiones, nullius sit roboris et firmitatis. „ Vid. ibid., ubi multa afferuntur exempla.

leges ea intentione latae sunt ut proficiant, non ut noceant » (Soglia).

529. — II. *Episcopi in omnibus legibus sive a se, sive ab eorum praedecessoribus, vel in Synodo Dioecesana, sive extra Synodum latis dispensare possunt;* « omnis enim res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

530. — III. *In gravi necessitate ex licentia Papae praesumpta, Episcopus potest dispensare cum legibus generalibus ecclesiasticis. Idem dicito si adsit legitima consuetudo pro aliquibus casibus specialibus,* 1° quae per centum annos sit continuata absque intermissione: 2° modo « per eam ecclesiasticae disciplinae nervus non dirumpatur. » Cfr. Bened. XIV de Syn. l. 9, c. 2. QUAE SIT GRAVIS NECESSITAS NON EST FACILE DETERMINARE; SED TANTA REQUIRITUR, UT CASUS PAPALIS FIAT EPISCOPALIS. Dicendum cum *Reiffenstuel:* « casus in « quo Episcopus potest dispensare in Constitutionibus « Apostolicis, et decretis Concilii generalis est casus « magnae necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo « emergens, sitque periculum in mora, nec facile ad « Summum Pontificem recurri possit... Ratio est, quia « in tali casu ex rationabiliter praesumpta voluntate « Summi Pontificis, censetur Episcopus habere com- « missam sibi potestatem dispensandi; hoc enim vi- « detur exigere pastorale officium Episcoporum, ne « alioquin oves ipsis concreditae in casu urgentis ne- « cessitatis destituerentur necessariis auxiliis. » *(l. 1, t. 2, de Const. n. 470)*. Non tamen haec facultas dicenda est *ordinaria*, quia perpetuo officio episcopali affixa est, sed *extraordinaria*, quia ex praesumpta Pontificis commissione manat: aliter Episcopi dicendi forent agere ex potestate ordinaria cum procedunt tamquam delegati Apostolici ex delegatione sibi facta

etiam a Tridentino, quod est falsum, licet illa delegatio muneri episcopali perpetuo sit affixa (C. Ferrari).

531. — **Ius administrandi.** — ADMINISTRARE *est spiritualem curam suarum ovium gerere, resque ad Dei cultum et pietatis opera pertinentes disponere, diligenterque curare.* — HINC EPISCOPUS I. Ecclesias et Beneficia erigit, supprimit, *servatis sacrorum canonum regulis.*

532. — II. Ecclesias parochiales, Praebendas, et Beneficia omnia suae Dioecesis confert, *nisi fuerint reservata*, vel *affecta.*

533. — III. Deligit eos qui clericali militiae adscribi, et Ordinibus initiari postulant: et munera et officia ecclesiastica iis defert, quos idoneos comperit.

534. — IV. In rectam administrationem bonorum etiam temporalium, ad Ecclesias et loca Pia pertinentium incumbit.

535. — V. Piarum voluntatum executionem curat, quin imo, ex Tridentino Concilio, *Sess 22, cap. 8, de Reform.*, Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati in casibus a iure concessis (quando nempe executores a pio fundatore designati in suo munere fungendo segnes negligentesque fuerint), omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sunt executores.

536. — VI. Denique Episcopis potestas est ea omnia curandi et agendi, quae ad rectam suae Dioecesis administrationem pertinent (Soglia).

537. — VII. NOTA: *Episcopi caute et raro conferant titulos honorificos*, iuxta praesens monitum S. Congregationis Concilii: « Porro Eminentissimi Patres Tridentini iuris interpretes ac vindices dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confidunt Amplitudinem Tuam nil intenta-

tum relicturam, ut omnes de clero tibi concredito, aemulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament coelestia, et nonnisi in cruce D. N. Iesu Christi glorientur. Ne vero in posterum et dignioribus iniuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Em. Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum vel titulum, inscio et invito Ordinario, cuius potestati subduntur ». (S. C. C., 16 Sept. 1884).

538. — **Varia.** — I. « Dogma catholicum est Apo-
« stolos tametsi extraordinaria praeditos potestate,
« quae, data personis, cum ipsis personis interiit, fuisse
« Petro subiectos, quem solum Apostolis praeesse Chri-
« stus iussit, et subesse plenitudini potestatis Rom.
« Pontificis (quod veluti ordinaria in Petro, ita in eius
« successoribus ordinaria est) omnes Episcopos, qui
« extraordinaria potestate Apostolorum destituuntur »
(Pius VI, ap. Bouix, *de Episcopo*, p. 1).

539. — II. A QUONAM AUTEM IURISDICTIONEM EPISCOPI RECIPIANT. Alii dicunt recipere *immediate a Christo*, quia ab ipso est dignitas et officium episcopale immediate institutum: ita Vasquez. *Alii cum D. Thoma* (2. 2, 39, a. 3) dicunt recipere *immediate a Pontifice;* et sic admissum videtur a Gregorio (c. *Decr.* caus. 2, 9, 6, c. 11). Caeterum *haec quaestio (quae in Tridentino Concilio fuit proposita, nec tamen discussa), est potius de nomine:* nam ex una parte certum est quod Episcopi, licet immediate recipiant hanc potestatem a Christo, semper tamen suscipiunt cum subordinatione ad Papam; et ex alia licet Episcopi illam recipiant a Pontifice, possunt tamen leges ferre

sine eius licentia, modo non opponantur illius legibus, vel specialiter non sit de re Pontifici reservata. Hinc ad rem Benedictus XIV (De Syn., 1, 7, c. 8): *Episcoporum iurisdictio sive sit immediate a Christo sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest, ut consentientibus omnibus catholicis, eius auctoritate et imperio limitari atque ex legitima causa possit auferri;* vel etiam sine Episcoporum culpa, sed ad publicum Ecclesiae bonum... (Scavini–Del-Vecchio, vol. I, p. 452).

540. — III. Pius IX hierarchiam restaurando in Anglia per lit. Ap. *Universalis Ecclesiae*, anno 1850, ait: « Temporum ac rerum adiuncta effecisse sentiebamus ut necesse non sit diutius Angliae catholicae fideles a Vicariis Apostolicis gubernari, imo vero talem rerum conversionem esse factam, ut Ordinarii regiminis Episcopalis formam efflagitaret. » Unde: *Certum est Episcopos, semel praepositos regimini Ecclesiae, non esse meros vicarios Papae, nuda tantum commissione; sed veros esse Pastores iure ordinario pollentes in propria Dioecesi.*

541. — IV. Si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum temporalium, erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit praesumptuosum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. *Verum quia prout est episcopalis actus, habet iam gradus celsitudinem,* praesumptuosum videtur, quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente. In assumptione episcopatus duo sunt consideranda: primo quidem quid deceat hominem appetere secundum propriam voluntatem; secundo quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem convenit homini principaliter insistere propriae saluti; sed

quod aliorum saluti intendat, hoc convenit homini ex dispositione alterius potestatis » (D. Th. 2, 2, q. 185).

542. — V. Ex Bauldry *genuflexio fit* Cardinali ubique; Archiepiscopo et Episcopo in sua iurisdictione tantum, non ergo *Titularibus*. Et S. R. C., 12 *sept.* 1857, *Molinen.* interrogata: an reverentia per genuflexiones debeatur celebranti in Pontificalibus, quando est Episcopus extraneus, vel praelatus habens usum Pontificalium, vel Abbas sive in proprio monasterio, sive ex speciali privilegio extra proprium monasterium, respondit: *Negative quoad episcopum extraneum, et praelatos habentes usum pontificalium;* affirmative *quoad abbates regulares in suae iurisdictionis Ecclesiis tantum.*

543. — VI. *Episcopi ubique manifeste gestare possunt crucem pectoralem*, quia pectorale est signum dignitatis, non vero iurisdictionis (Cfr. Martinucci, Manuale SS. Caerem., l. 5., c. 2).

544. — VII. « Aetate nostra impossibile est omnes « libros praeviae censurae subiicere; unde rigor legis « temperandus videtur. Huius mitigationis specimen « dedit ipse Pius IX pro Statu pontificio, decernens « ut censurae subiecta remanerent opera in quibus « speciatim de religione aut moribus ageretur. Caeteri « vero libri et scripta periodica sine praevia censura « edi permittuntur. Hanc agendi rationem imitantur « Episcopi. Verum libri liturgici, catechismi, libri pre« cum sine licentia episcopali typis non mandantur » (Huguenin). Normae hodiernae librornm edendorum habentur in Const. Leonis XIII *Officiorum.*

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Maria ascendit de deserto, scilicet de mundo; quem sic deseruit, et tamquam desertum

reputavit, ut ab ipso omnem suum avertit affectum. Innixa super dilectum suum, nam non suis meritis, sed ipsius innitebatur gratiae, qui gratiam tribuit (A. Lapide).

MARIAM INVOCA. AVE Spes desperantium atque reorum: spes firma et optima animae nostrae: spes omnium proborum, rebus adversis afflictorum (S. Ephrem.). AVE spes miserorum, cui nunquam sine spe misericordiae supplicatur (Idiota).

MARIAM LAETIFICA. Ecclesiae Principes R. Pontifici adhaerentes vera fide venerando. Dicendo cum S. P. Francisco: « Nolo in eis (Sacerdotibus) considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, et domini mei sunt... » — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. IV. — DE PRAELATIS INFERIORIBUS ET PRIMO

ART. I. De Vicariis, Praefectis et Commissariis Apostolicis.

545. — **Praenotandum.** — I. Omnis Episcopus est Praelatus; sed non omnis Praelatus est Episcopus. — *Praelatus* est clericus exercens iurisdictionem episcopalem vel quasi episcopalem in foro externo. Non confundendus cum praelatis ad honorem.

546. — II. **Vicarius Apostolicus** est Praelatus a Sede Apostolica deputatus, ut alicuius regionis (sive infidelium, sive fidelium) regimen, nomine Papae, suscipiat. Est vel apud missiones, vel apud dioeceses

constitutus. Ordinario Vicarii Apostolici sunt etiam charactere episcopali insigniti.

547. — **Vicarii Apostolici apud Dioeceses.** — I. Illos constituit Ap. Sedes sive cum turbas et dissidia fore prospicitur in Vicarii capitularis electione, vel aliud timetur incommodum, vel cum Episcopus senio, aut alia de causa suum recte munus gerere non potest, vel demum cum Episcopus ab *administratione* suspenditur, aut etiam removetur. Eliguntur autem hi Vicarii ordinario cum charactere Episcopali, ut dictum est, atque hi creantur Episcopi *titulares*, raro sine hoc charactere; *eorum vero potestas noscenda ex litteris Apostolicis, quibus suum officium acceperunt, vel ex indultis a SS. CC. acceptis.*

548. — II. Sixtus V Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium facultatem dedit eligendi Vicarios Apostolicos, quando eos Ecclasiarum necessitas postularet.

549. — III. Vicarius Apostolicus saepe mittitur directe a Rom. Pontifice cum Brevi.

550. — IV. Vicarius Apostolicus *sede plena* vocatur Administrator Apostolicus [1].

[1] Circa praeeminentias Episcoporum titularium, ad rem facit (et quidem a fortiori) sequens decretum S. R. C. 9 Maii 1857:

Dubia quoad Administratorem Apostolicum.

" 1. Ex iure communi Administrator Apostolicus debetne aut potest habere solium a parte Evangelii?

2. Debetne aut potest illud habere etiam in omnibus locis Dioecesis suae administrationis?

3. Decreta quae dicunt Vicarium Apostolicum eadem non posse in suo Vicariatu ac Episcopi in sua Dioecesi, et eis plura prohibent, inter quae adest favor nominari a sacer

551. — **Vicarii et Praefecti Apostolici apud Missiones.** — I. Missionibus praeficiuntur *Vicarii Apostolici* et *Praefecti Apostolici.*

552. — *Vicarii Apostolici proprie dicti* quia solent episcopali charactere insigniri, sunt Episcopi in partibus, hodie *titulares* dicti.

dotibus in canone Missae, tacent omnino de Administratoribus Apostolicis; unde concludendum videtur, praesertim Administratorem Apostolicum Dioecesis Pekinensis ut talem non attingi a variis his laudatorum decretorum prohibitionibus in Dioecesi suae administrationis, et eadem ibidem posse ac proprius Episcopus. Potestne praesens Administrator Pekinensis in locis suae administrationis Apostolicae prudenter sequi hanc suam interpretationem?

R. Sacra Cong. singula mature expendere curavit, et inhaerens decretis alias in similibus editis, praesertim in una *Sarsinaten.* die 22 Augusti 1722, rescribere rata est: *Negative in omnibus, iuxta enunciatum decretum in una Sarsinaten.* „.

Porro decretum de quo hic agitur, eiusmodi est: “ *Dubia:* 1. An Episcopus Civitatis Ducalis modernus Admnistrator Ecclesiae Sarsinatensis in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Dioecesibus in casu, etc.? Et quatenus negative: — 2. An dictus Episcopus Ministrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missas et Vesperas in pontificalibus, possit sedere super cathedra episcopali, elevata quatuor gradibus, parata cum baldachino ac postergale, et uti baculo? — 3. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica? — 4. An ei dum assistit Missae solemni ab alio cantatae, debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei,* tuncque ubinam debeat sedere? — 5. An fieri debeat anniversarium suae Consecrationis cum Missa cantata per Ca-

553. — III. **Praefecti Apostolici** sunt presbyteri. Quamvis a Vicariis Apostolicis differant ordine, tamen ad eos referri possunt quatenus in locis Missionum administrationi rerum sacrarum praesident. Facultates paulo minores ipsis conceduntur. — *Saepe Superiores Ordinum missiones habentium* retinent titulum PRAEFECTI APOSTOLICI, et qui illis actu praesunt vocantur VICE-PRAEFECTI.

554. — IV. AD POTESTATEM eorum quod attinet, triplex quaestio solvenda est: 1° quomodo constitui soleant; 2° qualis sit illorum auctoritas; 3° ad quem iurisdictio transeat, defuncto Vicario Apostolico. — *Duplici modo constituuntur.* Si promovendus praesens sit Romae vel in Italia, vel si Romae adsint duo viri qui de ipso testimonium ferre possint, tunc fit *proces-*

pitulum et Clerum, eiusque nomen debeat in canone memorari per sacerdotes celebrantes? — 6. An cum Administrator Missam cantat in pontificalibus, debeat poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa? — 7. An dum idem cantat Missam in pontificalibus, debeant omnes canonici sacris paramentis indui; vel tres tantum fungentes officiis diaconi, subdiaconi et presbyteri assistentis? — 8. An dum vadit ad cathedralem, debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu ecclesiae aut presbyterii? — 9. An Canonici eum accessurum ad cathedralem debeant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres aut quatuor ad portam ecclesiae?

R. Ad 1: negative. — Ad 2: negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. — Ad 3: negative. — Ad 4: negative, et sedeat in primo stallo chori — Ad 5: negative. — Ad 6: negative. — Ad 7: negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. — Ad 8: arbitrio Administratoris in casu, etc. — Ad 9: decere, in casu de quo agitur, ut omnes accedant. „ (*Acta S. Sedis*, tom. 24, p. 512).

sus informativus super qualitatibus personae. Si etiam testes deficiant, sufficiens habetur iudicium S. Congregationis de *Propaganda Fide*, quae illum a Summo Pontifice eligendum consulet. (Bened. XIV, *Const. Gravissimum).*

555. — V. *Omnimoda pastoralis auctoritas Vicariis Apostolicis communicatur.* Praeter eam potestatem ordinariam quam habet Episcopus in sua dioecesi, Apostolica Sedes ipsis alias facultates necessarias elargitur (ibid.), et quidem sat amplas, iuxta locorum adiuncta.

556. – VI. *Omnibus Vicariis Apostolicis mandatum est ut deputent Vicarium Generalem*, qui, eveniente illorum obitu, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, teneatur assumere regimen apostolici vicariatus, usque ad captam possessionem a novo Vicario Apostolico (Huguenin).

557. — **Commissarii Apostolici** *negotium privatum a S. Sede suscipiunt.* Alii praeponuntur informationibus servorum Dei, quorum postulatur beatificatio; alii delegantur ad iudicandum de querelis inter regulares et saeculares, vel inter Episcopos. Si delegatio fit a Pontifice, delegandus oportet, ut sit in dignitate constitutus, vel Vicarius Episcopi, vel Canonicus Cathedralis; (singuli enim Canonici Cathedralis participant de dignitate proprii corporis, etsi per se non sint in dignitate constituti. *C. Statutum, 2, de rescript...* (Scavini).

ART. II. De Praelatis regularibus et Abbatibus.

558. — **Horum Praelatorum tres sunt species,** *quae ita describuntur a Benedicto XIV:* « **Prima** est eorum, qui certo praesunt generi personarum existen-

tium intra septa alicuius Ecclesiae, monasterii, seu conventus cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi. Eiusmodi sunt *Superiores Regulares, et nonnulli Praelati saeculares*, qui una cum Ecclesiae clericis, et administris, quibus praeficiuntur, subsunt immediate Summo Pontifici. **Secunda** species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim, qua undique circumscribitur; et huiusmodi Praelati improprie tantum, et lato quodam dicendi modo, dicuntur esse NULLIUS. **Tertia** species est Praelatorum, qui iurisdictionem activam habent in clerum et populum alicuius loci, seu oppidi, aut plurium locorum, aut oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi: quapropter dicuntur constituere quamdam *quasi-dioecesim*, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quae caeteroquin ad episcopalem iurisdictionem pertinerent. *Huius generis Praelati, inter inferiores nobilissimi sunt*, dicuntur vere, et proprie NULLIUS, et veris annumerantur Ordinariis locorum » (De Synod. 1, 2, c. 11, n. 1-4).

559. — **Eorum potestas.** — I. *Praelatis regularibus competit duplex potestas*, altera *dominativa*, altera *iurisdictionis*. POTESTAS DOMINATIVA, qualem habet pater in filium, dominos in servum, est ius imperandi subditis regularibus ea quae sunt conformia regulis Instituti quod profitentur. Oritur radicaliter ex voto obedientiae. POTESTAS IURISDICTIONIS ab Ecclesia confertur. A potestate dominativa differt, quatenus est spiritualis et publica.

560. — II. ABBATIBUS EXEMPTIS COMPETIT IURISDICTIO QUASI EPISCOPALIS, siquidem constituunt propriam quasi-dioecesim et Ordinariis annumerantur. Attamen non

possunt Synodum convocare, neque concursum ad parochiales Ecclesias indicere, neque clericis saecularibus litteras dimissorias concedere. Attende tamen ad specialia indulta.

561. — III. Quamvis episcopali charactere non sint insigniti, tamen dignitatem episcopalem etiam ratione Ordinis imitantur. Nimirum multi Praelati regulares, qui sunt in sacerdotio et solemnem ab Episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus minores Ordines conferunt, benedicunt solemniter, gestant insignia episcopalia (Huguenin).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. MARIA est « Praeses nostra, ratione *suae sanctitatis*, ac *puritatis* eminentissimae, modumque omnem superantis naturae » (S. German.).

MARIAM INVOCA. AVE « praesidium fidelium omnium, qui in profundo malorum et tribulationum fluctuoso mari semper periclitantur » (S. Ioan. Damasc.). AVE post Christum, « tota ratio spei meae » (S. Bern.).

MARIAM LAETIFICA. *Omnimoda* ac *filiali* fiducia in Illa, qua merito dicitur MATER SANCTAE SPEI, SPES NOSTRA, SPES MUNDI (S. Ioan. Dam.). SPES DESPERATORUM (id.), SPES NOSTRA STABILIS ET FIRMA (id.), SPES HUMANA (S. Bonav.), SPES DESOLATORUM (Dion. Carthus.), denique SPES LAETISSIMA LABORUM MUNDI (Ioan. a Iesu-Maria). — *Filii Mariae imitatores eius...*

TRACTATUS III. DE ELECTIONIBUS

CAP. I. — DE ELECTIONE IN GENERE.

562. — **Praenotandum.** — I. *Si Apostoli extraordinaria et personali facultate, dioeceses dividere poterant, et idoneos eligere qui in dioecesibus praeessent, non possunt tamen Episcopi, quamvis eorum successores sint, similiter agere,* quia extraordinaria eorum non gaudent potestate.

563. — II. *Romanus Pontifex ius habet eligendi Episcopos,* eiusque arbitrio et potestati proprium est quod magis expedire iudicet in hac parte decernere. *Ipse potest privilegium concedere Cathedralibus, Collegiis, aliisque regibus atque imperatoribus, idoneum dignumque praesentandi,* QUI A SUMMO PONTIFICE REIICI POTEST VEL CONFIRMARI. — Ut alibi notatum est: « Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Summi Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit » *(Trid. De Sacramento Ordinis,* canon. VIII).

564. — III. *Romanus Pontifex potest ferre leges pro electionibus;* quia cum Ecclesiae caput sit, et in eo plenitudo potestatis sit, a qua ius eligendi manat, ipse facultatem habet iura eligendi, creandi, dirigendi, atque moderandi, ut constat ex notione auctoritatis pontificiae.

565. — **Regulae Canonicae.** — *Nota:* Prae oculis habeas, in generalioribus normis *Iuris*, Decreta SS. Congregationum, nam multa variant pro locis, etc. — REG. I[a]. *Nullus in Ecclesia, ubi duo vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione canonica eligatur.* Si vero aliter quis Ecclesiam adeptus fuerit, atque contra canonicae regulae disciplinam egerit, expellatur. *(Decretal. l.* 1, *tit.* VI *de Elect. cap.* 1). *Nullus e laicis cum Canonicis vel cum Episcopis eligendi assumat potestatem,* quod si forte laici votum dare praesumpserint vel pressionem fecerint, nulla erit electio, non obstante consuetudine contraria, *quae dici debet potius corruptela* (Greg. IX, *edict. perp. ex C. Messana,* 56 *de Elect.). Ergo:* Nulla est electio ob immixtionem inhabilium suffragantium. Cfr. dec. varia in collect. SS. CC.

566. — REG. II[a]. CUM ELECTIO FUERIT CELEBRANDA, praesentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt commode interesse, *assumantur tres de collegio fide digni,* qui secrete singillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto; ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel maior, et sanior pars Capituli consentit; vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium eligant atque provideant. Aliter electio non valeat: nisi forte *communiter esset ab omnibus quasi* PER INSPIRATIONEM, absque vitio, celebrata. Qui vero contra praescriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate privantur. — Praelati regulares eligi non possunt *per inspirationem* (Trid.).

567. — REG. III[a]. SI QUIS IUSTO IMPEDIMENTO DETENTUS *in electionis negotio* NEQUEAT COMMODE INTER-

ESSE, potest nedum uni, sed et pluribus committere vices suas, dum tamen eorum cuilibet in solidum det potestatem. (Cfr. *Sext. Decr. lib.* I, *de Elect.*, *tit.* VI, *cap.* 46).

568. — REG. IVª. *Electiones tamen* CLANDESTINAE reprobantur: imo electio facta quam cito solemniter publicetur (Ibid.).

569. — REG. Vª. CASSATUR ELECTIO *partis maioris facta contempta minori parte, etiam si est unus, qui non sit vocatus*, vel electio facta fuerit temerarie ante mortem Episcopi; non tamen ius eligendi deducitur ad minorem (ib. cap. 36).

570. — REG. VIª. *Electio canonica est, et auctoritate Apostolica ducitur confirmanda, et supplere poterit Sancta Sedes de plenitudine suae potestatis* (si ita ei placuerit) quando in ea electione et fuerit defectus, quod quidam interfuerunt electioni, qui ex sola participatione in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt (ib. cap. 39).

571. — REG. VIIª. ELIGENTES INDIGNUM *privati sunt potestate eligendi, in electione quae primo occurrit facienda.* (*Decretal. lib.* I, *tit.* VI, *de Postulat. cap.* 45). *Eligens autem scienter indignum Episcopum* est ob hoc suspensus a beneficiis ecclesiasticis per triennium, nec potest interim ad dignitatem illius eligi vel assumi (ib. cap. 26). *Qui postulationem cassatam vitio personae innovat, eligendi et postulandi sit potestate privatus* (ib. cap. 2).

572. — REG. VIIIª. SI ALICUIUS ELECTIONE CASSATA IDEM AD ALTERIUS ECCLESIAE REGIMEN ELECTUS FUERIT, attendendum, quod si prior electio non vitio personae, sed modo electionis cassatur, promotionem eius in eadem Ecclesia, nisi forte simoniacae pravitatis aliquid

intercessisse constiterit, non debeat impedire (Cfr. *Decretal. lib.* I, *tit.* VI, *cap.* 14).

573. — Reg. IXª. Ius eligendi in collegiata Ecclesia *non cadit in laicum*, et ideo id esset perniciosum exemplo, et redundaret in dispendium ecclesiasticae libertatis; non obstante compositione facta cum Praelato et Capitulo, decretum est, ut Praelatus libere possit ordinare dignitatem sibi subditum denunciando ordinationem factam patrono, ut suum, si voluerit, honestum impertiatur assensum (ib. 57).

574. — Reg. Xª. Electio per minorem partem Capituli facta *non tenet*, *nec per subsequentem consensum ratificari potest.* (*Lib.* I. *Decretal. c.* 29). *Publicato scrutinio variare nequeunt electores*, cum sit facienda collatio, et electio celebranda. Ad quod per superiorem, si oportuerit, compescantur. (Cfr. *Decretal. cap.* 58). *His quibus interdicitur ut absque Superioris licentia eligere non praesumant,* tempus statutum a canone currit, ex quo in mora fuerint licentiam huiusmodi postulandi (*Decretal. cap.* 60).

575. — Reg. XIª. *Si maior pars Capituli* scienter elegit indignum *valet electio de digno a minori parte*, etiam ex eodem scrutinio iuxta veriorem intellectum (ib. cap. 52). *Irrita autem est electio*, quam *collatio non praecessit, vel quae facta non est a maiori parte Capituli*, *vel quia non fuit communis* (ib. 55). *Non sufficit autem ad confirmationem electionis quod sit facta a maiori parte Capituli*, *nisi etiam* illa pars sit sanior. Concilium enim Lateranense, in ordinationibus Ecclesiarum maiorem et saniorem partem Capituli exigit; et statutum praedicti Concilii continet inter caetera ut is eligatur, in quem *omnes vel maior et sanior* pars consentit. Electio igitur, quae etsi non personae, vitio tamen electionis facta cum maior et

sanior pars non consenserit in eumdem est irritanda (ib. cap. 60).

576. — Reg. XII[a]. *Episcopi quoque tales ad sacros ordines, et Ecclesiasticas dignitates promovere procurent, qui commissum sibi officium digne valeant adimplere*, si et ipsi canonicam cupiant effugere ultionem (Cfr. *Decretal. lib.* I, *tit.* VI, *de Elect.*, *cap.* 44).

577. — Reg. XIII[a]. *Caeterum qui pertinent immediate ad Romanum Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officii, eius se conspectui* (si commode fieri possit) *personaliter repraesentent*, aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus et electis possit haberi, ut sic demum per ipsius circumspectionem consilii sui plenitudinem officii assequantur, cum eis nihil obstiterit de canonicis institutis; ita quod interim valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates Ecclesiarum, et utilitates in spiritualibus et temporalibus administrent: sic tamen, ut de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. Munus vero benedictionis seu consecrationis recipiant, sicut hactenus recipere consueverunt (ib.).

578. – Reg. XIV[a]. *Si alicuius electionem* PROPTER SIMONIAM, *eo ignorante, ac ratam non habente commissam, contigerit reprobari*, cum eo super praelatione ad quam taliter fuerat electus ulla vice non potest Episcopus dispensare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio tolleretur (ib. cap. 59).

579. — Reg. XV[a]. Sciant cuncti *qui clericos vel quaslibet alias personas ecclesiasticas,* AD QUAS IN ALIQUIBUS MONASTERIIS AUT PIIS LOCIS SPECTAT ELECTIO, pro eo quod rogati seu alias inducti eum pro quo ro-

gabantur, sive inducebantur, eligere noluerint; vel consanguineos eorum aut ipsas ecclesias, monasteria seu loca caetera beneficiis, sive aliis bonis suis, per se, vel per alios spoliando, seu alias iniuste persequendo gravare praesumpserint, se ipso facto excommunicationis sententia innodatos (Cfr. *Sext. Decretal. lib.* I, *tit.* VI *de Elect.*, cap. 12).

580. — Reg. XVI[a]. Iniqua consuetudo est et iniquum facinus *illud, ut cum praelati ad Ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis canonicis ageretur, nec praelatos admitti nec canonicos aliter recipi in iisdem Ecclesiis, nisi* iurassent statuta *et consuetudines ipsarum Ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare,* in quibus aliqua vel illicita, *vel impossibilia vel ecclesiasticae libertati obviantia reperiuntur.* (*Innoc. XII, Ecclesiae Catholicae, 22 Sept. 1695*).

581. — Reg. XVII[a]. Qui electioni de se factae renuntiat, *appellare nequit ad impediendam electionem alterius.* Et electio quae est a suspensis celebrata non tenet (Cfr. *Decretal., lib.* 1, *cap.* 16).

582. — Reg. XVIII[a]. *Ex quo postulatio Summo Pontifici Romano praesentata est,* non possunt postulantes ab ea recedere, sed expectare debent iudicium eius (Ib., cap. 3).

583. — Reg. XIX[a]. *Perpetua sanctione statutum* ut Episcopi et alii praelati superiores, nec non Abbates, Priores, et caeteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud Sanctam Sedem promoventur aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias et monasteria absque Sanctae Sedis Apostolicae litteris eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus accedere

vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant, *nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant aut eis pareant vel intendant.* Quod si forsan contra praesumptum fuerit, quod per Episcopos, Praelatos, Abbates, Priores et alios monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: *nec quidquam interim iidem Episcopi, vel Praelati, vel Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de ecclesiarum vel monasteriorum proventibus percipiant eorumdem.* — De Luise haec et alia ordinatim tradit. Textuales autem rerum huiusmodi praescriptiones dabimus in compendio textuali Corporis Iuris Canonici.

584. — **Notiones generaliores.** — I. **Electio** est *vocatio personae idoneae ad ecclesiam vel praelaturam vacantem a legitimis electoribus facta, et a superiore confirmata.* Habet locum in beneficiis maioribus, ut in Episcopatibus. — ELECTIO FIERI POTEST: 1° *per scrutinium,* 2° *per compromissum* (absolutum, vel limitatum), 3° *per inspirationem* aut *quasi-inspirationem.*

585. — II. **Postulatio** *est petitio electorum Rom. Pontifici facta, ut ad episcopatum eum admittat, qui propter canonicum impedimentum eligi nequit.* NOTA. 1° Electio fit de digno, postulatio vero de *inhabili,* qui facile habilitari potest et solet. 2° Electores post electionem nequeunt variare, postulatores absolute sic, modo postulatio non sit acceptata. 3° Hodie ex consuetudine, vel Concordatis, ubi intrat postulatio, solet peti indultum eligibilitatis a R. Pontifice, ut promovendus modo ordinario eligi queat. 4° Postulatio non intrat in aliis electionibus capitularibus ad dignitates, vel beneficia; neque in electionibus superiorum regularium... — Cfr. C. Ferrari.

586. — **Varia.** — I. In electionibus peractis, *praesumptio militat in favorem validitatis,* quousque a contradictionibus nullitas non ostendatur.

587. — II. *Electio per sortes* vetita est a sacris canonibus.

588. — III. *Locus electionis* non est de substantia, et eius variatio nullitatem non inducit.

589. — IV. In scrutiniis quae fiunt in capitulis cathedralium competit dignitatibus ius illa recognoscendi, sed ius est capitulo duos vel tres scrutatores eligere, qui id exequantur.

590. — V. Intrinsecum *scrutatoris officium* consistit in tribus: secrete vota eligentium scrutari, eaque in scriptum redigere et sic redacta protinus publicare.

591. — VI. Ob *voluntarium quorumdam capitularium discessum,* ius eligendi consolidatur in reliquis, etiamsi duas non constituant partes collegii. — Quae omnia confirmantur variis S. Sedis decretis.

592. — MONITA. Ut ab initio notatum est, quod normae hucusque adductae non constituunt universalem et stabilem electionum codicem. Unde: I. In hac materia prudentissime et religiosissime agendum, *ut omnia rite ac recte fiant.*

593. — II. Videndae consuetudines LEGITIMAE et PROBATAE locorum, quae generatim diversae sunt, in rebus praesertim secundariis, pro diversitate regionum.

594. — III. Attendendum ad CONCORDATA, quae verum ius constituunt in regionibus pro quibus condita fuerunt.

595. — IV. Quoad electiones inter regulares, observandae sunt constitutiones uniuscuiusque Ordinis.

596. — V. Expedit leges generaliores et particulares vigentes *toties legere, quoties electio facienda sit.* Saepe enim ratione *inexcusabilis ignorantiae et*

incredibilis oblivionis multa in electionibus fiunt, quae vel invalidant, vel minus rectam ac minus canonicam faciunt electionem.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Mater nostra est « Virgo virginum, quae sine consilio, sine exemplo munus virginitatis Deo obtulit, et per sui imitationem omnes Virgines germinavit » (B. Alb. Magn.).

Mariam invoca. O Virgo, quis te docuit Deo placere virginitate, et in terris angelicam ducere vitam? (S. Bernard.).

Mariam laetifica. Illibata corporis et mentis puritate; magna aestimatione de virginitate et castitate. — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. II. — DE ELECTIONIBUS IN SPECIE

Art. I. De electione Rom. Pontificis.

597. — **Praenotandum.** — *Primis Ecclesiae temporibus* Clerus et populus (alii negant *de populo*) Romanus circumveniebant ad Pontificis electionem, sed ius ad Clerum semper spectavit, ut ex historia constat. Successive id est ab anno 467 saeculares potestates sese immiscere ausae sunt, adeo ut pro bono pacis esset expectanda ab Imperatore electionis confirmatio. Id Ecclesia per aliquod tempus toleravit ad praecavenda maiora mala; tandem se liberavit. Nempe ab anno 1059 Nicolaus II Cardinalibus Episcopis princi-

paliter hanc potestatem dedit; et Alexander III, omnibus dein Cardinalibus (Scavini).

598. — *Forma eligendi Pontificis per Cardinales est admodum conveniens:* quia 1° Nullus melius iudicare potest de qualitatibus eligendi quam consiliarii et adiutores R. Pontificis... 2° Sic Schismata rarius eveniunt... — Unde quaedam *societas ad vindicanda iura populi fidelis maximeque romani in electione R. Pontificis*, anno 1876 Romae constituta, damnata fuit, eiusque socios et cooperatores excommunicationem speciali modo reservatam incurrere declaravit S. Poenit., die 4 Aug. 1876.

599. — *Vacante Sede Apostolica*, consueverunt aliquot abhinc saeculis Cardinalibus in Conclave congregatis *principes Austriae*, *Galliarum*, *Hispaniae* absque ullo iure, imo cum iniuria declarare quemdam Cardinalem si Pontifex eligatur sibi minime acceptum: quae denuntiatio vulgo dicebatur EXCLUSIVA, quin tamen revera excludat; sane etiam exclusus non raro electus fuit. Hinc gravissime errant, qui usurpatoriam et ab Ecclesia neque directe neque indirecte probatum EXCLUSIVAM defendunt *veluti ius quoddam, imo veluti merum privilegium.*

600. — EX HODIERNA DISCIPLINA, maxime decreto Pii IV, Pontifex, Cardinalibus quoque consentientibus, non potest successorem sibi eligere; id enim officit libertati. *Incertum est* an Papae qui dicuntur electi a praedecessore Pontifice fuerint vere electi, aut potius designati ut digni qui postea eligantur. — NOTAT SUAREZ *(de Fide, dub.* 10): « Si Papa tentaret substitutionem tamquam eligendi modum ordinarium, non valeret istud decretum propter periculum inde secuturum. Attamen si in casu raro, urgente aperta Ecclesiae necessitate, id faceret, legitima uteretur pote-

state, ut arbitror ». Cfr. C. Ferrari, Scavini, Uguenin, Fagnanum [1].

[1] AN PAPA SIBI ELIGERE POSSIT SUCCESSOREM? — *Opiniones D. D.* — I. Ioannes III, Can. *Si Petrus* (8, q. 1): " Si Petrus Princeps Apostolorum adiutores sibi ascivit Linum et Cletum, non tamen potestate Pontificii, aut solvendi, aut ligandi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Clementi: qui Sedem Apostolicam post eum, et potestatem Pontificalem, tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus vero et Cletus ministrabant exteriora: Princeps autem Apostolorum Petrus verbo et orationi insistebat „. — II. Gratianus sive Palea, Can. *Unde* (8, q. 1): " Unde ipse Clemens in epistola ad Iacobum Hierosolymitanum missa, inter caetera scribit, quod Petrus adhuc vivens Clementem in Episcopum elegit. — Simon Petrus in ipsis diebus, quibus vitae finem sibi praesensit, apprehensa manu mea repente consurgens, in auribus totius Ecclesiae haec protulit verba: Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meae praedicationis et doctrinae cathedram trado, quem prae caeteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum, iustum, patientem et scientem ferre nonnullorum etiam ex his, qui in verbo Dei instituuntur, iniurias „. — III. Schmalz. *(L. 1, tit. 6, n. 91):* " Verum istorum Canonum veritas non immerito dubia videri poterit, cum legamus successorem proximum S. Petri fuisse Linum, postea Cletum, deinde primum Clementem. Si dicas, S. Clementem quidem a Petro sibi substitutum, sed demissionis studio renuntiasse dignitati, et sic deinde electum Linum, non repugnavero, sed cum communi dicam, eam substitutionem factam a S. Petro inspiratione, nutuque divino, ac proinde eius factum non trahendum in consequentiam. — Quare cum Suar., *D. 20, de fid., f. 5, num. 16.* et frequentiori DD. facile quidem concedo, quod in casu quodam extraordinario, quo aliter necessitati Ecclesiae succurri non posse praevideret anteces-

601. — **Obitus Rom. Pont. durante Concilio.** — *Pius IX in Litt. Ap.* « *Cum Romanis Pontificibus* », ait: « De Apostolicae potestatis plenitudine declara-« mus, decernimus atque statuimus quod, *si placuerit*

sor, successorem sibi possit sufficere, ut colligi videtur ex *can. transitus 10, dist. 70*, nego tamen, quod istud possit potestate ordinaria. — Ratio est 1° quia Papa, et Episcopus ratione spiritualis coniugii se habet ad Ecclesiam suam, sicut maritus ad uxorem: atqui iste alium sibi successurum in coniugio, etiam post mortem suam, constituere nequit; ergo, etc. 2° Dispositio, licet sit facta tempore habili, si conferatur in tempus inhabile, nullum de iure effectum habet: talis est substitutio novi Pontificis, a praedecessore facta; confertur enim in tempus mortis, quo Papa non amplius est. 3° Huiusmodi substitutio, si ordinarie fieri a Papa posset, mutaret universalis Ecclesiae statum, et induceret transmissionem haereditariam Pontificatus, quam tamen, tamquam maxime perniciosam regimini spirituali, semper exosam Ecclesia habuit „. — IV. Grandclaude *(Ius. Can., l. 1, tit. 6, pag. 189)*: " Consentiunt sat communiter TT. et CC. Romanum Pontificem non habere potestatem designandi personam successoris, ita saltem ut hic modus sit ordinarius: hoc aperte declarasse Pium IV in actis consistorialibus refert Reginaldus, ann. 1561, et multo antea Conc. Rom. ann. 461 „. – V. Bonal *(Inst. Can., I, p. 299)*: " Triplex est ea de re sententia. Alii quippe putant modum assumendi S. Pontificem non fuisse a Christo praescriptum, sed Ecclesiae commissum; atque ideo S. Pontificem posse suum successorem eligere. — Alii affirmant S. Pontificem non posse suum successorem eligere, nisi raro, seu nisi urgente et aperta Ecclesiae necessitate; quia magna exurgerent mala ex usu ordinario illius facultatis; ita Suarez, *de Fide*, disp. 10, sect. 4, n. 6-16. — Alii tandem communius ac valde probabilius sentiunt modum per suffragium plurium assumendi S. Pontificem fuisse a Christo praescriptum, et

« *Deo mortali Nostrae peregrinationi, praedicto gene-*
« *rali* CONCILIO VATICANO PERDURANTE, *finem imponere,*
« *electio novi Summi Pontificis, in quibuscumque statu*
« *et terminis Concilium ipsum subsistat, nonnisi per*
« *S. R. E. Cardinales fieri debeat,* MINIME VERO PER
« IPSUM CONCILIUM, atque etiam omnino exclusis ab
« eadem electione peragenda quibuscumque aliis per-
« sonis cuiusvis, licet ipsius Concilii auctoritate forte
« deputandis, praeter Cardinales praedictos. — Quin
« imo, ut in eiusmodi electione memorati Cardinales,
« omni prorsus impedimento submoto, et quavis per-
« turbationum et dissidiorum occasione sublata, liberius
« et expeditius procedere queant de eadem scientia et
« Apostolicae potestatis plenitudine, illud praeterea
« decernimus atque statuimus, ut si praedicto Vati-
« cano Concilio perdurante, Nos decedere contigerit,
« idem Concilium in quibuscumque statu et terminis
« existat, illico et immediate suspensum ac dilatum
« intelligatur, quemadmodum per Nostras has litteras
« illud nunc pro tunc suspendere atque in tempus

ideo esse omnino necessarium. Etenim 1° de facto modus electionis a pluribus fuit ad nos usque uniformis et constans: atqui talis praxis et observantia argumentum probabilissimum divinae institutionis subministrat, iuxta S. Augustini regulam: " Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur „. *Contra Donat.* lib. 4, c. 4. — 2° Si S. Pontifex, urgente et aperta Ecclesiae necessitate, potest sibi eligere successorem, eodem iure uti potest valide, licet illicite, etiam extra casum necessitatis „. — NOTA: *Quidquid sit, agitur de quaestione mere speculativa, nam in praxi semper actum est per electionem a pluribus post obitum Pontificis tantum habitam.*

« infra notandum differre intendimus, adeo ut, *nulla* « *prorsus interiecta mora*, cessare statim debeat a « quibuscumque conventibus, congregationibus et sessio- « nibus, et a quibusvis decretis seu canonibus confi- « ciendis, nec ob qualemcumque causam, etiamsi gra- « vissima et speciali mentione digna videatur, ulterius « progredi, donec novus Pontifex a sacro Cardinalium « collegio canonice electus suprema sua auctoritate « Concilii ipsius reassumptionem et prosequutionem « duxerit intimandam ». — IDEM PONTIFEX mandat quod « *certam stabilemque normam in simili rerum eventu perpetuo servandam* » suppeditent hucusque dicta. — Normae substantiales electionis Summi Pontificis a pluribus iam saeculis eaedem sunt; sed quasi in accidentalibus modificatae pro temporum adiunctis. Unde standum omnino est novissimis Pontificum decretis, quae etiam post mortem Pontificis vel durante Conclavi Cardinalibus legi debent et leguntur.

602. — NOTA. Ab Adriano III (Agapetus antea vocatus) omnes assumpti ad Summum Pontificatum nomen mutare consueverunt, si Adrianum IV et Marcellum II excipias [1].

[1] ABDICATIO SUMMI PONTIFICATUS. — I. Bonifacius VIII (Cap. *Quoniam aliqui* de renunt. tit. 7, in 6°): Quoniam aliqui curiosi disceptantes de iis, quae non multum expediunt, et plura sapere, quam oporteat (contra doctrinam Apostoli) temere appetentes, in dubitationem sollicitam, an Romanus Pontifex (maxime cum se insufficientem agnoscit ad regendam universalem Ecclesiam, et Summi Pontificatus onera supportanda) renunciare valeat Papatui, eiusque oneri et honori, deducere minus provide videbatur: Coelestinus Papa Quintus, Praedecessor Noster (dum eiusdem Ecclesiae regimini praesidebat) volens super hoc haesitationis cuiuslibet

ART. II. De electione Cardinalium.

603. — **Praenotandum.** — Cardinales PUBLICE creantur, cum R. Pontifex eorum nomina publice profert; creantur IN PECTORE, quando Papa eorum nomina non manifestat. — *Cardinales accipiunt* 1° biretum, 2° altera die galerum rubrum, 3° annulum, 4° titulum ecclesiae.

604. — **Regulae Canonicae.** — REG. Iª **Tempus creandorum Cardinalium,** seu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendae, *mense Decembri* in ipsis temporibus, seu diebus ieiuniorum esse debet. Ut autem ipsi Cardinales in regimine universalis Ecclesiae Romano Pontifici utiliter assistere valeant, ac de omnibus Christianorum regnorum, provinciarumque moribus,

materiam amputare, deliberatione habita cum suis fratribus, Ecclesiae Romanae Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus), de nostro et ipsorum omnium concordi consilio et assensu auctoritate Apostolica statuit et decrevit, Romanum Pontificem posse libere resignare. Nos igitur, ne statutum huiusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitationem eamdem in recidivam disceptationem ulterius deduci contingat, ipsum inter constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam de fratrum nostrorum consilio' duximus redigendum. — 2. Reiffenstuel (*l. 1, tit. IX, n. 16 et 44*): " Neque enim necesse est, ut is id praestet coram Cardinalibus, talem renunciationem acceptantibus; cum libere (ut ibidem dicitur) possit resignare, adeoque sine consensu cuiusquam alterius: quinimo sufficit simplex declaratio suae voluntatis, qua profiteatur, sponte se renunciare Papatui. Barbosa, *l. 1, Iur. eccles. univ. cap. 2, num. 213*, citans alios. — Verumtamen in hoc casu potius censetur fieri abdicatio, sive cessio, quam renunciatio: haec enim (ut ex eius definitione liquet) fit coram Superiore, Papa autem Superiorem non habet in terris. "

rebus et negotiis prompte et fideliter certa ab eis notitia pro rerum emergentium opportunitate habeatur, ad mentem Concilii Tridentini decreti statuitur, ut ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur. Inter septuaginta Cardinales praeter egregios utriusque iuris et decretorum doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia magistri; praesertim ex regularibus et mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores (Cfr. Sixti V, Const. *Postquam verus*, 3 Dec. 1586). — *Nota* quod non raro creantur Cardinales extra mensem Decembris, cum id totum pendeat a Pontificis Maximi arbitrio et suprema auctoritate.

605. — Reg. IIª **Qualitates.** — Praeterea qui Cardinales creandi erunt, legitimis et honestis sint exorti natalibus, neque ulla prorsus labe, aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed *omni macula et impuritate careant;* alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum penitus inhabiles, et illius incapaces sint et esse censeantur (ibid.).

606. — Reg. IIIª. *Si quos propter defectus*, vitia aut impedimenta quaecumque ad sacros Ordines secundum canonicas sanctiones promoveri fas non est, etiamsi cum ipsis Apostolica Auctoritate fuerit dispensatum, neve alicuius criminis aut infamiae nota respersi sint, in Cardinales ullo unquam tempore assumantur (ibid.).

607. — Reg. IVª. *Lectissimi et praecellentes* viri in ipsum collegium adscribantur, et quorum vitae probitas morumque candor, praestans doctrina et eruditio, eximia pietas et erga salutem animarum ardens studium et zelus, in dandis consiliis sincera fides et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia et auctoritas, et aliae qualitates a iure requisitae

tam ipsi Pontifici, quam universo collegio cognitae sint ac probatae (Ibid.).

608. — Reg. V^{a}. *Absentes a Curia Romana ad Cardinalatum promovendi* creari debent adiecta conditione, ut *infra annum Apostolorum limina visitare teneantur*, et ante consignationem bireti rubri a Pontifice transmittendi id facere iurent et observent (ibid.).

609. — Reg. VI^{a}. Cardinales (iuxta Const. *Romanum* Innoc. XII) nullatenus dare possunt suis consanguineis aliquid de bonis et pecuniis, nec de locis montium vacabilium et non vacabilium, et alia quae ad Sanctam Sedem spectant. Quod si affines et consanguinei sunt pauperes, eo modo illos sublevet electus Pontifex, quo omnes extranei pauperes sublevari debent.

610. — Regula summaria. Regulae iure ecclesiastico introductae in Cardinalium creatione seu electione non ligant Pontificem Maximum, sed potius indicant modum vigentem, ut patet.

611. — **Varia.** — Notat C. Ferrari: « Si numerus Cardinalium ita imminuatur, ut duo tantum reliqui sint, hi adhuc poterunt eligere (Papam), et unus poterit eligere alium. Imo si unus tantum reliquus sit, poterit eligere, modo se ipsum non eligat. Si denique omnes Cardinales mortui sunt, electio spectare videtur ad clerum romanum, vel ad Concilium generale ». — Attamen casus commentitius dici debet.

Art. III. — De electione Episcoporum.

612. — **Praenotandum.** — I. Certum est, primis Ecclesiae saeculis in more positum fuisse, ut Episcopi sibi successorem designarent. Sed Summus Pontifex Hilarus, Concilio duodequinquaginta Episcoporum Romae celebrato, quinque canones ad constituendam Ec-

clesiae disciplinam edidit, atque horum postremo cavit, « ne quis Episcopus sibi eligeret successorem » (Soglia). — II. *Romani Pontifices, ut dictum est, potestatem creandorum Episcoporum divinitus acceperunt;* idcirco sine eorum consensu et auctoritate Episcopos constituere fas est nemini; ipsi leges dederunt, ex quarum praescripto electiones fieri deberent, ortas de iisdem controversias diiudicarunt, et reiectis iis qui non legitime electi, aut minus idonei erant, alios suo lubitu Episcopos constituerunt, atque etiam potestatem aliis datam, cum visum est id satius esse, ad se revocarunt (Soglia).

613. — *Iure antiquo* clerus cum populo (postulante, vel annuente), sibi Episcopum eligebat, cuius electionis formae ea erat utilitas, ut merita dignoscerentur melius; sed illud erat incommodum, ut turbae aere, vel auctoritate seductae pro indignis tumultuarentur saepius. — *Iure decretalium* soli Ecclesiae Cathedralis Canonici sibi deligunt Episcopum, ut patet ex pluribus capitibus tituli Decretalium *de electione*, quae electionis forma excellens esset, si populi vitia non inficerent quandoque clerum. — *Ex regulis Cancellariae* Rom. Pontifex Episcoporum creationem sibi reservat. Hinc « haec porro iurisdictionis conferendae *potestas*, ex nova disciplina a pluribus saeculis iam recepta, a Conciliis oecumenicis, et ab ipsis Concordatis confirmata, ne ad Metropolitanos quidem potest nullo modo attinere, utpote quae *illuc reversa unde discesserat, unice residet apud Apostolicam Sedem* » (Pius VI, *C. Charitas,* § *Perlegat,* 13 *Ap.* 1791, *ad Gallos*). Hinc regulae electionis Episcoporum minus necessariae habentur, cum hodie promotio facta a Papa in Consistorio locum teneat et electionis et confirmationis.

614. — **Nominatio Regia.** — *Per concordata ipsum*

ius novissimum saepe immutatur. Unde in hac re semper, si quae sunt, videndae leges particulares a Rom. Pontificibus approbatae pro singulis nationibus. — I. Ius nominandi Episcopos non exercetur a Civili Gubernio nomine fidelium, neque vi potestatis civilis, sed recenti et *singulari* liberalitate Ecclesiae. Nominatio regia *non est* ergo *in se mala, quamvis aliquando noxia fieri possit*, ait Huguenin. — II. Principes in Episcopis nominandis viros deligere debent sanctitate et scientia spectatissimos, aut saltem iis dotibus ornatos, quas canones et concordata postulaverint; secus enim Rom. Pontifex praesentationem non admittit (id.). — III. *Nominatio regia* (ex *solis concordatis*, ut patet, derivata) non habet eamdem formam in omnibus nationibus concordato dotatis. — *Nominatio regia* dicenda potius *praesentatio*, et patet ex dictis.

615. — **Nota.** — I. *In Italia*, ex praescripto Pii X, S. Officio competit Episcoporum eligendorum negotia peragere, eosque examini subiicere; *in Gallia* Episcopi nominantur a Gubernio et, si digni, canonica institutione donantur a Rom. Pontifice; *in Hispania* praesentantur; *in Belgio* Capitula eligunt Episcopum; *in Anglia* Capitula tres eligunt viros idoneos, quos Episcopis provincialibus praesentant, ut hi proprium emittant votum, quod Rom. Pontifici pro collatione exhibetur; *in Germania* electio fit a Capitulis; IN REGIONIBUS INFIDELIUM ET IN VICARIATIBUS APOSTOLICIS, Papa, praevio S. C. de Prop. Fide iudicio, Episcopos et Vicarios Apostolicos constituere solet. *Cfr. tamen Concordata, Concilia regionum rite probata*, et normas S. C. de Prop. Fide de eligendis Episcopis, etc.

616. — II. Confirmatio R. Pontificis est absolute necessaria. Nullus erit verus Episcopus absque vel consensu, vel confirmatione, aut approbatione Episcopi

Episcoporum, et hoc *in quocumque tempore et conditione....*

617. — **Dotes Episcoporum.** — I. In candidatis ad Episcopatum haec ex sacris canonibus *requiruntur:* 1° Iusti ac legitimi natales; 2° Sana religio, morum virtus, idonea scientia; 3° Laurea sacrae theologiae iurisve canonici, aut publicum alicuius academiae testimonium, quo ad alios docendos idonei ostendantur. — *Hinc excluduntur ab Episcopatu:* 1° minores annis triginta; 2° irregulares omnes; 3° criminosi; 4° excommunicati, suspensi, interdicti; 5° qui contra canonum decreta pluribus fruitur beneficiis, quae incompatibilia dicuntur; 6° qui alium habet Episcopatum, nisi eo se abdicare paratus sit; 7° qui saltem sex ante menses, quam eligatur, sacros Ordines non susceperit; 8° denique qui scienter elegit indignum, eligi per triennium nequit.

618. — II. Ut merita electi melius cognosci possint, Episcopi Italiae et insularum adiacentium coram S. Pontifice a Cardinalibus et aliis canonistis et theologis improviso examine probabantur. Extra Italiam, fit processus informativus curante Nuntio Apostolico vel alio deputato.

619. — III. Ex S. Ioan. a Capistrano, Reiffenstuel, etc. *semper* praeferendus est canonista theologo, quia Theologia non includit Canones, Canones vero praesupponunt Theologiam.

620. — IV. Scientia est maxime attendenda in Episcopo, indoctus enim removendus est, ut fecit Honorius III, in Episcopo Colinense, qui grammaticam non didicerat, nec Donatum legerat. Cfr. Ferrari, n. 150.

621. — V. In Gallia ex dubie vigenti privilegio, sufficit ut candidatus expleverit 27 an.

622. — **Varia.** — I. « Non prohibetur Principibus, ne Episcopos Ecclesiis designent, si id ipsis *Ecclesia concesserit vel permiserit;* quod quidem eo casu praestabunt, *non iure imperii*, sed praesidii ad Ecclesiam iuvandam, et nominatio regia vim electionis habebit, quatenus rex ut Ecclesiae defensor, ut populi caput, seu ut persona inter Clerum et laicos media, utrumque ordinem in negotio electionis Episcoporum representat, sive utriusque iura exercet, *Ecclesia concedente* ». — (Nat. Alex., *Hist. Eccl. saec.* 15 *et* 16, *diss.* 11, *art.* 6, *n.* 7).

623. — II. « Naturalis ratio docet ovibus non convenire, ut pascant ac regant, sed tantum ut regantur et pascantur. Verum eligere pastores, actus est regiminis et gubernationis; laicis igitur, utpote ovibus tantum, nequaquam competit, nisi *concesserit Ecclesia*, ut revera alias indulsit, et nunc etiam (aliquibus) Principibus indulget, cum facultatem facit, ut in regnis, quibus praesunt, Episcopos nominent et praesentent Papae a quo canonice instituuntur » (Gasp. Iuenin).

Art. IV. De consecratione Episcoporum.

624. — **Praenotandum.** — I. Olim Metropolita Suffraganeum consecrabat. Hodie tamen consecrationes Episcoporum fiunt vel a Romano Pontifice (raro), vel de eius mandato.

625. — II. Episcopi qui extra Urbem consecrantur, eligere possunt Episcopum, cui datur mandatum apostolicum.

626. — **Regulae Canonicae.** — Reg. I[a]. Ad maiores Ecclesias promoti sive Cathedrales, seu superiores, quocumque nomine ac titulo sint insignitae, etiamsi

Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, si munus consecrationis *intra tres menses* non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint privati. *Consecratio* vero si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia peragatur, ad quam promoti fuerint, aut in provincia si commode fieri poterit. (Cfr. Trid., *Sess.* 23). Haec regula de *tribus mensibus* applicatur etiam *Episcopis titularibus.*

627. — Reg. II[a]. Omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, aliique Praesules quocumque nomine nuncupantur, non solum tenentur ante consecrationem *emittere professionem fidei* iuxta formam a Pio IV et Pio IX editam, sed etiam iurare super Evangelia Dei, secundum formam, etc. — Nota quod *iuramentum fidelitatis* S. Pontifici a Sisto V praescriptum obligat etiam *titulares* Episcopos.

628. — Reg. III[a]. *Ante consecrationem potest Episcopus exercere ea quae sunt Iurisdictionis.* Episcopus enim in confirmatione iurisdictionem accipit, unde Episcopus confirmatus, licet nondum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, synodum convocare, beneficia conferre, Ecclesias minores coniungere, adnectere, dividere; voti et iurisiurandi vincula solvere, quorumdam peccatorum absolutionem sibi reservare, et alios actus facere iurisdictionis (Cap. *Transmissam* 16 *de elect.*, cap. *Qualiter* 19 *de elect.* et cap. *Inter corporalia* 2 *de Translatione Episc.).*

629. — Reg. IV[a]. *Nemo consecrari debet, nisi prius constet consecratori de commissione consecrandi* sive per litteras Apostolicas, si sit extra Curiam, sive per commissionem vivae vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis.

Consecratio fit statuta die, quae debet esse Dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit; et tam consecrator, quam Electus, conveniens est ut praecedenti die ieiunent (Cfr. Pont. Rom., *de Consecrat. Episc.).*

630. — Reg. V^a. *Episcopus non minus quam a tribus Episcopis nullatenus ordinetur* sine dispensatione Sedis Apostolicae (Ioan. III, *ad Episcopos Germaniae et Galliae). — Consecrandus in Episcopum debet necessario prius esse sacerdos,* adeo ut si sacerdotium non praecesserit, invalida sit ordinis Episcopalis collatio (Cap. *Osius* 10, *dist.* 61).

631. — **Nota.** — Episcopus gravissimum onus subit *angelicis humeris formidandum,* ut loquuntur Tridentini Patres. Qua in re duplex est maxime periculum: 1° propriam salutem negligendi dum externa subditorum curantur: 2° peccandi per omissionem propriorum munerum, omittendo debitas monitiones, punitiones, et timendo longas molestias quotidie occurrentes: unde *nemo sapiens laeto creatur animo.*

Art. V. De Translatione Episcoporum.

632. — **Praenotandum.** — I. Omnipotens Deus spirituale *coniugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantum iudicio reservavit* dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est inter virum et foeminam suo tantum iudicio reservavit praecipiens, ut quos Deus coniunxit homo non separet. Non enim humana sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per *translationem, depositionem,* aut *cessionem,* auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur: et ideo tria haec,

quae praemisimus, non tam commissione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata (Cfr.. *lib.* 1 *Decretal.*, *tit.* 7, *de Translatione Episc.)*.

633. — II. *Regulariter* translatio fit de minori ad maiorem ecclesiam: aliter difficulter haberetur causa necessitatis vel utilitatis.

634. — III. Episcopus etiam invitus transferri potest a Papa de una ad aliam ecclesiam. Monet tamen Bened. XIV translationem fieri *in praxi* de consensu et scientia Episcopi transferendi; quia *in praxi* non imponitur novum matrimonium spirituale, nisi consentienti.

635. — **Regulae Pontificiae.** — I[a] *Sicut autem Episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet ecclesiam derelinquere, sic et electus confirmatus:* cum non debeat in dubium revocari, quin post electionem et confirmationem canonicam inter personas eligentium (seu dioecesim) et electi coniugium sit spirituale contractum: *cui profecto episcopalis dignitas nihil addit:* cum quis episcopali praeditus dignitate, nullius tamen ecclesiae possit esse Episcopus; quemadmodum de illo contigit, qui oneri pontificali renuntiat, non honori (*l.* 1, *t.* 7, *c.* 2). — Nota quod *statim ac notitia certa absolutionis a vinculo pervenit ad Episcopum, sedes vacat.* Hodie tamen frequenter retinent administrationem ex speciali et personali licentia S. Sedis, usque ad novae ecclesiae possessionem.

636. — Reg. II[a]. Qui uni ecclesiae fuerat alligatus, unde secundum Apostolum solutionem quaerere non debebat, nimis improbe derelinquit, si ab ecclesia sua ad aliam se trasferat ecclesiam sine Sanctae Romanae Sedis auctoritate et voluntate, et ipsi prohibetur ne ad ipsam redeat ulterius, et novae ecclesiae administra-

tionem gerere praesumat: cum secundum traditiones canonicas, *qui ad maiorem se plebem transtulit, a cathedra repelli debeat aliena, et carere propria*: ut nec illis praesideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit (Cfr. *l.* 1, *t.* 7, *c.* 3). Quoad poenas, vide etiam Const. *Apostolicae Sedis.*

637. — Reg. IIIª. *Si quis autem per abusum saecularis potestatis contra Ecclesiasticam libertatem electus consentire praesumpserit*, et electionis commodo careat et ineligibilis fiat, ita ut, absque dispensatione, ad aliquam dignitatem ecclesiasticam eligi non possit (Cfr. Innoc. III, in Conc. Lat. c. 25). — Vid. De Luise, et Const. *Apost. Sedis.*

638. — Concludendum: Translatio sacris est inimica canonibus praecipue in Episcopo... Sacri revera canones translationes de una in aliam ecclesiam absque legitima causa et auctoritate factas veluti adulteria damnarunt. Non enim homo, sed Deus separat, quos R. Pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana sed divina potius auctoritate dissolvit (*Lib* 1, *t.* 7, *per totum*).

Art. VI. De renuntiatione Episcopatus.

639. — **Praenotandum.** — Episcopus vel loco tantum renuntiat, vel loco et dignitati. Qui loco tantum renuntiavit, honorem retinet et dignitatem episcopalem, non vero iurisdictionem, cum non habet subditos; sed rogatus ab Ordinario potest licite exercere Ordinem Episcopalem. Qui loco simul et dignitate se abdicavit (quod hodie fieri non solet), nihil licite potest eorum, quae eius Ordinis propria sunt (*l.* 1, *t.* 13, *c.* 1).

640. — **Regulae Canonicae.** — Reg. I^{a}. *Nemini electo ad Episcopatum fas est cedere sine licentia Summi Pontificis*, qui perpensis causis, exclusive et omnimode facultatem habet concedendi vel negandi huiusmodi licentiam. Et quamvis amore solitudinis et perfectionis vitae cedere velit, si tamen Summus Pontifex licentiam negat, ita moribus praeceptorum Sanctae Sedis est adstrictus, ut liberam sine culpa ad monasterium non habeat viam ingrediendi. Ergo omnino standum est iudicio Pontificis Maximi, qui solus potest de causis iudicare et de ipsis Episcopis disponere.

641. — Reg. II^{a}. Hae sunt causae, *propter quas cedendi Episcopus licentiam* potest a Romana Sede postulare: *conscientia*, scilicet *criminis*, *debilitas corporis*, *defectus scientiae*, *malitia plebis*, *grave scandalum*, *irregularitas personae;* sed in his omnibus est observanda cautela. Propter conscientiam enim criminis, cedendi potest licentia postulari, et haberi, at non cuiuslibet, sed dumtaxat illius, propter quod ipsius officii executio, post peractam poenitentiam impeditur; nam si omnes, quos aliquid conscientia cuiuslibet culpae remorderet, cederent: pauci vel nulli in illo ministerio remanerent (Cfr. *Decretal. l.* 1, *tit.* 9, *c.* 10 *de Renuntiat.*) *Inde* 1° *versus:*

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

2° *Regula generalis seu summaria:* Licet Episcopo suam Ecclesiam dimittere (cum Papae licentia), cum clare patet ipsum concreditae sibi plebis saluti prodesse amplius non posse (Bened. XIV, *de Syn. l.* 13, *c.* 16, *n.* 3).

642. — Reg. III^{a}. Verum si propter alias causas *cessio affectatur, non est in hoc electo postulanti fa-*

vendum: cum huiusmodi postulatio videatur non esse discreta, quoniam propter laboris angustias, aut persecutionis incursus non debet electus Episcopus deserere sponsam suam, cui defungendo apud extraneum se media fide copulavit, sciens quod « beati sunt illi qui persecutionem patiuntur propter iustitiam »: quoniam cum probati fuerint, accipient coronam vitae quam repromisit Deus diligentibus se (Cfr. *Decretal. ib.*).

643. — REG. IV^a. SI QUIS PER CUPIDITATEM PARENTUM (eo tamen penitus ignorante) *fuerit episcopatum adeptus,* et hoc comperto episcopatum ipsum de licentia superioris dimittens, observantiam elegerit regularem: et si ad episcopatum eumdem redire postmodum nequeat, iuxta canonicas sanctiones ad alium tamen poterit licite reassumi (Cfr. *ib. c.* 11). — Tota res pendet a Papae voluntate, ut patet.

644. — NOTA. I. MAGISTRATIBUS ET BENEFICIIS SE ABDICARE CUIVIS LICET, etiam Pontificatu Maximo, uti Coelestinus declaravit suo exemplo et Constitutione, quam probavit Bonifacius VIII (Cap. *de Renunt.* in 6). Sed tamen vires non habet renuntiatio, *neque quis abdicatione sua beneficia amittit, nisi se abdicet coram eo, a quo illud* obtinuit, excepto S. Pontifice... Hinc Episcopi (ut dictum est) recte haud renuntiant, nisi renuntiatio Sede Apost. probata fuerit, ac nisi iustas habeat renuntiandi causas (Devoti).

645. — II. Facta et probata renuntiatione, frustra renuntiantem poenitet eorum quae gessit, cum omne amiserit ius in beneficio... (id.).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Mater nostra est « Virgo tota, carne, mente, aspectu, contactu, cogitatu, affectu, ser-

mone, opere, spiritu, sensu: — Virgo regia inter Virgines primatum tenens » (S. Th. a Vill.).

MARIAM INVOCA. Diligam te, « Virgo vere singularis, vere unica, ad quam nulla est alia Virgo, ad cuius comparationem omnis alia virginitas corruptio videri potest » (id.).

MARIAM LAETIFICA. Ecclesiasticam hierarchiam et dignitatem oculis fidei, non vero humano tantum modo aestimando: pro honore et sanctitate utriusque Cleri ferventer orando. — *Filii Mariae imitatores eius...*

PARS SECUNDA

DE IURE PRIVATO ECCLESIASTICO[1]

TRACTATUS DE PERSONIS[2]

CAP. I. — DE EPISCOPIS

646. — **Praenotandum.** — I. *In hoc capite acturi sumus de Episcopis, quatenus sunt particulares Dioecesium Rectores et Inspectores; videndum ergo quaenam in eisdem dioecesibus sint eorum iura et obligationes.*

647. — II. Episcopus, graece Inspector, vocatur a

[1] Ius privatum ecclesiasticum *privatorum iura et officia determinat*, seu agit de iis omnibus quae ad singularum Dioecesium vel Ecclesiarum administrationem pertinent (Vid. n. 25). Agemus 1° *de Personis*, 2° *de Rebus*, 3° *de Iudiciis*.

[2] I. Persona, iure canonico antiquo, erat nomen maioris clerici, ex quo ortus est *Personatus*, qui in solo personae

Sacris Canonibus et Patribus *Ordinarius*, *Ecclesiae Pastor*, *Praesul*, *Ecclesiae Princeps*, *Antistes*, *Sacerdotum Princeps*, *Apostolorum Successor*, *Sacerdos magnus*, etc.

648. — III. Iuxta Augustinum *Episcopi nomen est operis*, *non honoris*, *et non est Episcopus*, *qui praeesse diligit*, *non prodesse*. Unde vigilare debent « quasi rationem pro animabus reddituri » (*Heb.*, 13, 17). — Vide quae notavimus, ubi de Hierarchia. Restat ut aliqua dicamus de RESIDENTIA, VISITATIONE, PROCURATIONIBUS ET CATHEDRATICO.

649. — IV. Card. Sarto, hodie Pius X, in Synodo dioecesis Mantuanae anni 1888, cap. 19, haec de dignitate Episcoporum dixit: « De Episcopo aliquid memorantes sponte occurrit cogitatio oneris angelicis humeris formidandi, et specialis divini auxilii necessitas, ne dum aliis praedicat ipse reprobus efficiatur.

ecclesiasticae honore, sive praeeminentia, absque officio et iurisdictione consistit. — Hodie tamen in canone persona est quilibet homo. — TRES SUNT PERSONARUM STATUS, *qui Ecclesiae corpus constituunt:* CLERICI, LAICI et CATECHUMENI.

II. *Iure divino* Clerici a Laicis distinguuntur.

III. Ipsi REGES et IMPERATORES inter Laicos adnumerandi sunt; *ius Maiestaticum* nullum ius tribuit nec tribuere potest in administratione ecclesiastica. Reges sunt tantum Vindices et Defensores Ecclesiae et Canonum. Unde dicendum cum doctissimo Episcopo Abulensi Cyriaco Maria Sancha (hodie Cardinali et Archiep. Toletano), 14 Aug. 1882: Regales ordinationes et decreta constituere nequeunt normam et regulam rerum ecclesiasticarum et Religionis.... in hac re sola Ecclesia est audienda, non vero potestas saecularis, quae ex ipsa natura sua caret omni potestate sive directa sive indirecta circa negotia ecclesiastica (*Boletín Eclesiástico de la Diócesis de Avila*).

Quapropter vos, venerabiles fratres, iterum atque iterum rogamus, ut non solum in sacrosancto Missae Sacrificio, quemadmodum ritus praescribit, sed in cunctis precibus vestris, et speciali modo coram augustissimo Sacramento nostri memoriam faciatis, ut nobis et animabus nobis commissis attendere, et vitam, sicut Episcopum decet, transigere possimus. — Ad Episcopum quacumque die et hora unicuique necessitate compulso patet aditus; Ordinario vero diebus omnibus ferialibus ab hora nona ante meridiem usque ad primam post meridiem. Monitos insuper volumus Parochos praecipue et Sacerdotes curam animarum exercentes, Nos ea, qua decet, benevolentia et promptitudine eos semper excepturos, quoties opera nostra, nostrisque consiliis indigeant; menti enim nostrae iugiter inhaeret illud D. Augustini effatum: *Episcopatus nomen est oneris, non honoris* » (De Civ. Dei).

650. — V. Idem Cardinalis Sarto, in Synodo dioecesana Veneta anni 1898, p. II, cap. 2, subiungit: « Quo magis nunc temporis Episcopalem dignitatem mundus despicit ac impugnat, eo magis Sacerdotes, si spiritu Dei aguntur, ut ea affectu ac veneratione afficiatur curare debent; agitur enim de dignitate quae, tum ordine tum iurisdictione, sacerdotali antecellit, et ex qua vigorem ecclesiastica disciplina et ipsius Ecclesiae auctoritas haurit. Omnes igitur Sacerdotes discant ipsi, ac fideles sibi commissos edoceant, iuxta Sancti Ignatii Martyris doctrinam, Episcopum *honorare tamquam in persona Christi incedentem, et illi adhaerere ut Ecclesia Christo* (Ep. ad Smyrn.). — Neve quisquam obliviscatur obsequium Patriarchae [Episcopo] exhibendum non externum tantum esse debere, sed interius quoque et ex animo praestandum. Quapropter Sacerdotes non solum studere ut illum ipsi honorent utque

ab aliis honoretur, sed cavere etiam debent ne maledico dente lanietur; et si calumniis ac iniustis notis, ut in tanta temporum nequitia fit, eum impeti, et eius famae detrahi, eius opera condemnari ac intentiones ipsas mala interpretatione accipi sentiant, spirituales filii in gloriam Ecclesiae animarumque salutem vocem attollere ne erubescant. — Praeterea venerabilem Clerum obsecramus ut episcopalibus muneribus implendis Nobis adiumento esse velit, praecipue orationis subsidio, cui amoris, obedientiae et fiduciae praesidium accedat, ita ut nulla quis apud Nos fallacia, nulla tergiversatione aut dissimulatione incedat, sed de omnibus quae ad bonum animarum conducunt, candide ac fidenter certiores Nos reddat ».

651. — **Residentia.** — I. Episcopus tenetur in propria dioecesi residere, et levamen non datur nisi ad duos vel tres menses in anno sive continuos, sive non, absque gregis detrimento, et extra maiores festos dies.

652. — II. Hinc: Si quis a Patriarchali vel primatiali, metropolitana, aut cathedrali ecclesia quocumque titulo, causa, nomine seu iure sibi commissa, quacumque ille dignitate, gradu, et praeeminentia praefulgeat, legitimis impedimentis, seu iustis causis cessantibus *sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni fabricae ecclesiae, vel pauperibus loci per Superiorem applicandorum poenam ipso iure incurrat.* Quod si per *alios sex menses* in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. *Crescente vero contumacia*, ut severiori sacrorum canonum censurae subiiciatur, *Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus*

antiquior residens sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipsos absentes prout cuiuscumque maior aut minor contumacia exegerit suae supremae Sedis auctoritate animadverteret, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus poterit providere, sicut in Domino noverit salubriter expedire (Vid. Trid., sess. 23, cap. 1, *de Reform.* — Cfr. *Th. Mor.*, ubi de Const. *Ap. Sedis*).

653. — **Visitatio Dioecesis.** — *Episcopus tenetur visitare dioecesim singulis annis, quod si dilatat nimis, saltem infra biennium.* — Visitatio est onus personale. Attamen si impeditus, visitationem facere potest per Vicarium vel alium. — Episcopus potest eodem anno bis visitare dioecesim, sed tunc nequit bis exigere procurationem.

654. — **Modus visitationis.** — *Visitatio est* PERSONALIS *vel* REALIS. *Visitatio personalis* est inquisitio de vita et moribus personarum, deque earum officiis, vivendi causa, an eisdem rite fungantur. *Realis* est inquisitio de administratione, custodia et statu Ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, de legatorum aliorumque piorum onerum satisfactione, deque aliis rebus huiusmodi (Soglia). *Innoc. IV* praescripsit ut Episcopus in visitatione procedat « absque coactione et exactione qualibet iuramenti.... ». Unde debet praecipere sine strepitu et figura iudicii.

655. — **Episcopi in visitatione debent inquirere:** 1° an Ecclesia reparatione indigeat; 2° an eius redditus rite administrentur; 3° an pia legata adimpleantur; 4° an rite Sacramenta ministrentur, Missae, Officia divina celebrentur; 5° et praecipue an Clerici ad sacrorum canonum normam vitam degant; *quibus discussis, et fidelibus ipsius Ecclesiae convocatis debent docere*

illos, « ut errores fugiant idolorum, vel diversa cri« mina, id est homicidium, adulterium, periurium, « falsum testimonium, et reliqua peccata mortifera, « et quod nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, ut cre« dant resurrectionem omnium hominum, et diem « iudicii, in quo unusquisque, secundum opera sua « recepturus est »; et alia similia facere, quae a canonibus praecipiuntur (C. Ferrari, 155). — Unde Trid., Sess. 24, cap. 3, *de Reform.*, ait: « Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere; bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; caetera, prout locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque, modesto contenti equitatu famulatuque, studeant, quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere ».

656. — Nota. I. In Gallia mos est Episcoporum dioecesim inter tres vel quatuor annos *successive* totam visitationem peragere (data extensione territorii).

657. — II. Si necessitate cogente, Episcopus visitet per alium, hic medietatem tantum procurationis poterit recipere. Idem resolve de Vicario Capitulari dioecesim visitante.

658. — III. Non datur *appellatio* sed *devolutio tantum* in decretis ab Episcopo in visitatione sine iudicio factis (Cfr. C. Ferrari).

659. — **Procuratio** *est honesta sustentatio quae Episcopo dioecesim visitanti debetur iuxta consuetu-*

dinem. — *Episcopus non potest exigere* procurationes ab Ecclesiis vere pauperibus, neque ab Ecclesiis civitatum, in quibus ipse habet sedem, neque plurimas procurationes a pluribus Ecclesiis una die visitatis, neque ab oratoriis privatis. Generatim non potest procurationem petere si in dioecesi nunquam fuerunt exhibitae (Trid.).

660. — **Regulae procurationis.** — Trid. *sess.* 24, *c.* 3, *de Reform.*, decrevit: I. Ut Episcopus nihil vel sponte oblatum occasione, seu causa visitationis reciperet praeter procurationes, quae sibi, suoque honesto comitatui frugaliter, et moderate praestandae sunt.

661. — II. Ut iis qui visitantur, optio esset aut solvendi eam pecuniae vim, quae ante Episcopis ex iure vel consuetudine pendebatur, aut ipsa victualia in specie subministrandi, salvis antiquis pactionibus, quae cum monasteriis aliisve locis piis, aut Ecclesiis, non parochialibus initae fuissent.

662. — III. Ut si aliquibus in locis visitationes gratuitae esse consueverint, recepti mores servarentur.

663. — IV. Ut si quid amplius acceptum fuisset, Episcopus intra mensem tum poena dupli restituendi, tum aliis poenis arbitrio Synodi provincialis mulctaretur — Cfr. Soglia.

664. — Nota. I. *Procurationes autem praestandae sunt ab omnibus Ecclesiis Sacrae Visitationi obnoxiis*, et a Clericis beneficiariis dum visitantur, idque pro modo facultatum, aut pro recepta consuetudine; non tamen a laicis neque ab Ecclesiis vi exemptionis, privilegii, vel consuetudinis hoc onere solutis, nec denique ab Ecclesiis Cathedralibus, quod Episcopus nullis extra ordinem impensis in earum visitatione oneratur (Soglia).

665. — II. Cavendum est Episcopis, ne inutilibus

sumptibus graves sint Ecclesiis, quas visitant, et ideo modesto comitatu esse debent (Devoti).

666. — III. *Ex Trid.*, *sess.* 24, *cap.* 3: Visitatio modeste et *quam celerrime* (iuxta conscientiam et prudentiam Episcopi) expediri debet.

667. — **Cathedraticum** seu SYNODATICUM est *tributum in honorem Cathedrae Episcopalis a singulis Ecclesiis praestandum.* — I. Vocatur etiam Synodaticum, quod in Synodo exigeretur, interdum etiam *pensio paschalis* vocari consuevit, ideo quod Synodus plerumque post Pascha celebraretur.

668. — II. Nullum ferme ius Cathedratico antiquius est, illudque veteres Canones in certa quantitate taxarunt, ita ut duos solidos non excederet, de quorum aestimatione concertant Canonistae; at vero locorum consuetudo servanda est.

669. — III. Cathedraticum ad *legem Dioecesanam* pertinere dicitur: lex enim Dioecesana exigit: 1° *subsidium charitativum*, seu moderatum subsidium ex manifesta, et rationabili causa a Clericis tribuendum; 2° *quartam decimationem*, seu quartam partem decimarum, et quartam mortuariam seu funerum, quae et canonica portio, seu quarta Episcopalis dicitur, atque Episcopo debetur ex legatis et oblationibus quae Ecclesiae relictae sunt. Utraque haec quarta *(fere ubique obsolevit)* nititur veteri partitione bonorum, ex qua Episcopus quartam omnium reddituum ecclesiasticorum recipiebat; in hisce omnibus consuetudo *(legitima)* cuiusque Dioecesis retinenda est. — Ita Soglia.

670. — IV. Notat Devoti: *Nunc*, saltem in Italia ius viget, ab Innocentio XI constitutum, quo sancitum est, ut semel tantum Episcopus, videlicet in primo

ingressu suo, hoc *subsidium* (*charitativum*) exigat. Aliter indiget S. Sedis venia.

671. — Opportunum ducimus ad memoriam revocare ius in America Latina vigens circa Episcoporum proventus, ex art. 859-862 Conc. Plen. eiusdem Americae Latinae, ubi dicitur: « Ecclesia, quum, nostro praesertim saeculo, in non paucis regionibus, privata fuerit bonis immobilibus atque stabilibus reditibus, praeter liberales oblationes fidelium, etiam taxas suis subditis impositas, tamquam modos percipiendi reditus ecclesiasticos iure merito retinuit. Quod ius imponendi taxas, optimo sane consilio exercetur circa reditus ecclesiasticos et bona temporalia, quae sunt in dominio Ecclesiae. — Quare Episcopus, singulis annis, quamdiu sit necessarium, secundum tramites a Concilio Tridentino statutos, a beneficiariis aliisque personis ecclesiasticis in iure expressis, *seminaristicum* postulare valeat atque *cathedraticum* pariter in forma legitima exigere non prohibetur; dummodo caveat, ne iustam mensuram excedat. — Quamvis ex iure communi Episcopus *subsidium charitativum* ab ecclesiis et clericis sibi subiectis tantum extraordinarie, iusta et gravi interveniente causa, atque cum consensu Capituli, exigere possit; tamen, deficientibus stabilibus reditibus pro propria substentatione et communibus expensis dioecesis, pro more aliarum regionum, certam et determinatam contributionem annuam, aequitate canonica servata, exigere valet. — Merito quoque Episcopi exigunt *taxas* statutas pro quibusdam documentis per cancellariam episcopalem expeditis. Qua in re, adamussim observetur quod praescribitur a S. Congregatione Concilii, per litteras datas die 10 Iunii 1896 ».

672. — **Regulae Canonicae generaliores.** — 1ª. EPISCOPUS OPORTET ESSE IRREPREHENSIBILIS. Ipsis omnimode

Sancta Nicaena Synodus et alia Concilia subintroductam habere mulierem interdicunt. Ipsi nullam rei extraneae curam ad se revocent, sed lectioni et orationi, nec non verbi Dei praedicationi vacent. *Modestam suppellectilem habeant, et frugali mensa contenti caveant ne quid appareat, quod non simplicitatem in eis, et carnis mortificationem, et contemptum vanitatum, ac Dei zelum praeseferat* (Cfr. Conc. Carthag., IV, *cap.* 15, Conc. Antioch.). *Si qui regulares fuerint ad Episcopatus honorem promoti*, religionis *habitum* retineant, iuxta normas liturgicas et decreta S. Sedis, quae formam et usum describunt. — Bellarminus, *Admonit. ad Episc. Theanensem nepotem suum*, controversia 4, quaerit: *An Episcopus teneatur esse perfectus*, et respondet; « Et quod teneatur, docent omnes Scriptores, ac praesertim S. Thomas, qui comparans Religiosos cum Episcopis dicit, maiorem perfectionem requiri in Episcopis quam in Religiosis. Ipsum audiamus, sic enim respondet: " Dicendum, quod sicut Augustinus dicit, lib. 12, cap. 6, super Genesim ad litteram, semper agens praestantius est patiente; in genere autem perfectionis secundum Dionysium Episcopi se habent ut perfectiores, Religiosi autem ut perfecti; quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem; unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis quam in Religiosis „ (2. 2^{ae}, *q.* 284, *art.* 7). Quod confirmatur ex verbis Apostoli: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum;* et ex verbis Domini: *Vos estis sal terrae, et lux mundi.* Haec igitur est veritas; sed non omnes capiunt verbum istud. Religiosi sunt in statu perfectionis acquirendae, quia faciunt tria vota, paupertatis contra affectum divitiarum, castitatis contra concupiscentiam carnis, obedientiae con-

tra superbiam vitae. Episcopis igitur, qui est in statu perfectionis adeptae, tenetur esse perfectus, idest ardentissima charitate Dei et proximi praeditus, ita ut divitias Ecclesiae suae non suas esse existimet, et non habeat ad possidendum tamquam proprias, sed ad dispensandum ut alienas. Item tenetur esse perfectus in charitate Dei et proximi circa castitatem, ut angelica puritate Deo ministret, et viros ac mulieres, quibus praeest, vere diligat ut filios et filias, et nullam unquam suspicionem incontinentiae illis tribuat; proinde non habere domi personam ullam, vel ob adolescentiam, vel ob ornatum, ad quam carnali affectione propensus credatur: foris autem cum nulla unquam muliere sine testibus loquatur, atque id potissimum erga Sanctimoniales observet; incredibile enim est, quam contemptibilis reddatur Episcopus, si aut verbis aut factis ullum signum incontinentiae dederit. Denique perfectus esse debet circa humilitatem et obedientiam Dei, et Superiorum mandata, ac praecipue erga illud a Ioanne Evangelista promulgatum: *Debemus pro fratribus animas ponere* (Ioann., III, 16), ac multo magis divitias, quietem, delicias, et commoda omnia. Quemadmodum autem haec perfectio acquiri possit, egregie docet Sanctus Gregorius in libro de *Cura Pastorali*, parte secunda ».

673. — REG. IIa. *Episcopi rebus Ecclesiae tamquam commendatis, non tamquam propriis utantur.*

674. — REG. IIIa. EPISCOPI PRINCIPIBUS, *eorumque ministris in Ecclesia vel extra indecenti quadam demissione* LOCUM NON CEDANT, *nec personaliter inserviant;* sed gradum et ordinem ad quem promoti fuerint prae oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; et *tam Reges, quam caeteros omnes*

paterno honore ac debita reverentia prosequantur (Cfr. Trid., *sess*, 25, *c.* 17, *de Reform.*).

675. — Reg. IV^a^. *A suis Episcopis excommunicatus, ab aliis Episcopis, Abbatibus et Clericis in communionem recipi prohibetur* (v. C. Pii VI, *Auctorem fidei*).

676. — Reg. V^a^. Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, *qui residentiae officium in propriis Ecclesiis contempserint*, non solum incapaces fiunt ad alias ecclesiasticas dignitates obtinendas, sed etiam privantur omnibus privilegiis et indultis, quae forsan ipsis concessa fuerint *tamquam Pontificio Solio assistentibus* (Cfr. Const. Bened. XIV, *Ad universae*, 1746).

677. — Reg. VI^a^. *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu* PONTIFICALIA IN ALTERIUS DIOECESI EXERCERE, nisi de Ordinarii loci *expressa licentia* et in personis eidem Ordinario subiectis tantum: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi (Trid.). — Cfr. *Theol. Mor.*, *ubi* de Const. *Ap. Sedis.*

678. — Reg. VII^a^. *Causa Episcoporum, cum pro criminis obiecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur ac per ipsum terminentur* (Trid.).

679. — Reg. VIII^a^. *Non licet Episcopo visitationem aggredienti* proponere edicta quibus subditi iubeantur delicta detegere, multoque minus proposita poena excommunicationis, nec exigere iuramentum a visitatis (*S. Congr. Conc.* 2 *Ian.* 1601).

680. — Reg. IX^a^. Sacri canones innuunt, ut *Episcopus, si infirmitate non fuerit impeditus*, ECCLESIAE, CUI PROXIMUS FUERIT, DIE DOMINICO DEESSE NON DEBEAT (*Can.* 4 *de cons. dist.* 3).

681. — Reg. X^a. Bonifacius VIII insinuat, Episcopos debere quotidie celebrare vel saltem audire Missam, *sine qua eos transire non decet absque rationabili causa ullum diem* (Cap. fin. *de privil. in* 6).

682. — Reg. XI^a. Episcopi Italiae unoquoque triennio perficere debent VISITATIONEM AD LIMINA, et si legitimo detineantur impedimento, hoc iurisiurandi religione confirmantes, Romam virum ecclesiasticum opportuno mandato instructum mittere compelluntur, qui ipsorum vices gerat. Episcopi remotiores, ut Germaniae et Hispaniae, unoquoque quinquennio (Episcopi Galliae quadriennio); et remotissimi Episcopi unoquoque decennio ad hanc sacrorum Liminum visitationem tenentur [1]. Ut scribit S. Congregatio de Propaganda Fide in Instructione diei 1 Iunii an. 1877, a Pio IX probata: « Facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediant, nostra hac aetate nonnisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facilitate longissima quaeque itinera terra marique perfici va-

[1] 1° Communiter dicunt AA. ibi esse limina ubi est Pontifex Maximus. 2° Visitationis obiectum est veneratio et devotio erga SS. Apostolos; reverentiae et obedientiae exhibitio erga R. Pontificem; relatio status dioecesis. In hac visitatione modo speciali Pastor Pastorum dirigit et " confirmat fratres suos ". 3° Tempus reputatur ab ultima visitatione, et nova facienda est *intra* ultimum annum (triennii etc.) a tempore quo Episcopus actualis vel eius Antecessor praecedentem peregit. Unde novus Episcopus non potest expectare terminum (triennii etc.) propriae administrationis. 4° Episcopi *titulares* probabilius non tenentur visitare limina.

leat. » Modus conficiendi relationes de statu ecclesiarum, occasione Visitationis ad Limina, habetur in Instructione S. Congregationis Concilii, iussu Benedicti XIII edita, et si de regionibus Missionum vel Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectis agatur, in Litteris Encyclicis et Instructione diei 1 Iunii 1877.

683. — Reg. XII^a. « Decernimus et declaramus « omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate « etiam cardinalitia auctos, item Abbates iurisdictio- « nem quasi episcopalem in clerum et populum cum « territorio separato habentes, in Dominicis aliisque « festis diebus... omni exiguitatis redituum excusatione « aut alia quavis exceptione remota, ad MISSAM PRO « POPULO sibi commisso celebrandam et applicandam « teneri... Declaramus huic officio satis esse facturos « per celebrationem et applicationem unius Missae... « etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque « principaliter unitas regant. » (Lit. Ap. Leonis XIII, 10 Iun. 1882). — EPISCOPI TITULARES non tenentur applicare pro dioecesi, cuius sunt simplices titulares. Attamen, « si aequitatis charitatisque Episcopalis ratio « habeatur, non potest non consentaneum videri, eos « etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus « miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum « titulo et nomine ipsi honestantur », ait idem Summ. Pontifex, ibid.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. *Maria est* « Virga gracilis per innocentiae puritatem, flexibilis per obedientiae virtutem, recta per operationem iustitiae, eminens per perseverantiam virtutis, uniformis per morum concordiam » (Absalon Abbas).

Mariam invoca. **Ave, Virgo pudica, corpore decora, animo fulgida, fide perspicua, mente praeclara, amore virginitatis devota, ad obediendum parata... in persecutione pacifica... a prophetis Dei praedicta, a philosophis Sancta praefata, ab Archangelo salutata.., (S. Ildefon.).**

Mariam laetifica. Corporis et animi mortificatione. — *Filii Mariae imitatores eius.*

CAP. II. - DE ADIUTORIBUS EPISCOPORUM.

Art. I. De Archipresbyteris, Decanis et Archidiaconis.

684. — **Praenotandum.** — Antiquum est Archipresbyteri nomen, quo primus Sacerdotum intelligitur. — *Archipresbyteri sunt duplicis generis:* unus *urbanus*, alii autem *rurales* dicuntur. — Vid. Soglia, Devoti...

685. — **Archipresbyteri.** — I. *Unus olim fuit in singulis dioecesibus Archipresbyter, in civitate Episcopali constitutus.* 1° Presbyteris Ecclesiae cathedralis praeerat et primus post Episcopum imperabat in iis quae ad sacrum ministerium pertinent. 2° Attenta ipsius institutione, erat prima post Episcopum dignitas. 3° Sed ordine quidem superior Archidiacono, tamen iure Decretalium est inferior: nam ille functiones Ordinis aut fori interni peragebat tantum in civitate, dum Archidiaconi iurisdictio externa se extendebat in totam dioecesim. 4° *Archipresbyter urbis solum re-*

tinet antiqui splendoris imaginem; ipse est dignitas, et habet aliquam praeeminentiam (Huguenin).

686. — II. **Archipresbyteri rurales seu Decani.** — 1° Lapsu temporis ruri quoque constituti sunt ARCHIPRESBYTERI RURALES proinde dicti, qui ferme in locum CHOREPISCOPORUM successerunt. 2° Rurales Archipresbyteri vocati sunt etiam DECANI, quia nimirum Dioeceses in varios certosque districtus seu *decanias* distributae erant, ac singulis decaniis suus Archipresbyter praeficiebatur. 3° MUNUS autem ARCHIPRESBYTERI RURALIS, SEU DECANI, sic describitur in cap. 4 *de offic. Archip.:* « Non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam presbyterorum qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiat, et qua quisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renuntiet » (Soglia).

687. — **Archidiaconi.** — I. Quemadmodum Archipresbyter urbis in muneribus ordinis Sacerdotalis, ita Archidiaconus in externa iurisdictione et administratione Episcopis subsidio erat. Ex ordine Diaconorum Archidiaconus eligebatur, qui caeteris rerum gerendarum dexteritate praestaret. *Amplissima olim fuit Archidiaconorum potestas*, cum omnia pene negotia ecclesiastica ipsorum ministerio peragerentur.

688. — II. AB INITIO *tanta Archidiaconi potestas* a mandato et arbitrio Episcopi pendebat; at deinceps in potestatem ordinariam abiit, ita ut Archidiaconi, non amplius ad Episcopi nutum moverentur, sed quasi *Vicarii Episcoporum nati*, sive dati a iure iurisdictionem propriae dignitati adnexam consequuti sunt, eamque inferiorem quidem, distinctam tamen ab Episcopi iurisdictione.

689. — III. NUNC temporis Archidiaconorum potestas pene concidit, et omne ipsorum munus eo reda·

ctum est, ut adsint Episcopo generales Ordinationes habenti, vocentque Clericos, qui ad ordines promovendi sunt (Soglia).

690. — IV. Vicarii Generales Archidiaconibus et Vicarii Foranei Archipresbyteris successerunt [1]. Unde.

Art. II. De Vicario Generali.

691. — **Praenotandum.** — Exploratum videtur, quod Vicarii Generales aetate Gregorii IX apud omnes saltem Ecclesias nondum obtinuerant, cum *in Gregoriana Decretalium compilatione Vicariorum Generalium vestigia nulla sint.* Contra vero *temporibus Bonifacii VIII Vicarii Generales invaluerant*, namque in 6° Decretalium sub titulo *De Offic. Vic.*, ipsorum munera distinctius proponuntur (Soglia).

692. — **Creatio Vicarii Generalis.** — I. Constitutio Vicarii Generalis ad solum Episcopum pertinet, nec vetatur Episcopus, plures sibi Vicarios constituere, et 1° quidem uni iurisdictionem voluntariam, et alteri iurisdictionem contentiosam demandando; 2° Utramque iurisdictionem singulis in solidum delegando; 3° Certas dioecesis regiones unicuique assignando (id.).

693. — II. *Eligi debet in Vicarium* Clericus non minor viginti quinque annis saltem inchoatis, moribus integris, et (ex iure ordinario) doctorali utriusque iuris, vel saltem canonici laurea insignitus, nisi aliunde ipsius peritia manifeste comperta sit.

694. — III. Bened. XIII in Synodo Romana constituit

[1] De *Archidiaconatu* et *Archipresbyteratu* in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis existentibus, cfr. Pallottini, *Collect. S. C. C.*, tom. II, pag. 336 et 411.

Vicarium Generalem Episcopi *ex aliena dioecesi esse* assumendum. Hodie tamen ex consuetudine saepe aliter fit, quamvis « mens S. Congreg. Concilii ea iugiter sit, ut extraneus eligatur, ac non nisi cum causa ab hac lege dispensat, si cui placeat illam interrogare », ait Scavini.

695. — IV. Absque Papae dispensatione non potest assumi *religiosus* in Vic. Gen. Episcopi.

696. — **Iura Vicarii Generalis.** — I. In constitutum Vicarium transit omnis iurisdictio, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet; namque Vicarius in iis quae iurisdictionis sunt, Ordinarius censetur, atque unum idemque Tribunal cum Episcopo constituit, ideoque a Vicario ad Episcopum non appellatur (Soglia, etc.).

697. — II. Cum Vicarius in sola ordinaria iurisdictione vices Episcopi gerat, idcirco nequit iis rebus sese immiscere, quae ad Episcopum pertinent tamquam Sedis Apostolicae delegatum, et nullo minus in iis quae Episcopo commissa sunt talibus verbis, aut clausulis, quibus significetur negotium soli Episcopo delegari (id.). — In tota dioecesi praeferendus est omnibus Commissariis et Potestatibus (*saecularibus*) locorum dictae Dioecesis (*S. R. C.*, 15 *Maii* 1610). — Facultas alicui Vicario concessa benedicendi sacra paramenta, aliaque in quibus sacra unctio non adhibetur, ita est intelligenda, ut non possit ab eo aliis impertiri, utpote ipsis tantum nominatim concessa (*S. R. C.*, 16 *Maii* 1620). — Non potest Vicarius Generalis benedictionem Concionatoribus impertiri (*S. R. C.*, 11 *Iulii* 1699). — Clericis tantum in minoribus constitutis, aut prima Tonsura initiatis, concedi potest a Vicario licentia tangendi Calices et Corporalia (*S. R. C.*, 2 *Maii* 1626).

698. — III. Vicarii Generalis iurisdictio potius ordinaria videtur quam delegata, quatenus eius officium per legem seu canonem probatum est, et quamquam alterum sibi Pro-Vicarium susbtituere nequeat, causas tamen aliquas alteri delegare potest, quod delegatis non licet. — Cfr. Soglia, etc. — Nequit indulgentias concedere neque confraternitates erigere (Sanguinetti, *Iur. Eccl. Inst.*, n. 356).

699. — IV. Vicarius Generalis delinquens ut persona privata, puniri potest ab Episcopo: delinquens *ut Vicarius,* puniri debet ab Archiepiscopo, quia aliter Episcopus esset iudex in causa quasi propria.

700. — V. Vicarius Generalis incidere potest in casibus Episcopo reservatis, et tunc potest absolvi etiam ab eo cui Vicarius hanc potestatem subdelegaverit — Cfr. Scavini, Laurenium, etc. — NOTA: *Vicarii Monialium* sunt meri delegati ab homine: unde standum est tenori litterarum quibus instituti sunt, ut videantur eorum facultates.

701. — **Varia.** — I. VICARII GENERALIS HABITUS: 1° est *subtana cum mantello nigro* et bireto; et si sit Protonotarius, ei licet uti subtana cum cauda et mantelletto. 2° In choro et in habitu vicariali praecedit omnibus Canonicis non paratis, excepto hebdomadario. 3° Nulla gaudet praeeminentia si assistat sine habitu vicariali, v. g. si sit Canonicus et habitum canonicalem gerat, idque non obstante contraria consuetudine. 4° Vicarius Generalis qui sit etiam Canonicus, si velit uti Vicarius interesse Divinis, potest et praecedit; sed distributiones amittit. Quod si assistat ut Canonicus, sedeat in suo stallo canonicali cum indumentis canonicalibus. — Ita ap. Scavini [1].

[1] *Ad rem faciunt sequentia:* I. Vicarius non est exspectandus

702. — II. Vicarius Generalis saepe in Iure vocatur 1° Missus; 2° Suffectus; 3° Substitutus; 4° Ordinarius; 5° Officialis; 6° Vicarius Generalis.

703. — III. Vicarius Episcopi vi suae iurisdictionis non potest ex sese dioecesim visitare, nec dioecesanam Synodum ullo modo congregare, excepto tamen Vicario Summi Pontificis, cui facultas data est dioecesanam Romanam Synodum cum clero romano congregandi et in eadem Synodo praesidentiam, et omnes synodales actus exercere (Bened. XIV). *Vicarius Episcopi potestatem non habet Capitulum Canonicorum convocare*,

post datum signum in choro (*S. R. C., 4 Aug. 1663*). — II. Canonicus, Pro-Vicarius Episcopi deputatus, si interveniat in choro uti Canonicus, obedire debet primae Dignitati vel seniori Canonico, ei iubenti ut aliquam ex lectionibus canat (*S. R. C., 2 Maii 1626*). — III. Facultas impertiendi licentiam Capitularibus recedendi a choro, dum ibi divina persolvuntur, spectat ad Vicarium Generalem (*non Canonicum*) absente Episcopo (*S. R. C., 10 Maii 1653*). — IV. In Processione SS. Corporis Christi non spectat ad Vicarium deferre SS. Sacramentum, et ipse in hoc nullatenus se intromittat (*S. R. C., 16 Ian. 1597*). — V. Vicario, *uti Vicario,* non competit ius supplendi vicibus Episcopi in celebratione Missarum solemnium aliorumque divinorum operatione, etiam vigore consuetudinis et Decreti Synodalis; nam huiusmodi consuetudo est abusus, et Synodale Decretum minime sustinetur (*S. R. C., 29 Martii 1659*). Hoc vero S. R. C. Decretum non modo respicit Vicarium Ordinarii, sed comprehendit et afficit etiam Vicarium Capitularem (*S. R. C., 7 Aug. 1627*): Vicarius autem, qui praetendat facere functiones pontificales in absentia Episcopi, quae iuxta Caeremoniale pertinent ad primam Dignitatem, probare debet immemorabilem; qua non probata, servetur Caeremoniale et Decretum (*S. R. C., 12 Sept. 1626*). — VI. Canonici non tenentur assistere Vicario Generali, quando (*uti*

nec in eo interesse, nec ferre suffragium [1]: *dimissionales litteras ad Ordines recipiendos concedere nequit*, nisi Episcopus in longinquis regionibus moram fecerit diuturnam (De Luise).

704. — IV. *Vicarius Generalis nequit simul esse parochus*, ut constat ex variis resol. S. C. Episc. et Reg.

Art. III. De Vicariis Foraneis.

705. — **Praenotandum.** — Praeter Vicarium Generalem alii sunt peculiares Vicarii, quos Foraneos dicimus, qui in certa parte Dioecesis constituti per unum aut plura oppida aliquas levioris momenti causas expediunt. De quibus haec habet Conc. Roman. anni 1735, tit. 7, cap. 2: Vicarios Foraneos « in oppi-

Vicarius) Missam solemniter celebrare velit (*S. R. C., 9 Martii 1597*). — VII. Vicario, etiam Archiepiscopi, titulus *Rev.mi* nullo modo competit; neque per Episcopos ei tribui potest: ipse vero tenetur debita ac consueta urbanitatis officia, nunquam satis pontificalis Ordinis Dignitati per eum praestanda, Episcopis Suffraganeis omnino exhibere (*S. R. C., 2 Iul. 1661*). — VIII. *Concludendum:* Vicario Generali *in habitu vicariali* convenit locus supra omnes Canonicos, tam in congregationibus capitularibus et sessionibus, quam in processionibus, dummodo Canonici sacris vestibus parati non incedant (*S. R. C., 3 Aug. 1602*), et dummodo Vicarius non sit ex numero Dignitatum vel Canonicorum eiusdem ecclesiae, et velit tamquam Dignitas vel Canonicus in choro assistere, distributiones quotidianas lucrandi causa; quia tunc sedere debet in stallo, seu loco suae dignitatis vel canonicatus (*S. R. C., 12 April. 1603*).

[1] Vicarius Generalis in Capitulo, uti Vicarius non habet vocem; uti vero Canonicus, nonnisi in loco suae receptionis (*S. R. C., 17 Iulii 1640*).

dis insignibus, vel ubi Episcopi necesse iudicaverint, ad sui beneplacitum ipsi constituant » ; qui sint « doctrina, pietate et prudentia praediti, qui pro Deo et propter Deum Evangelium non erubescant, sed de Clericorum et Laicorum vita ac moribus, et quomodo parochi aliique animarum rectores in pastorali officio se gerant, diligenter inquirant, et in laternis scrutentur; ad Episcopos fideliter delaturi, num Clerus et populus, ut decet, vivant, num proprius in ecclesiis cultus adhibeatur, num supellex, sacra praecipue, debito nitore conservetur, et visitationum decreta suae sint executioni mandata ». Quia vero Vicarii Foranei Tribunal habent ab Episcopo discretum et separatum, idcirco *ab eorum sententiis ad ipsum Episcopum appellatur* (Soglia). — In Gallia *Vicarii Foranei vocantur etiam Decani.* In Hispania *Archipresbyteri.*

706. — **Iura Vicarii Foranei.** — I. Pro arbitrio Episcopi constituuntur, tantaque ipsorum potestas est, quantam Episcopus demandaverit.

707. — II. *Praecipua Vicarii Foranei munera sunt:* 1° Episcopo renuntiare mores Clericorum, atque in eorum crimina inquirere; 2° observantiam Constitutionum Synodalium, et Decretorum Episcopi sedulo promovere; 3° Episcopum admonere, si qua forte in suis oppidis adversus fidem et bonos mores, aut Dei cultum, templorum venerationem, festorum dierum observantiam, et christianam disciplinam, perpetrentur; 4° denique causas civiles parvi momenti definire; 5° suo tempore Congregationes indicere pro resolutione casuum conscientiae.

708. — Nota. 1° Cum Vicarius Foraneus ad octiduum a vicariatu abesse debuerit vel voluerit, discessum Provicario, vel antiquiori vicariatus Parocho significare debet (Scavini, et alii communiter); 2° cu-

rent quotannis Episcopum certiorem facere de statu Vicariatus, omni posthabito humano respectu; 3° occurrente morte alicuius Parochi, Vicarius Foraneus in eam Pàrochiam se confert, et eius curam alicui confessario committit, donec Episcopus rei certior efficiatur. Vid. consuetud. locorum. — Cfr. Scavini, etc.

709. — **Varia.** — Vicarius generalis potest esse litterarum Apostolicarum executor, quia est in dignitate constitutus, non item Vicarius Foraneus, *qui nullam habet dignitatem* (Cfr. Clem. II, *de rescript.*, in 6). — C. Ferrari, n. 174 [1].

710. — II. Ex S. Congr. Conc. 11 Dec. 1598 constat Vicarium Foraneum: 1° Posse quidem sumere informationes super matrimoniis a forensibus contrahendis extraiudicialiter, et non in figura iudicii... 2° Non posse (sibi) inobedientes coercere, nec eis poenam iniungere, cum corrigere et imponere poenas absque iurisdictione esse non possit, quam archipresbyter *(sive Vic. For.)*

[1] I. Vicarius Foraneus, ratione sui officii, non debet ante alios habere thuris et pacis honorem (*S. R. C., 11 Nov. 1673*). — II. Vicario Foraneo, ratione sui Vicariatus officii, nulla super Archipresbyteros ipso antiquiores et digniores praeeminentia in choro aut in publicis Processionibus competit (*S. R. C., 25 Feb. 1606*), nec ullum ius ecclesiasticas functiones obeundi ratione Vicariatus (*S. R. C., 7 Dec. 1658*): sed ipsi tamquam simplici Sacerdoti locus inter alios, iuxta receptionis suae tempus, est assignandus (*S. R. C., 14 Dec. 1593*), ac si non esset Vicarius (*S. R. C., 10 Iulii 1677*); non obstante quacumque Episcopi in contrarium provisione (*S. R. C. 25, Ian. 1603*), vel quibuscumque Decretis Synodalibus (*S R. C., 3 Sept. 1672*), neque obstante consuetudine contraria (*S. R. C., 10 Febr. 1629*), etiam immemorabili (*S. R. C., 16 Iunii 1663*). — III. Huiusmodi praescriptiones habent locum tam in actibus Sacerdotalibus quam in iurisdi-

non habet... 3° Posse amicabiliter, et prout decet bono religioso, iurgia inter sacerdotes et clericos orta in sua ecclesia componere; sed non per viam iuris... (Ap. C. Ferrari, n. 174, 4).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Mater nostra est « Virgo pretiosissima, cui timor et reverentia debetur, ne coram oculis eius aliquid indecens cogitare, considerare, consentire, aut facere aliquis audeat, ne illos misericordes oculos, qui non possunt respicere iniquitatem, avertat a nobis » (Idiota).

Mariam invoca. *O Virgo praebenedicta, cumbenedicta et postbenedicta!* (id.). Tu es illa *Virgo plusquam gloriosa, cuius servus debet esse aromaticus per fragrantiam bonae opinionis, et per exemplum castitatis, et pietatis, et humilitatis...* (id.).

Mariam laetifica. Modestia tua nota sit omnibus hominibus... Averte oculos tuos, ne quando videas vanitatem. — *Filii Mariae imitatores eius...*

ctionalibus, et in quibus iidem assistunt uti Vicarii (*S. R. C., 20 Iunii 1665*). Item intelligenda sunt indistinctae, tam quando Vicarius est cum cotta quam quando est sine cotta, tam in choro quam in Processionibus; quibus in locis Vicarius Foraneus debet, tamquam unus ex Presbyteris seu Canonicis eiusdem ecclesiae, in loco sibi convenienti iuxta provisionem seu Ordinem suum, sedere, stare et incedere cum cotta, prout alii Canonici seu Presbyteri sedent, stant, et incedunt: alias non lucrabitur distributiones quotidianas (*S. R. C., 24 Sept. 1605*). Vid. etiam noviss. edit. Decret. auth. S. R. C.

CAP. III. — DE CANONICIS

711. — **Praenotandum.** — I. Omnibus olim Clericis commune fuit Canonicorum nomen, qui scilicet adscripti erant *canoni* seu *matriculae* Ecclesiae, cuius sumptu alebantur.

712. — II. *Canonici sic appellantur a* CANONE, *seu a* REGULA, *quam debent in Ecclesiae famulatu observare.*

713. — III. *Ex moderno loquendi usu in* REGULARES, et SAECULARES *dividuntur*, quia illi sub cura Abbatis in communi vivunt in claustris; hi vero in saeculo separatim sub Episcopi cura, postquam ab illis desciverunt, a quibus eorum originem repetunt (C. Ferrari).

714. — IV. Ex antiqua historia constat, Canonicos vitam duxisse communem, quam in oriente iamdiu admissam, in occidente detulit S. Eusebius Vercellensis Episcopus, quamque postea S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Martinus Turonensis, aliique Episcopi probarunt (C. Ferrari).

ART. I. De dotibus et officiis Canonicorum.

715. — **Dotes Canonicorum.** — I. *Ordo canonicatui adnexus.* Unde initiandus saltem infra annum.

716. — II. *Aetas* 14 annorum in Collegiatis, et 21 annorum in Cathedralibus. Dignitates curam animarum habentes postulant aetatem 25 annorum. Canonicus aut Beneficiatus Ecclesiae Cathedralis subdiaconus saltem sit oportet, iuxta Trid., sess. 24, cap. 12,

de Reform. Ubi viget consuetudo, ut omnes Canonici sint sacerdotes, mutari non potest.

717. — III. *Eximia vitae integritas.* sess. 24, cap. 12: « Ut ea integritate morum polleant, ut merito Ecclesiae senatus dici possint ». Ergo gravissime errant qui huius muneris commoda tantum considerantes, canonicatum temerario et humanis mediis obtinere praesumunt.

718. — IV. Unde Trid., sess. 24, cap. 12, de Reform., ait: « Cum dignitates in Ecclesiis, praesertim Cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opere, et officio iuvarent; merito qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint ».

719. — V. Canonici scientia et doctrina ad proprium munus rite exequendum praediti esse debent: et Episcopus, si velit, eos ad examen vocare potest, antequam ad beneficii possessionem admittat. Tridentina Synodus ibidem peroptat, « ut in provinciis ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia vel Iure Canonico ».

720. — **Officia Canonicorum.** — I. *Praecipua Canonicorum officia* sunt: 1° Altari ac divino cultui inservire; 2° In Ecclesia alternis choris divinum Officium canere, quod, ut inquit Synodus Tridentina, facere per se ipsos debent, non *per substitutos;* 3° Cui muneri ut satisfaciant, debent Canonici in suis Ecclesiis immorari, seu *residere.* — Unde 1° Singulis annis ipsis datur spatium trium mensium, quo abesse possunt ab

Ecclesiis suis; 2° *Ultra tres menses abesse* nequeunt [1], nisi aliqua iusta causa eos procul esse cogat, veluti si adsint curaturi res Ecclesiae aut Episcopi, aut daturi operam in aliquo probato gymnasio sacrae Theologiae, sacrisve Canonibus; 3° *Ex iustis causis absentes praebendae fructus percipiunt*, non item *quotidianas distributiones,* quae tantum in choro praesentibus accrescunt. — Solus Papa concedere potest licentiam ut eligatur *Canonicus coadiutor* cum futura successione (Reiffenstuel).

721. — II. Canonici alii sunt *simplices*, alii habent *officium* sive peculiare ministerium, alii *personatum* sive solam praeeminentiam, alii *dignitatem* sive praeeminentiam cum iurisdictione (Vide *consuetudines legitimas locorum*). In Italia primam dignitatem plerumque obtinent Archidiaconi, in Hispania et Lusitania Decani, in Germania Praepositi. *Caeterum hodie vera officia sunt illa duo quae Conc. Later. IV instituit, scilicet* Theologi *et* Poenitentiarii, nam aliae dignitates sunt potius nomine honoris et *dignitates ventosae,* ut ait Soglia.

722. — III. Munus Poenitentiarii est fidelium confessiones audire; est enim quasi parochus seu confessarius totius Dioecesis. Canonico Poenitentiario, dum

[1] Non tamen tempore Adventus et Quadragesimae, quo omnes choro interesse debent, et " salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos: quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos, iuxta sacrorum canonum constitutiones, procedatur " (S. C. C., 17 Aug. 1611).

confessiones actu audit, debentur distributiones quotidianae, non secus ac si divinis intersit in choro (*S. C. C., 10 Mart. 1635)*; imo ei debentur etiam eleemosynae, quae dantur pro Anniversariis defunctorum, dummodo non sint assignatae pro celebratione Missarum (*S. C. C., 15 Mart. 1631)*: quando autem non est impeditus in munere confessionis, interesse debet divinis Officiis (*S. C. C., 25 Ian. 1642)* [1].

[1] I. A Canonico Theologo lectio sacrae Scripturae facienda est publice in Ecclesia, non vero in Sacrario (*S. C. C., 15 Mart. 1710*). Ipsi autem non licet explicare populo sacram Scripturam diebus festis inter Missarum solemnia, et praecise post Evangelium (*S. R. C., 30 April. 1796*): porro tempus, hora et materia sacrae Scripturae, supra qua legendum est, remittitur arbitrio Ordinarii (*S. C. C., 10 Mart. 1663*). — II. Canonicus Theologus, ob defectum auditorum vel tenuitatem redditnum, ab officio praebendae theologalis adimplendo exemptus reputari non valet (*S. C. C., 18 April. 1863*). An autem quibusve causis a legendo excusetur, standum legitimae consuetudini atque arbitrio Episcopi, dummodo lectiones non sint infra numerum quadragenarium in singulis annis (*S. C. C., 10 Iunii 1876*): Canonicus enim Theologus quadraginta saltem quotannis lectiones publice in Ecclesia habere tenetur per seipsum vel per alios idoneos (Bened. XIII, C. *Pastoralis officii*); qui numerus arbitrio Episcopi minui non potest (*S. C. C., 15 Iunii 1645*), consuetudine etiam sexagenaria non obstante (*S. C. C., 11 April. 1807*). Deficiente autem Canonico Theologo aliisque de Clero Saeculari, Religiosus provisorie deputari potest ad explanandam sacram Scripturam, ad formam Constit. Benedicti XIII, *Pastoralis officii* (*S. C. C., 10 Iunii 1876*). — III. Qui praebendam theologalem habet, excusandus est a Choro tantum ea die qua legit, non etiam uno aut aliquibus diebus ante: diebus autem quibus non legit, non excusatur, nisi quatenus excusarentur alii Canonici, utpote tempore vacationis per-

723. — IV. MUNUS THEOLOGI est diebus ab Episcopo praefinitis Sacram Scripturam explanare, aut etiam in rebus Theologicis quae ad salutem animarum spectant Clerum et populum erudire. Canonicus Theologus non debet confundi cum quovis Canonico, qui munus docendi suscipiat, quod canonicatui adnexum non sit. Canonicus Theologus aeque suo muneri satisfacit, vel si sacrae Scripturae libros explicet, vel si in Theologia scholastica Clerum erudiat *(S. C. C., 15 Mart. 1820)*; atque est in facultate Episcopi utrumque onus Theologo iniungere *(S. C. C., 15 Mart. 1828)*. Pro munere autem quod in Seminario exercet docendi Theologiam, Theologus ius non habet percipiendi emolumentum, sed distributiones quotidianas tantum lucrari debet *(S. C. C., 17 Iunii 1882)* pro tota die qua docet *(S. C. C., 26 Sept. 1857)*: verum quoad hoc ab ipsa S. C. C. novissime resolutum fuit, Theologum distributiones lucrari posse pro iis tantum diei horis, quibus legit in Seminario, onerata

misso *(S. C. C., 25 Octob. 1586)*. Dictis autem diebus, praeter quotidianas distributiones, ei debentur emolumenta etiam incerta *(S. C. C., 7 Decemb. 1861)*, atque etiam distributiones, pro Anniversariis, quae incidant in diebus lectionum, in quibus lector habetur pro praesente *(S. C. C., 25 Octob. 1586)*, iis tantum exceptis, quae ex voluntate testatorum aut dantium debentur tantum actu praesentibus ((*S. C. C., 7 Decemb. 1861*). — IV. Neque paucarum lectionum scripturalium infra annum, neque parvus Canonicorum numerus sunt rationes sufficientes, ut Theologus interesse debeat Choro illa die qua legit. Censendus est item dispensatus, etiamsi illa die scripturalis lectionis studio operam non dederit, sed solummodo legat hora statuta, et quamquam sui antecessores usi non fuerint hoc privilegio, nisi pro hora tantum, qua egerent *(S. C. C., 30 Iulii 1859)*.

conscientia (*S. C. C., 16 Dec. 1882*). Exemptus item a Choro declaratur, ad effectum lucrandi distributiones et emolumenta incerta diebus, quibus, licet non doceat, attamen ratione officii sui Clericorum examini assistit (*S. C. C., 7 Decemb. 1861*).

724. — V. Ex Bened. XIII officium Theologi et Poenitentiarii conferendum est per concursum. — NOTA: 1° Episcopus cum consensu Capituli, et Capitulum cum consensu Episcopi instituere possunt CANONICOS HONORARIOS, qui habent *tantum* ius assistendi in choro, post Canonicos titulares, et honoris insignia. 2° Innumera dici possent de Canonicis (et Capitulis): sed quoniam magna hac in re adest variatio, iuxta *legitimas* locorum consuetudines, sufficiunt pauca hic et seq. art. dicta et dicenda, et pro caeteris videantur et resolutiones SS. CC. et *statuta capitularia locorum.*

ART. II. De Capitulo Cathedrali.

725. — **Capitulum in se.** — I. *Omnia Capitula, quatenus peculiare corpus et ab Episcopo separatum constituunt, absque Episcopo conventus agunt*, de rebus ad Capitulum pertinentibus deliberant, nova statuta condunt, non tamen fundationis legi aut praescriptae consuetudini, nec iuri communi, nec iuribus tertii contraria, atque a legitimo Superiore probanda et confirmanda, proprio sigillo utuntur, et Syndicum habent qui negotia Capituli gerit.

726. — II. *Cathedralis Ecclesiae Capitulum*, quatenus unum corpus efficit cum Episcopo, et *Senatum Ecclesiae constituit*, amplissima potestate potitur tum Sede Episcopali plena, tum ipsa Sede vacante. — Cfr. Soglia, Devoti.

727. — **Sede plena.** — I. Pleraque negotia sunt, in quibus tenetur Episcopus aut consensum aut saltem consilium Capituli exquirere, quandoquidem Canonici Ecclesiae Cathedralis sunt Consiliarii nati Episcoporum, ex cap. NOVIT, *de his quae fiunt a Prael.*

728. — II. *Ex antiqua suae Ecclesiae consuetudine* EXIMI EPISCOPUS POTEST *ab obligatione aut consensus aut consilii requirendi* in iis quoque rebus, in quibus spectato iure communi ad consilium vel consensum exquirendum obstringeretur (quod plane colligitur ex cap. EO NOSCITUR, *de his quae fiunt a Prael.*: et ex cap. NON EST, *de Consuetudine, in* 6). — Notat Bened. XIV, *De Syn.*, *l.* 13, *c.* 1, *n.* 4: « Profecto « ambigi non potest, quin etiam hodie iure Decreta- « lium Canonici Ecclesia Cathedralis sint consiliarii « nati Episcoporum; adeo ut non liceat Episcopo ali- « quid gravis momenti negotium aggredi, et delibe- « rare, inconsulto Capitulo ». CONCLUDENDUM. *Saltem suadetur hodie, ne quid Praesul in negotiis gravioribus sine Capituli consilio, aut consensu agat:* Capitulum tamen conqueri non potest, si Episcopus ex iure consuetudinario, actualiter fere omnia negotia expediat absque assensu Capituli.

729. — **Sede vacante.** — I. *De iure Episcopalis iurisdictio atque Ecclesiae administratio devolvitur ad Capitulum*, non quidem ex aliquo privilegio, vel delegatione, sed ex ratione iuris non decrescendi, quia Ecclesia Cathedralis efformatur coniunctim ab Episcopo et Capitulo (Card. De Luca, *ad Concil. Tridentin.*, *disc.* 31, *num.* 1).

730. — II. Si Episcopus fiat infidelium, haereticorum, vel impii gubernii captivus, sedes non vacat, et ipse *per litteras atque per suum Vicarium Generalem Dioecesim regere potest* (Bened. XIV). Constat ex praxi,

modernis temporibus frequentissima in nationibus catholicis, ubi ex *liberalium* hominum malitia non raro sanctissimi Antistites in exilio vivere coguntur...

731. — Si vero Episcopus *plene et complete impeditur ab exercitio iurisdictionis, etiam per litteras*, nec adest Coadiutor perpetuus, Capitulum agit veluti si Sedes vacaret, suspenditurque iurisdictio Vicarii Generalis. Cum tamen tunc omnia sint maximi momenti, consulenda omnino est quamprimum Apostolica Sedes. Caeterum *haec totalis et plena impossibilitas Episcopi* (carcerati, etc.) non tam frequens evenit, et multa remanent media *communicationis*, sive per interpositas personas, sive per epistolam, per telegraphum, etc., antequam Capitulum licite agere possit. Cfr. De Angelis, l. 1, tit. 10 et 28, n. 24 [1].

Art. III. De Vicario Capitulari.

732. — **Praenotandum.** — Tridentini Patres mandarunt: « Ut Capitulum, Sede vacante, Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alius quantum fieri poterit idoneus : si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque ut profertur negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Oeconomum

[1] Invalida est electio Vicarii Capitularis quando, vivente Episcopo, S. Sedes deputaverit Administratorem Apostolicum vel Vicarium Generalem, nam istorum iurisdictio non cessat per mortem Episcopi, ut constat ex variis decis. S. C. EE. et RR.

et Vicarium idoneos possit constituere ». Rem illustrat Conc. Plen. Americae Latinae, art. 209, ubi legitur: « Vacante autem Ecclesia suffraganea, quae Capitulo careat, illius administratio spectat ad Metropolitanum, et si Metropolitana Ecclesia pastore careat, ad Capitulum eiusdem Ecclesiae Metropolitanae, non vero ad antiquiorem Suffraganeum, cum onere tamen instituendi Vicarium Capitularem, ut supra. Salvae nihilominus manere debent speciales praescriptiones apostolicae pro aliqua determinata regione, vel pro regionibus S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, seu quae ad instar locorum Missionum reguntur ».

733. — **Dotes Vicarii Capitularis.** — I. *Aetas 25 annorum inchoatorum.* Eligi non potest, qui curam animarum actu habet, ut constat ex pluribus decis. S. C. C.

734. — II. Requiritur ut *non sit ille, qui futurus est eiusdem Ecclesiae Episcopus* [1]. Ratio est, quia ex Trid. Vicarius Capitularis reddere debet rationem novo Episcopo...

735. — III. *Vicarius debet esse Doctor, vel Licentiatus in Iure Canonico (in catholica Universitate;* secus in saeculari; et melius in Theologia et Iure, nec sufficit sola Theologia; et quidem non ex gratia tantum seu ad honorem) *vel alias idoneus.*

736. — NOTA. — Quando dicitur *vel alias idoneus*, intelligendum est, ut eligatur Doctor, etiamsi talis solummodo esset in Capitulo, et si nullus Doctor idoneus esset in Capitulo vel extra, qui vellet Vicarii onus

[1] Si tamen qui actu Vicarius Capitularis existit, deinceps fuerit electus eiusdem Ecclesiae Antistes, non ideo cessat illius iurisdictio.

sustinere, ut eligatur non doctor, sed semper idoneus: Unde, « quod Doctor in Iure Canonico, si sit in Ca- « pitulo, vel etiam extra ad hoc munus paratus, sit « eligendus, demonstrat Richter ex adductis totidem « S. Congregationis decisionibus; alias non Doctoris « electio sustineri nequiret. Ad Trid., sess. 24, c. 16, « *de Ref.*, n. 4 ». (Ferrari, *Summa Inst. Canonicarum*, n. 197, 4). Idem sentiunt Pignatelli, De Luca, Monacelli, etc. Alii aliter. — CONCLUDENDUM CUM SCAVINI (*Th. Mor.*, n. 590). « Verum cum S. Congr. attentis « specialibus factorum circumstantiis, aliquando irri- « tam, aliquando validam declaret electionem Vicarii « non Doctoris, Doctore posthabito, regula generalis « et firma pro omnibus casibus adsignari nequit. Hinc « cum Matriti Nuntius petiisset: *Electio Vicarii Ca- « pitularis estne intrinsece nulla, si non sit Doctor « aut licentiatus in Iure Canonico, posito quod in Ca- « pitulo unus saltem sit graduatus? Et quid si Vicarius Capitularis mereatur destitui, etsi nullus re- « clamet?* S. Concilii Cong. respondit 25 Ian. 1862: « *Providebitur in casibus particularibus et ad men- « tem.* » UNDE in electione Vicarii Capitularis *caute* agendum est, ut valide agatur.

737. — **Potestas Vicarii Capitularis.** — NON POTEST: — I. Ea quae sunt ordinis episcopalis [1].

738. — II. *Neque* ea quae fuerunt Episcopo personaliter delegata. *Neque* ea quae Episcopus potest ut delegatus S. Sedis.

[1] Ad dubium: *An Vicarius Capitularis Sede Episcopali vacante, facultatem habeat concedendi indulgentias, quas caeteroquin concedere posset Episcopus vivens?* S. C. C., d. 13 Nov. 1688, respondit: *Vicarius Capitularis se abstineat.*

739. — III. Hac in re Vicarius Capitularis prae oculis habeat declarationes et decreta S. Officii circa extensiones et communicationes facultatum Apostolicarum Episcopis seu Ordinariis concessarum, sive commissarum, quae legi possunt in nostro *Compendio Theologiae Moralis* n. 499 cum nota ibi posita.

740. — IV. *Neque* beneficia conferre, quae ad solius Episcopi collationem spectant, licet queat praesentatos a patronis in beneficiis iurispatronatus instituere.

741. — V. *Neque* alienare bona ecclesiastica, exceptis levioribus et quae servando servari non possunt.

742. — VI. *Neque* mutare iura Ecclesiae, et Episcopi, etc. *Neque* clericos excardinare [1].

743. — POTEST: — I. Probare et suspendere confessarios.

744. — II. *Potest* indicere concursum ad parochias vacantes, et magis idoneum R. Pontifici proponere et commendare, ut ab eodem provisio parochiae fiat.

745. — III. *Potest* in criminosos inquirere, et causas cognoscere etiam matrimoniales.

746. — IV. *Potest* visitare dioecesim et synodum convocare post annum ab ultima visit. vel synodo.

747. — V. *Potest* condere edicta, quae totam obligent dioecesim, quaeque vim habeant in tempus quoque successoris Episcopi, nisi revocentur.

748. — VI. *Potest* excommunicare, suspendere, interdicere.

749. — VII. *Potest* processus conficere super fama virtutum et miraculorum servorum Dei.

[1] Vic. Capitul., durante primo anno vacationis Sedis, non potest litteras dimissoriales ad Ordines clericis concedere. Secus de prima tonsura.

750. — VIII. *Potest* executioni demandare ultimas piorum benefactorum voluntates.

751. — IX. *Potest* statuere oeconomos in paroeciis vacantibus, etc., etc. — HINC.

752. — TENENDUM: — I. *Vicarius Capitularis, sede vacante, succedit Episcopo in omnibus, quae pertinent ad potestatem iurisdictionis ordinariae tum in foro interno, tum in foro externo, tam in spiritualibus quam in temporalibus, iis exceptis quae in iure reperiuntur reservata.* Ita communiter canonistae [1].

753. — II. *Semel legitime facta electione Vicarii Capitularis, omnis iurisdictio Capituli in electum Vicarium transit,* ita ut nequeat limitari vel dari ad tempus, aut revocari, nisi ex iusta causa et habita a S. Cong. facultate (Bened. XIV). Unde iurisdictionem *exclusive,* non vero *cumulative* cum Capitulo exercet.

754. — III. *Iurisdictio Vicarii Capitularis expirat* quando novus Episcopus Litteras Apostolicas suae missionis Capitulo praesentat, *et non antea.*

755. — **Varia.** — I. *Vicarius Capitularis non*

[1] I. Non potest in expeditionibus aliisque actibus vicarialibus uti proprio sigillo; sed uti debet sigillo Capituli (*S. R. C., 23 Mart., 1709*). — II. Non tenetur ad applicationem Missae pro populo (*S. R. C., 12 Novemb. 1831*). — III. Praecedentia, Sede vacante, debetur Vicario Capitulari post digniorem de Capitulo (*S. R. C., 9 Decemb. 1634*); Vicarius enim Capitularis, in Choro, sessionibus, caeterisque ecclesiasticis functionibus, digniorem locum dimittere debet primae Dignitati Capitulum repraesentanti. (*S. R. C., 23 Ian. 1683*). — IV. Nulla debetur praecedentia Canonico Cathedralis, tamquam Vicario Capitulari, quando vult gerere personam Canonici; et si velit praecedere tamquam Vicarius, non gaudet distributionibus quotidianis (*S. R. C., 23 Iul. 1667*). — Vid. noviss. Decr. authent. S. R. C.

potest in locum sui quempiam SUBSTITUERE, nisi in tribus casibus, idest infirmitatis, ad modicum tempus et in delegatis (in particul. et transeunter). — Barbosa.

756. — II. Ex iure constat *unum tantum Vicarium Capitularem esse eligendum.* Attamen si adsit consuetudo, non prohibetur duos aut plures eligere (Ita ex S. C. C, 13 Martii 1863, *in Cadurcensi).*

757. — III. QUOAD EMOLUMENTA *Vicarii Capitularis*, vide consuetudines locorum [1]. TENETO tamen: 1° *emolumenta illa, quae ratione sui officii Vicario Episcopi debentur, sede vacante, cedere debent beneficio Vicarii Capitularis.* Ita communiter cum Lucidi. — 2° S. C. C. *in Agrigentina,* 17 Nov. 1594, censuit: « Emolumenta tempore vacationis Sedis Episcopalis « obvenientia ex iurisdictione et sigillo, aut alias un- « dequaque, neque ad Capitulum, neque ad Vicarium « spectare, sed libere futuro successori reservari, *si « ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuissent;* « ex his tamen deducendum esse rationabile salarium « Vicario constituendum, et persolvendum » (Ap. Lucidi, *De Visit. S. Liminum,* t. 1, p. 235). « Sed omnia secundum consuetudines diversarum dioecesum

[1] EMOLUMENTA RATIONE CANONICATUS: Vicarius Capitularis absens a choro ratione officii haud amittit fructus praebendae. Quoad distributiones quotidianas disputatur. " At omnes demum conveniunt in hoc, hanc esse rem consuetudine terminandam, scilicet Vicarium Capitularem lucrari, vel non, distributiones, prout habetur legitima consuetudo eas lucrandi, aut potius contraria. Fatendum tamen est de facto consuetudinem de lucrandis a Vicario choro absente distributionibus esse pene universalem, et contrariam vix in aliquibus locis peculiaribus servari " (De Angelis, l. 1, tit. 28, n. 22).

determinantur, exceptis illis regionibus, in quibus Vicarii quoque Capitulares congruum ab aerario civili stipendium recipiunt » (De Angelis, l. 1. tit. 28, n. 22).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Regina nostra est « Lilium immaculatum, quod rosam immarcescibilem genuit Christum (S. Epiph.). « Lilium incorruptum suavissimum odorem emittens » (S. Chrysost.).

MARIAM INVOCA. AVE Virgo benedicta, et superbenedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis natura, non solum creata a Creatore, sed et Creator a creatura (S. Anselm.).

MARIAM LAETIFICA. Puritate mentis, custodia oris, castitate corporis et simplicitate cordis. — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. IV. — DE PAROCHIS.

758. — **Praenotandum.** — PAROCHUS EST *Sacerdos, vel clericus intra annum Sacerdotio initiandus, legitime ab Episcopo, vel a Papa, si Parochia sit reservata, deputatus ad regendam determinatam dioecesis portionem, cum ordinaria potestate sacramenta aliaque spiritualia bona in ipsa ministrandi.* — Dicitur: *Proprius* relate ad omnes sibi commissos fideles, dicitur *Plebanus* a plebe, cui adsistit; *Rector* ab officio regendi in Christi nomine et mysteriis populum; et *Curatus* a cura animarum, quam exercet. Caetera

vero nomina *Praepositi* et *Archipresbyteri* indicant honoris titulum a dignitatibus Ecclesiae cathedralis mutuatum (C. Ferrari).

759. — **Origo Parochorum.** — I. *Primis Ecclesiae saeculis nulli exstiterunt Parochi*, qui certa huiusmodi et stabili sede proprium populum ac territorium haberent, sed unus erat totius Dioecesis Pastor et idem Episcopus, qui in animarum salute procuranda, ubi opus esset, Presbyterorum opera utebatur.

760. — II *Non desunt, qui tertio saeculo antiquiorem, imo vero divinam originem et institutionem Parochis tribuunt*, tamquam Successoribus septuaginta duorum Discipulorum, quos Christus ipse designavit. *Verum haec de divina Parochorum institutione sententia a celeberrimis Theologis et Canonistis iamdiu profligata est* (Soglia).

761. — III. Imo, in primitiva disciplina Episcopus ut solus parochus diebus liturgicis celebrababat: « Omnes, *ait S. Ignatius*, in unum templum Dei concurrite; unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyteris et diaconis... Non licet sine Episcopo baptizare, nec agapen celebrare ».

762. — **Constitutio Parochorum.** — I. *Nemo Parochiali Ecclesiae praeficiendus est, qui vigesimum quartum aetatis annum non egerit* (Cap. *Cum in cunctis*, de Elect.).

763. — II. Parochiales vero Ecclesias dignioribus conferendas esse statutum est in cap. *Quoniam*, de *Iurepatron.*; et in cap. *Constitutis*, *de Appellat* [1]. Quae

[1] De qua re Pius IX, Enc. *Qui pluribus*, 9 Nov. 1846, haec habet: " Neque vero ignoratis, ait Pius IX, maiori diligentia vobis in illorum praecipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur,

quidem res ut fideliter servaretur, *in Concil. Trid., cap.* 18, *sess.* 24, *de Reform., lata lex fuit de* CONCURSU *habendo in collatione Parochialium Ecclesiarum, quae ad liberam Ordinarii collationem pertinent,* ut ex praevio competitorum examine is Parochiali Ecclesiae praeficiatur, qui moribus, doctrina et prudentia caeteris antecellit. *Examen autem competitorum ex eadem Tridentina Synodo coram Episcopo vel suo Vicario, et tribus saltem Examinatoribus Synodalibus habendum est,* eoque absoluto non Examinatorum, sed solius Episcopi est eum eligere, quem magis idoneum iudicaverit.

764. — III. *Ecclesiae iurispatronatus laicorum a lege concursus* (non vero a lege examinis) *solutae sunt* (Soglia).

765. — **Iura Parochorum.** — I. *Ius fori poenitentialis,* propter quod ordinariam habet potestatem sacramentaliter absolvendi parochianos suos etiam extra parochiae territorium; et alienos tantum intra territorium: caeteri autem Confessarii habent potestatem delegatam.

766. — II. *Ius solemniter ministrandi baptismum,* si in parochia habeat fontem baptismalem.

767. — III. *Ius ministrandi communionem paschalem fidelibus suis,* qui praecepto non satisfaciunt, si alibi sumant etiam in ecclesia cathedrali. Vide consuetudines legitimas.

ut ipsi, tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores, plebem sibi concreditam, Sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo, continenter pascere, iuvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant „.

768. — IV. *Ius denuntiandi suorum parochianorum matrimonia, eisdem assistendi, sponsis benedictionem nuptialem impertiendi, et benedicendi mulieribus post partum.*

769. — V. *Ius percipiendi oblationes*, quae in administratione baptismi, et matrimonii, in celebratione Missae, in defunctorum exequiis, et in aliis similibus casibus ex laudabili consuetudine fieri solent.

770. — VI. *Ius percipiendi decimas*, nisi necessariis vitae Parochi aliunde consultum sit, v. g., per concordata.

771. — VII. *Ius celebrandi functiones parochiales in toto suae parochiae territorio.* Excipe loca exempta.

772. — VIII. *Ius administrandi parochiae bona ad iuris tramites*, et sub Episcopi directione.

773. — IX. Sed aliquando quorumdam horum iurium exercitium ob alienum privilegium, vel ob consuetudinem legitime praescriptam Parocho impeditur. — UNDE, *in hac re semper videndae leges particulares ac legitimae consuetudines locorum*, et nihil faciendum contra privilegia sive localia, sive personalia...

774. — HINC I. Qui ad fidem convertuntur, baptizandi sunt in parochia (cum licentia Episcopi) non vero in Ecclesia Cathedrali.

775. — II. In rebus ad celebrationem matrimonii pertinentibus, Parochus non debet delegare, *nisi ex legitima gravissimaque causa* (Bened. XIV, C. *Nimiam licentiam).*

776. — III. Illi omnes sunt parochiani (secluso privilegio), qui in parochia habent verum, aut quasi-domicilium, quod extenditur ad pauperum et infirmorum hospitia, et iuvenum collegia.

777. — **Onera Parochorum.** — I. *Dominicis et festis diebus* etiam suppressis *Sacrificium pro populo*

offerre et applicare. Vid. Const. Bened. *Cum super*. Pius IX dixit: « Declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere, tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. — Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda; quandoquidem missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet » (Pius IX, C. *Amantissimi*, 3 Maii 1858).

778. – II. *Pueros rudesque personas christianae fidei rudimenta, ac vitae praecepta edocere*, atque diebus etiam Dominicis, festisque solemnioribus concionem ad populum habere, eique explanare quae ad aeternam salutem necessaria sunt, eo tamen orationis genere, quod sit ad audientium captum atque intelligentiam accommodatum. Sic enim praecepit Trid., sess. 5, cap. 2, *de Reformatione*: « Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem,

annuntiandoque eis, cum brevitate et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat ». Et ab obligationibus praedicandi et catechizandi haud eximit contraria consuetudo, quae damnanda prorsus est dicenda corruptela (Cfr. Const. Innoc. XIII, *Apostolici ministerii*, 13 Maii 1723) [1].

779. — III. *Dies festos, indulgentias, ieiunia quae intra hebdomadam occurrerint, et futura matrimonia denuntiare.*

780. — IV. *Praesto esse in Sacramentis Baptismi,*

[1] Non potest parochus solitam eleemosynam praetendere, neque titulo paupertatis, quando per se ipsum in sua Ecclesia, in qua praedicare solet, vellet conciones habere; quia proprium munus adimplet; nisi in casu, quo universitas vel nominator parochum deputasset, aut sponte solvere vellet (S. C. E., 30 Iun. 1615, ap. Scavini, I, 638).

Si communitas, vel dominus loci temporalis nominat praedicatorem (salva approbatione Episcopi) et solvit eleemosynam, consuetudo observanda est (S. C. E., 7 Febr. 1615 S. C. C., Iun. 1696).

Parochi, aliique quibus incumbit principaliter cura animarum, quamvis alii adsint sacerdotes ad eos adiuvandos vel certis diebus curam exercendam, tenentur praedicare et explicare catechismum per se ipsos omnibus diebus festivis, nisi sint legitime impediti (S. C. C., 8 Maii 1706; 28 Apr. 1736).

Tenentur parochi diebus dominicis et festis de praecepto populo sermonem habere, iuxta Conc. Trid. praescriptionem; attamen erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus (S. C. C., 1 Apr. 1876).

An parochi, in quorum Ecclesiis, tempore Adventus et Quadragesimae, habentur sacrae conciones per praecones, ab Ordinario approbatos, soluti sint obligatione in missae parochialis celebratione explicandi Evangelium? R. " Dilata, et pro nunc servetur consuetudo cuiuslibet paroeciae " (S. C. C., 29 Mart. 1817).

Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis populo administrandis, eique fraterna charitate et studio opitulari.

781. — V. *Baptizatos, matrimonio copulatos, et mortuos suis libris, distincte diligenterque adnotare.*

782. — VI. *Missarum oneribus, aliisque legatis piis satisfacere, aedificia et bona Ecclesiae temporalia sedulo curare.*

783. — VII. *Denique oves suas agnoscere*, eisque verbo et vitae exemplo praeire et in paroecia residere.

784. — **Nota.** — I. Episcopus non potest mulctare poena pecuniaria Parochum non praedicantem, quia hoc ex S. C. C. in una Novariensi est *arbitrium indecens.*

785. — II. Non licet Parocho in templum inducere vexilla profana ad finem celebrandi festa saecularia et quoad res pure politicas, a fortiori si commemoretur aliquod crimen, v. g., in Gallia, festum 14 Iulii, dictum *Prise de la Bastille* [1].

786. — **Residentia.** — *Ex Tridentino, lex residentiae episcopalis affirmanda est etiam de* « Curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent ».

787. — Hinc. I. Lex residentiae obligat, quamvis in Parochia tres tantum vel quatuor remanerent incolae.

788. — II. Imo Parochus *neque abesse potest ob intemperiem, vel aëris insalubritatem*, licet aliunde idoneum relinquat vicarium.

789. — III. *Si non de fide, est omnino tenendum omnes animarum curatores ad residentiam teneri non*

[1] Cfr. decr. S. C. Episc. et Reg., 15 Ian. 1848. — S. R. C., die 14 Iulii 1887 declaravit: " Non licere admittere nisi vexilla religiosa, et pro quibus habeatur formula in Rituali Romano ".

tantum iure pontificio, sed etiam divino, prout praestantissimi theologi et canonistae gravissimi tuentur, ait Bened. XIV. In Tridentino enim, etsi non expresse, definitum fuit tamquam certum suppositum his verbis: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere...* (Cfr. Scavini).

790. — IV. *Parochus, qui sine legitima causa non residet, peccat mortaliter et amittit ipso facto, alia declaratione non secuta, et quacumque compositione remota* (ut ait S. Conc. Cong.), *fructus omnes qui eius absentiae correspondent;* qui quidem ex Tridentino erogari debent vel fabricae Ecclesiae propriae, vel loci pauperibus. Hoc autem verius valet etiam de Parocho, qui residet, sed omnino otiose: nam ei fructus non dantur, nisi sub conditione residentiae utilis suae Ecclesiae. Et Benedictus XIV, Const. *Grave,* declaravit non esse veram residentiam, nisi ea sit *formalis seu utilis.*

791. — V. Sentit Hurtadus non esse tutum in conscientia Parochum, qui degens in paroecia per duos menses Sacramenta per ipsum non ministraret, nisi in ea constitutus esset alius vicarius perpetuus, seu coadiutor cum cura animarum.

792. — VI. Gregorius XIII, decrevit (6 dec. 1576): « Parochos TEMPORE PESTIS omnino teneri residere in suis Ecclesiis, et si non resederint, contra eos procedendum, servata forma Tridentini ». Die autem 18, idem Gregorius declaravit: « decretum factum in Parochis multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt, tamen posse Episcopos in locis tutioribus *(Dioecesis)* manere, et inde providere ».

793. — **Nota.** — I. Parochus *cogendus* est habitare in domo Ecclesiae (S. R. C., 13 Ian. 1720).

794. — II. Parochus regularis tenetur habitare in domo parochiali, non vero in monasterio distanti a cura (S. R. C., 5 Apr. 1621).

795. — III. Parochi viciniores actu exercentes curam animarum non possunt absque Ordinarii licentia invicem se substituere (S. R. C., 8 Feb. 1747).

796. — **Varia.** — I. *Illitterati et imperiti* parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti officiis, vel propter turpitudinem vitae scandalo fidelibus cum sint, Episcopus curet *etiam tamquam delegatus Apostolicus* ut habeant coadiutorem seu Vicarium pro tempore deputatum. Eos vero qui turpiter et scandalose vivunt monitos coerceat ac puniat; si vero incorrigibiles perseverant, eos beneficiis privandi habeat facultatem iuxta canonum sanctiones (Trid. *sess.* 21, *cap.* 6, *de Reform.*).

797. — II. *In collatione canonicatus, quamvis ei unita sit parochialis ecclesia*, oportet observari formam examinis per concursum (S. R. C., 20 Ian. 1598).

798. — III. *Non possunt beneficia resignanda conferri consanguineis collatorum vel resignantium* (Pius V in tertio anno suae assumptionis, Kal. Apr.). Si ex duobus concurrentibus ad parochialem ecclesiam vacantem et a tribus examinatoribus Synodalibus examinatis, alter eorum ab omnibus fuerit approbatus et alter a duobus reprobatus, debet utique Episcopus tamquam magis idoneum eligere illum qui omnia suffragia pro se tulisse proponitur (S. Congr. Concil., 18 Apr. 1595). *Ad examinatores minime pertinet iudicare quis sit magis idoneus, sed ad Episcopum, ex concurrentibus ad ecclesiam parochialem obtinendam* (ib., 5 Apr. 1598).

799. — IV. *Saepe contingit, ut quidam Parochi temporis decursu, indocti et inhabiles comperiantur, propterea quod post adeptam animarum curam neces-*

sarium studii exercitium omnino relinquant. Porro, si de eorum imperitia et ignorantia probabiles notitiae et gravia argumenta suppetant, tunc in potestate Episcopi erit etiam extra visitationem, omni forma iudicii seclusa, *huiusmodi Parochus ad examen revocare* quamvis alias ab eodem Episcopo in praecedenti examine fuerint approbati (Bened. XIV, *de Synod., t.* 13, *c.* 9, *et S. Congr. Conc.*, 22 Sept. 1868). *Verum argumenta indebitae imperitiae debent esse vera atque solido fundamento firmata.* Neque omnis imperitia potest esse causa ad exigendum novum examen, sed ea, quae nullatenus possit convenire cum populo, quem Parochus caeteroquin probus regat. *Nec eadem peritia requiritur in Parocho, qui simplices oppidanos regit, ac in eo qui culto callidoque populo praesit* (S. C. C., 6 Iunii 1863). PAROCHUM REGULAREM *suo muneri deficientem potest punire Episcopus una cum Superiore Regulari:* ita tamen ut si aliter statuat Superior Regularis, aliter Episcopus, standum est Episcopi mandato (Bened. XIV, *in const. Firmandis*). Si removeri debeat, potest tam Episcopus, sine Superiore Regulari, quam hic sine illo id praestare.

800. — V. *Parochi alienae dioecesis* non possunt in altera confessiones audire sine approbatione illius Ordinarii, nisi tantum suorum subditorum. *Parochi provisi censentur idonei ad audiendas confessiones in tota civitate vel oppido ubi Parochi constituuntur, non vero in tota dioecesi Episcopi approbantis.* Ubi adest consuetudo, Parochi civitatis confessiones audiunt in dioecesi et viceversa (id., *Instit. Eccl.*). Si vero beneficium renuntiet, indiget nova facultate audiendi confessiones.

801. — VI. *Verbum Dei ministretur assidue per Parochos*, sive iis impeditis, per alios, ab Episcopo

eorum impensis, qui eas praestare vel tenentur vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, *saltem omnibus dominicis et solemnibus diebus festis; tempore autem ieiuniorum Quadragesimae et Adventus Domini quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus*, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinam legem annuntient, et alias quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei. *Iidem Episcopi saltem dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt;* et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus (Cfr. Trid., *sess.* 24, *c.* 4, *de Reform.*).

802. — VII. Parochus autem, qui vere Ecclesiam diligit, accipiet reverenter nomen Pastoris, cum illi a superioribus, vel fidelibus traditur; sed *curabit, ne se Pastorem nominet*, nam mala luctuosissima, quae saeculis praeterlapsis a falsa attributa Parochis qualitate Pastorum passa est Ecclesia, adhuc forte in quibusdam persistunt. *Illud sane systema extollendi Parochos contra Episcopos*, a Iansenistis propugnatum, et a Schismaticis magnificatum (et hodie a quibusdam *Galliae politicis* frequentissime usitatum...) exitiosius Ecclesiae plane fuit, quam damnatum Aerii Presbyterianismum; nam hoc faciebat Presbyteros aequales Episcopis, quod facile approbationem obtinere nequibat: sed illud, quod solos Parochos aequales constituebat Episcopis, commodius et probabilius videbatur, ut facilius admitteretur. Quare huius systematis Auctores hoc, vel simili

modo ratiocinabantur: Parochus est Pastor Ecclesiae, ergo iure divino institutus: ergo doctor, et sponsus Ecclesiae: ergo magister fidei, et iudex causarum: ergo ab Episcopo independens, etc.: quae omnia quam falsa sint, nemo est, qui non videat. UNDE *temporibus nostris maxime illud consultius putamus, ne Parochi hoc se nomine distinguant*, ne ingerant malae artis suspicionem. Propterea ferunt nuper a Romanis Revisoribus expunctum fuisse nomen *Pastorum*, quod Patres cuiusdam Concilii Provincialis Galliae ad Parochos designandos adhibuerunt. *Nardi in opere « Dei Parochi », tom.* 1.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Mater Dei est « Virgo purissima, prudentissima, pulcherrima, devotissima, humillima, mitissima, omni gratia plena, omni sanctitate pollens, omnibus virtutibus ornata, et omnibus charismatibus decorata, Deo gratissima » (S. Th. a Vill.).

MARIAM INVOCA. Purifica nos, « Virgo speciosissima, pariter et incorruptibilis... cuius purissima perfectissimaque conversatio corda aspicientium coelesti quadam luce penetrabat, castioraque reddebat » (Lud. Blosius).

MARIAM LAETIFICA. Laudes inimicorum Ecclesiae rejiciendo: liberalismi pestis consortium fugiendo: proprium Praelatum in Domino diligendo: Pastorem Pastorum devotissime audiendo... — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. V. — DE MONACHIS ET REGULARIBUS

Art. I. **De natura Status Religiosi.**

803. — **Origo Status Religiosi.** — *Status religiosus est: stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum, tendens ad perfectionem per tria vota perpetua, paupertatis, castitatis et obedientiae.*

804. — I. Opinio eorum qui dicunt statum religiosum esse solum institutionis ecclesiasticae, est periculosa et temeraria: periculosa, nam favet novatoribus qui statum religiosum abrogare moliuntur; temeraria, nam Pius VI in Brevi dogmatico *quod aliquantulum*, 10 Martii 1791, asserit: Regularium abolitio, ab hodiernis Ecclesiae osoribus decantata, « laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum; laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam, tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam; laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates ».

805. — II. *Falsum est* scriptores ecclesiasticos esse unanimes in neganda status religiosi existentia ante IV saeculum. Multi sententiam contrariam tenent, v. g., Suarez, S. Thomas, S. Bernardus.

806. — III. Plerique eorum qui credunt *Therapeutas* aegyptiacos temporis apostolici fuisse christianos, etiam monachos fuisse credunt.

807. — IV. *Vere religiosi fuerunt primi fideles multi Ecclesiae Hierusalem.* Ea erat persuasio Patrum IV saeculi, v. g., SS. Augustini, Chrysostomi, Hieronymi.

808. — V. *Religiosi fuerunt tribus prioribus saeculis* illi fideles qui vocati sunt ASCETAE, scilicet philosophi christiani, qui per praxim trium consiliorum se Dei servitio vovebant.

809. — VI. *Ante IV saeculum et ab ipsis Apostolorum temporibus verae moniales exstiterunt.* Hoc constat ex actis Martyrum. Ergo in Ecclesia quovis tempore exstiterunt et existent religiosi.

810. — *In errorem inducunt:* 1° illi auctores qui vitae monasticae originem repetunt a Sancto Paulo, Antonio, Hilarione. Etenim isti sancti, ex verbis Athanasii et Hieronymi, *primi eremum incoluerunt*, non instituerunt vitam religiosam; 2° quidam moderni asserentes statum religiosum non esse in Ecclesia indefectibilem, nam pertinet ad integritatem Ecclesiae (Huguenin).

811. — **Nota.** — *Omnes veri catholici religiosos venerantur;* e contra, impii omnes, sectarii, haeretici, et praecipue catholico-liberales, etiam mitissimi, ordines monachales ac regulares omnes detestantur et persequuntur in millibus, publice, vel privatim, ore vel opere (*Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret*). Neque excusantur qui contra regularium existentiam, ad remissionem religiosae observantiae quorumdam, veram vel falsam, recurrunt; nam ut legitur in citato Brevi Pii VI: « At propterea ne abolendi illi sunt Ordines? Audiatur hanc ad rem, quod in Concilio Basileensi obiecit Petro Bayne regulares oppugnanti Ioannes de Polemar. Iste minime quidem negavit invaluisse aliqua inter regulares reformatione digna: illud tamen adiunxit, quod *licet in religiosis multa sint hoc tempore quae reformatione indigent, sicut et in caeteris statibus; tamen nihilominus multum illuminant Ecclesiam praedicationibus et doctri-*

nis; et nemo prudens, in caliginoso loco existens, lucernam extinguit non bene sibi lucentem, sed habentem succum seu scoriam curat aptare, quo melius potest. Nam melius est, quod aliquantulum turbide luceat, quam si penitus esset extincta ». — Leo XIII, epist. *Perlectae*, 22 Oct. 1880, ait: « Ubicumque est Ecclesiae catholicae libertas constituta, ibi religiosos Ordines sponte coalescere: ipsos enim tamquam ex stirpe quadam existere (constat) et quasi nasci ex Ecclesia; et perinde esse ut auxiliares copias, his temporibus maxime necessarias, quarum sollertiam et industriam, cum in perfunctione munerum sacrorum, tum in hominibus christiana charitate adlevandis, peropportune atque utilissime Episcopi adhibeant ». Et in Litt. Ap. *Dolemus*, 13 Iulii 1886, dolet « iniurias et damna illata religiosis Regularium Ordinum familiis, quae a sanctissimis institutae viris, tum catholicae Ecclesiae magno usui et ornamento, tum civili etiam societati commodo et utilitati sunt, quaeque omni tempore de religione ac bonis artibus, deque animarum salute optime meruerunt ». Occasione novissimi acerrimique belli quo regulares Galliae pulsantur, idem Pontifex alia de hac re sapientissima dedit documenta.

812. — **Mendicantes.** — I. *Perfectionem vitae Monasticae et Clericalis simul aemulati sunt Ordines Mendicantes*, inter quos precipui et celeberrimi *Fratres Minores S. Francisci*, *Praedicatores*, *Carmelitae*, *Eremitae S. Augustini*, ex quibus veluti stipitibus processerunt caeteri Ordines Regulares. His accesserunt *Ordines Clericorum* Regularium.

813. — II. Concilium Tridentinum (sess. 25, cap. 3, *de Reform.*), concessit omnibus Monasteriis et domibus tam virorum, quam mulierum et mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, et

eorum qui Minorum de Observantia vocantur (qui hodie simpliciter dicuntur Minores), etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. — Fratres Minores de Observantia et Minores Capuccini Mendicantes ex Regula, caeteri Mendicantes ex Constitutionibus dicuntur (Soglia).

814. — III. Ordinibus mendicantibus dux fuit, studio paupertatis, S. Franciscus (Huguenin).

815. — IV. Mendicantes conservant privilegia mendicantium, quamvis possidere possint immobilia.

Art. II. **De Noviciatu.**

816. — **Locus Noviciatus.** — I. Clemens VIII, in sua C. *Cum ad regularem*, mandavit: I. ut « locus huiusmodi propria clausura ab ea parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit atque distinctus; habeatque tot ad dormitandum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint; in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro eiusque socio reperiatur ».

817. — Item II. « In eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque Magistri audiendas, et in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiantur ».

818. — Item III. « Oratorium insuper, seu Capella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus,

praesertim in caeremoniis et ecclesiasticis functionibus exercendos ».

819. — Item IV. « Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis vero novitiis ibi commorantibus, curabit Magister, cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit), ne in eumdem quisquam alius ingrediatur ».

820. — Item V. « Ad huiusmodi locum novitiatus nemini eiusdem vel alterius Ordinis regulari, etiam conventus et monasterii officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro eiusque socio, ac etiam monasterii aut conventus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit; quo tamen casu, aliquem semper ex senioribus conventus vel monasterii Patribus socium assumat ».

821. — Item VI. « Huius loci clausurae clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere ».

822. — **Privilegia Novitiorum.** — Novitii « *a)* privilegio canonis et fori fruuntur. Unde ille qui novitium percutit, vel cogit iudices laicos ad trahendum novitium ad suum tribunal, excommunicationem incurrit: in posteriori casu, S. Pontifici specialiter reservatam; in priori, S. Pontifici simpliciter reservatam. — *b)* De iure, exemptione gaudent a gabellis et vectigalibus solvendis ex bonis patrimonialibus, sicut alii clerici. — *c)* Indulgentiarum aliorumque privilegiorum Religioni concessorum participes efficiuntur. Excipienda tamen sunt privilegia solis professis concessa, uti sunt privilegia quoad absolutionem saecularium Mendican-

tibus concessa, indulgentia ipsimet professioni adnexa. — *d)* A proprio Ordinis Praelato, intra limites suae potestatis, per se, aut per alios, absolvi possunt a reservatis, sicut ipsimet professi. — *e)* Ab eodem Praelato eorum vota, saltem non reservata, dispensari vel commutari possunt. — *f)* Praelatus religiosus potest etiam cum novitiis, quum id necessitas postulat, in Ecclesiae praeceptis dispensare, ut in ieiuniis, in observatione festorum, in recitatione divini Officii. — *g)* Novitii Ordines recipere possunt ab Episcopo in cuius dioecesi situm est probationis monasterium. — *h)* Exempti sunt ab Ordinarii iurisdictione, adeoque eorum confessarius Episcopi approbatione non indiget ad eos absolvendos, etiam a casibus ab Episcopo reservatis » (Piatus, *Prael. Iur. Reg.*).

823. — **Varia.** — In domibus novitiatus religiosi exemplares omnino sint. Hinc Innocentius XII « in virtute sanctae obedientiae praecipit praefatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis conventibus non collocent nisi religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiae, et puritatis regulae studiosos, orationi praesertim ac mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem » (Decretum *Sanctissimus,* 18 Iulii 1695, Bull. Cap. VI, 456). Et S. C. EE. et RR. 20 Febr. 1861 in animadv. in constit. cuiusdam religiosae congreg. declaravit: « Nec expediens videtur sorores culpabiles ob poenam in novitiatum mitti: id enim scandalum afferre potest ».

824. — Magistri Novitiorum uti non possunt scientia confessionis ad votum Novitio indigno denegandum. Etenim Clemens VIII, die 26 Maii 1593, declaravit: « Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti,

caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem guber nationem utantur... Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit ».

825. — Novitiatus fieri potest in duobus conventibus. Etenim S. C. C., die 27 Iulii 1663, ad dubium. « An novitiatus possit, cum Superioris Regularis licentia, et iusta causa, fieri partim in uno conventu ad Novitiatum designato, et partim in alio itidem designato? » — Resp.: « Affirmative ».

Art. III. De Professione Religiosa.

826. — **Professio Religiosa** est *promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita aetate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certae Religioni ab Ecclesia probatae cum solemni votorum emissione* (Scavini). — S. Poenit., ann. 1820, Episcopo Lemovicensi scripsit: « Votum solemne illud esse, quod ab Ecclesia ut tale acceptatur, et voventem inhabilem reddit in perpetuum et immutabiliter (spectata lege ordinaria et seclusa dispensatione pontificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominia rerum acquirenda vel retinenda, *prout cum caeteris SS. Canonum tractatoribus loquitur P. Piringh, in* 3° *Decret.*, tit. 54, § 1°: *Cum ergo modo Galliarum moniales, ut sese civilibus legibus accommodent, sic paupertatis votum emittant, ut minime se abdicent dominio rerum suarum, sed eas ut proprias retineant, ac de iisdem, cum opus fuerit, iuxta leges civiles disponere intendant, ideo hoc earum votum sive quinquennale, sive perpetuum sit, solemne certe non est, neque ut tale ab Ecclesia acceptatur. Quod*

si huiusmodi paupertatis votum solemne non est, nec solemnia censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obedientiae; quippe cum secundum solemnis religiosae professionis naturam, atque Ecclesiae disciplinam, votum unum sine alio solemne esse non possit ». Vota simplicia a Pio IX instituta sunt perpetua ex parte voventis.

827. — **Effectus Professionis solemnis.** — Validae professionis effectus sunt: I. *Quod irregularitatem ex natalibus intuitu sacrorum Ordinum, non dignitatum ecclesiasticarum abstergit.*

828. — II. *Matrimonium nondum consummatum dissolvit*, contrahendum vero dirimit.

829. — III. *Obligationem parit in suscepta vita monastica permanendi*, nisi forte causa perfectionis ad rigidiorem Ordinem transire cupiat, petita, licet non impetrata, Superioris sui venia. *Ubi enim spiritus Dei est*, inquit Innocent. III, l. 3, t. 31, c. 18 *de Regul.*, *ibi libertas: et qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto.* Si tamen dubitatio occurrat, subdit Pontifex, *utrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex charitate, an ex temeritate transire, Superioris est iudicium requirendum, ne forte Angelus Satanae in lucis Angelum se transformet.* Sed ab Ordine rigidiore ad laxiorem transitus vetitus est sine venia Summi Pontificis et iusta causa, veluti, si quis ob aegritudinem aut corporis infirmitatem rigidiori Regulae servandae impar effectus sit. *(v. n. 577).*

830. — IV. *Omnia vota in saeculo nuncupata prorsus perimit*, eo quod in ipsa professione eminenter contenta seu commutata censentur.

831. — V. *Eluit maculas seu inhabilitatem ad civiles effectus ex anteactae vitae delictis ortam*, « est

enim conversatio monachalis sic honesta, ut ait Iustin. in Novel. 5ª, ut omnem maculam detergat »; quin etiam *peccatorum omnium maculas delet quoad poenam*, non autem quoad culpam attinet, ita ut professio religiosa veluti secundum baptisma habeatur, eamque Trullana Synodus can., 40, *benedictionem gratiae* appellavit.

832. — VI. *Tollit notam ingratitudinis*, ut exinde filii a parentibus exhaeredari nequeant, quod ex Novel. 123 refert Gratianus Can. 10, causa 19, quaest. 3ª.

833. — VII. *Patriam potestatem solvit*, quia professus in religiosam familiam transit, et potestati Superioris subiicitur. Attamen hoc intelligendum de iis quae professum gravant; secus de iis quae ipsi sunt favorabilia. — Cfr. De Angelis, l. 3, tit. 31, pag. 111.

834. — VIII. *Beneficia, si qua professus obtinebat, statim vacant, fitque incapax aliis beneficiis obtinendis*, regularibus beneficiis exceptis quae nonnisi regularibus personis conferuntur.

835. — IX. *Denique omnia bona professi tum praesentia, tum futura ad Monasterium transferuntur si capax sit, sin minus ad haeredes ab intestato venientes deferuntur, perinde atque professus mortem naturalem obiisset.* Verumtamen Novitiis, antequam solemniter profiteantur, integrum est sua bona distribuere. *Ne tamen fortunis suis imprudenter spolientur*, atque adeo inopes facti vel inviti cogantur professionem emittere, Tridentina Synodus, *sess. 25, cap. 16, de Regular. et Monial.* ita statuit: « Nulla renuntiatio aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in favorem cuiusque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi vel eius Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac nec alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter

vero facta etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita et nullius effectus [1] ».

836. — NOTA I. *Praecipuus professionis effectus* est obligatio tenendi ad perfectionem per media a Religione ipsa ordinata.

837. — II. Professus potest reclamare de nullitate suae professionis, sed intra quinquennium tantum.

838. — **Eiecti, Fugitivi, Apostatae.** — I. Superiores

[1] " Utrum validitati renuntiationum Novitiorum minoris aetatis, et Novitiarum, quae fiunt *occasione Professionis*, sufficiat servare formam Conc. Trid., an (vero) necessariae sint solemnitates praescriptae ab actuali Codice Iudiciario , (quoad contractus mulierum et minorum)? — R. Affirmative ad 1am p., Negative ad 2am (S. C. EE. et RR. 17 Mart. 1843). Iuxta legem civilem, nunc vigentem, quae religiosas professiones non agnoscit, omnis actus cessionis, venditionis aut donationis duobus mensibus ante professionem factus, irrevocabilis est, contra Tridentini dispositionem. Praeterea leges civiles inhabiles declarant ad venditionem aut donationem minores 21 annorum. Quibus expositis, quaeritur: — Utrum permitti possit, ut iuvenis profitendus de suis bonis disponat per actum privatum coram Superiore regulari, de Ordinarii licentia, vel coram ipso Ordinario postea suo tempore ratificandum in forma a lege praescripta, etiam post professionem solemnem, et, in casu minoris aetatis, aetate maiori assecuta? — S. C. Episc. et Regul., 16 Sept. 1885, respondit: *Cum agatur de renuntiatione super illis bonis, quibus ius certum haberi potest, parte nempe haereditatis paternae vel maternae, emissa suo tempore iuxta Concilium Tridentinum, renuntiatio ipsa renovetur, quando opus est quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum, quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc sacram Congregationem.* (*Anal. O. M. C., II, 6*).

tenentur revocare *apostatas* et *fugitivos*. Fugitivi in iure aequiparantur apostatis.

839. — II. *Qui consentientes dimittuntur vel ex iusta causa eiiciuntur inviti* post vota simplicia, eximuntur communiter ab obligationibus status religiosi, sive a voto, sive a regula procedant, et reducuntur ad vitam saecularem. — *Excipitur votum castitatis, quod sit alias absolute perpetuum.*

840. — III. *Religiosi incorrigibiles, post vota solemnia, iuxta canones eiici possunt. Eiecti remanent religiosi.* — 1° Tenentur se emendare, ut iterum admitti mereantur. — 2° Votis obligantur, et ea observant quantum patiuntur circumstantiae, v. g. obediunt Episcopo; suae sustentationi provident. — 3° Sunt suspensi a functionibus Ordinum. — Servandae conditiones in expulsione incorrigibilis, secus *(melius hodie)* recurrendum ad Rom. Pontificem. — Episcopus loci in quo eiectus sedem statuit, non potest cognoscere de iustitia sententiae expulsionis. — Cfr. Ferraris.

841. — *Causae delictorum et incorrigibilitatis* in monacho, ex Glossa in Clem. I, de stat. monach. verb. *Curias:* « Duodecim sunt abusiones claustri, quibus tota religiosa massa corrumpitur: *praelatus negligens, discipulus inobediens, iuvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, monachus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in Capitulo, dissolutio in choro, irreverentia circa altare* ».

842. — **Transitus monachi ad religionem strictiorem,** *vel arctiorem* de iure communi omnibus conceditur (ut dictum est), petita, et etiam non obtenta Superiorum licentia, exceptis ipsis Superioribus, pro quibus S. Sedis licentia requiritur. *Ratio est*, quia nemo

impediendus est a maiori perfectione quaerenda, quae in arctiori religione inveniri praesumitur.

843. — **Sed iure novissimo** non amplius licet transitus, nisi ex S. Sedis licentia ad Ordinem, in quo claustralis disciplina vigeat, ita ut Monachus ab uno dimissus Ordine statim recipiatur ab alio. Quare si transitus aliter fiat, non videtur posse transeunti prodesse, etiamsi in secunda religione post novitiatum professionem emiserit: nam necesse erit, ut ab eadem exeat, et ad primam intra tres menses revertatur. — Ita C. Ferrari, etc.

844. — **Saecularizatio.** — I. Indultum saecularizationis ex iusta causa, ut ad adiuvandos parentes, vel ad propriam curandam salutem (quae causa saepe falsa est, vel aliud non excludens remedium) solet quandoque concedere Summus Pontifex, qui dispensando regulariter exigit, ut quantum fieri potest, tria emissa vota serventur, et ut aliquod religiosi habitus vestigium in saeculo iugiter deferatur. Nec pro contraria conclusione sufficiunt canones, in quibus statuitur monachum semper esse monachum, ita ut desuper re neque Summus Pontifex queat dispensare: nam vota solemnia sunt ex sola constitutione Ecclesiae: at, quae ab Ecclesia fuerunt instituta possunt ab eadem revocari, quia eius est solvere, cuius est ligare: insuper Summi Pontifices identidem hac dispensandi facultate utuntur. Quare contrarii canones ita sunt interpretandi, ne deceat Summum Pontificem ordinarie sine causa.

845. — II. Saecularizationis rescripta non infirmant religiosam professionem; ac proinde non tenetur indultarius professionem et novitiatum iterare [1], si petit

[1] Saecularizati perpetui amiserunt antianitatem religionis.

ad claustra redire; salva tamen consuetudine legitima [1].

846. — III. *Saecularizatus indiget speciali indulto, ut de bonis disponere possit.* Quia « Religiosi, qui vota solemnia Deo nuncupant, emissa professione, cuiusvis dominii sunt incapaces, ideoque de bonis, nec per testamentum, nec alio quocumque modo disponere possunt, ita ut etiamsi deinde indultum perpetuae saecularizationis a S. Sede obtineant, ne de bonis quidem post dictum indultum acquisitis sive inter vivos, sive causa mortis, disponere valeant, nisi specialem ad hoc a S. Sede obtineant facultatem, quae solet certis et determinatis conditionibus et cautelis coarctari » (Bizzarri) [2].

Hinc S. C. EE. et RR., 30 April. 1838, *in una Camald.* declaravit: " anterioritatem Religiosorum, qui perpetuae saecularizationis (indultum) consequuti sunt, a die reditus in Religionem computandam esse ". — Constat " Professionem religiosam non infirmari per Rescripta, de quibus agitur (nempe saecularizationis), ac proinde non teneri Indultarios Professionem et Novitiatum reiterare, quando petunt ad Claustra redire; salva tamen consuetudine legitime introducta, atque praescripta singulorum Ordinum regularium. Posse tamen per Superiores religiosos exquiri congrua documenta anteactae vitae et morum, dum in saeculo versabantur, et obligari ad spiritualia exercitia peragenda " *(S. C. EE. et RR., 30 Iun. 1824).*

[1] Pius IX, die 27 Augusti 1852, declaravit " Regulares etiam ad tempus saecularizatos debere exomologesim suam facere penes confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus poterunt absolvi etiam a censuris et casibus reservatis in Ordine, si in dioecesi reservata minime sint " (Bizzarri).

[2] Bona a Saecularizatis relicta. — *a)* " 1. Monachus

847. — **Saecularizati, quoad beneficia,** seqnentes declarationes S. Sedis prae oculis habeant: " 1° An Religiosi perpetuo Saecularizati, simplici Rescripto Sae-

etiam perpetuo et absoluto saecularizationis Apostolico Indulto praeditus, non potest de bonis disponere absque Apostolicae Sedi speciali beneplacito. 2. Si dicto Indulto disponendi careat, vel eo legitime usus non sit, distinguendum est inter bona ab eo relicta, scil. bona quae Monasterii erant, secumque e Claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae habebat, ex illis provenientia, suo Monasterio manent. Quoad autem caetera bona a tali Monacho extra Claustra aliter quam ex bonis ad religionem pertinentibus acquisita iudicandum de iis iuxta C. Gregorii XIII. *Officii nostri,* ubi dicta Const. viget. 3. Ius succedendi haereditati Monachi professi decedentis extra Claustra, qui Apost. Indult. obtinuit manendi extra Claustra ad tempus retento habitu, vel veste sui Ordinis dimissa, ad eius Monasterium spectat " (*S. C. EE. et RR., 4 Ian. 1862*). — *b) Confirmatur ex alio decreto circa pensiones:* " 1. An pensiones, quae a publico aerario solvuntur Regularibus extra Claustra degentibus, habendae sint tamquam pensiones ecclesiasticae, ita ut natura sua spolio subiaceant? Et quatenus negative: 2. Cui competat post illorum mortem ius percipiendi ratas non solutas dictarum pensionum, si Regulares Professi Apostolicum Indult. obtinuerint manendi extra Claustra sive ad tempus sive in perpetuum? 3. Cui competat idem ius, si huiusmodi Regulares Professi Indultum testandi et disponendi obtinuerint? 4. Cui competat praefatum ius, si agatur de Regularibus, qui vota simplicia tantum emiserunt? — R. Ad 1. Negative. Ad 2. Si Indultum temporaneum fuerit, spectare ad propriam defuncti Religionem: si perpetuum, ad S. C. Spoliorum secundum Const. Greg. XIII, *Officii nostri.* Ad 3. Ius, de quo agitur, ad eum pertinere, cuius favore facta est dispositio, si Regularis Apostolico Indulto dis-

cularizationis perpetuae, auctoritatem habeant accipiendi ac retinendi Beneficia Ecclesiastica, sive Residentialia, vel etiam cum animarum cura sine Apostolicae Sedis habilitatione? — 2° An institutiones Parochorum et Canonicorum ex-Religiosis tantum saecularizatis perpetuo, neque ad Beneficia habilitatis sint invalidae, quamvis bona fide peractae? — 3° An demum valeant ipsi in possessione Beneficiorum manere veluti legitimi possessores? — R. Ad 1um Negative. — Ad 2um Investituras, de quibus in casu, esse nullas in radice. — Ad 3um Negative, et recurrant ad S. Sedem pro sanatione, revalidatione, habilitatione et facultate » (S. C. EE. et RR., 14 Ian. 1899).

848. — « Utrum Parochus M., perpetuo Saecularizatus, et legitime in curam animarum institutus, possit facere suos fructus Beneficii Parochialis; et in qua ratione? — R. Affirmative ad 1am partem. — Ad 2.am Pro sui congrua sustentatione tantum » (S. C., 21 Febr. 1899).

849. — IV. *Apostolica Sedes libentius permittit ut Religiosi subveniant parentibus in necessitate positis, « claustro non relicto »*. Sicque absque ullo charitatis et filialis pietatis nocumento, innumera vitae claustralis spiritualia bona nec ad tempus deperduntur. Constat ex variis particularibus indultis ad normam istam concessis.

ponendi de bonis legitime usus sit: quatenus eodem Indulto legitime usus non fuerit, servandam esse resolutionem datam in secundo. Ad 4. Non spectare neque ad Religionem, neque ad S. C. Spoliorum, sed ad suos haeredes, sive ab intestato, sive ex testamento venientes „ (*S. C. EE. et RR., 6 Iun. 1836*). — *Nota:* Ex Const. *Officii nostri*, bona Regularium extra Claustra decedentium pertinent ad Cameram Apostolicam.

850. — **Suppressiones civiles regularium.** — Apostolica Sedes multa decreta et declarationes dedit circa conditionem regularium suppressorum, quae quamvis aliqualiter varia sint pro diversis regionibus, in substantialibus uniformia esse solent. Unde Conc. Plen. Americae Latinae sequentia de hac re decrevit (quae ubique utiliter legi possunt, ut mens S. Sedis facilius dignosci queat): Ne autem occasione civilium suppressionum, quas non raro etiam in nostris regionibus, maximo cum animarum, imo publicae prosperitatis nocumento, factas esse dolemus, religiosi spiritum proprii Ordinis amittant, et inanis evadat futurae restaurationis spes; omnes Episcopi et Moderatores regularium prae oculis habeant sequentes declarationes Sanctae Sedis, scilicet:

851.—I. Curandum est pro viribus « ut Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero Clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculiarem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant; ibique regulam, quam professi sunt, meliori quo fieri potest modo, observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione » [1].

852. — II. « Pariter curandum, ut etiam Regulares, qui extra claustra et praefatas domos, tamquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter quo fieri possit modo, persolvant. Unde omnibus Superioribus Regularibus Sacra Poenitentiaria declarat, ipsorum iurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes,

[1] S. Poenit., 18 April. 1867 (Coll. Instruct. et Declar. S. Rom. CC. pro Italiae Regul. suppressis, p. 7).

minime cessasse. Nam, licet quisque Regularis degens extra claustra, quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quae ex religiosa professione promanant, et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse eisque obedire tenetur » [1].

853. — III. « Decernit praefatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum » [2].

854. — IV. Si autem, vel ob exilium, vel aliis de causis, aliquis religiosus extra regularis suae Provinciae territorium permanere debeat, non ideo a iurisdictione Ordinis solvitur, ut expresse declaravit Sancta Sedes his verbis: « Sacra Congregatio super Disciplina Regulari decrevit, ut universi omnes Religiosi, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, cuiuscumque gradus aut conditionis professi, quamdiu, propter hodiernas, ut innuimus, circumstantias, extra Regularis Provinciae fines, sive alibi, degere illos contigerit, inspectioni et iurisdictioni subiiciantur territorialis Provincialis; qui de ipsorum moribus et consuetudine quotannis, et quandocumque rogatus respectivo Provinciali referat; eosque delegata ac plena potestate in officio contineat » [3].

855. — V. Tandem, sciant omnes ad quos spectat,

[1] S. Poenit., ibid.
[2] Ibid.
[3] Decret. 5 Aug. 1872 (Ibid., p. 28).

« non esse relinquenda monasteria, ac domos religiosas, nisi adsit coactio et proximum periculum violentiae, et a Superioribus, quatenus expedire videatur, praemittendam esse protestationem ».

856. — Quapropter, si forte, quod Deus avertat, aliqui religiosi civiliter suppressi, infausto libertatis et independentiae desiderio decepti, sub praetextu suppressionis, debitam suis Moderatoribus obedientiam denegaverint, aut, invocata exemptione, iugum episcopalis vigilantiae et auctoritatis excutere ausi fuerint, graviter moneantur et debitis poenis canonicis puniantur, ad normam iuris: quare, enixe commendamus tum Episcopis tum Praelatis regularibus, ut alter alterius auctoritatem et potestatem fortiter sustineat. *Hucusque Conc. Plen. Am. Lat., art. 292–293.*

857. — **Notandum circa vota simplicia,** quae ex Pio IX pronuntiari debent ante vota solemnia: « I. *Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis,* utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

858. — « II. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt.

859. — « III. *Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis* in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione, eo ipso liberi fiant [1].

[1] De iusta causa pro dimissione professi votorum simplicium. — Nonnunquam evenit, ut simpliciter professus dimissionem suam petat asserens, se non habere vel amisisse

860. — « IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Commissarium Apostolicum [1] Ordinis cum suo consilio generali. Idem Commissarius Apostolicus cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare religiosos probos et prudentes, qui saltem tres esse debent.

861. — « V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus, neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit, sola facti veritate inspecta; tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota: secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

862. — « VI. *Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum* et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur, et gaudent.

863. « VII. *Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimis-*

animum vocationemque ad vitam religiosam. Quaeritur nunc, utrum haec ipsius assertio pertinaciter retenta, etiamsi alia causa dimissionis non subversetur, ratio sufficiens, iusta eaque rationabilis causa censeri possit eum in finem, ut simplici voto obstrictus ex Ordine dimitti queat? — S. C. Episc. et Regul. die 19 Novemb. 1886 respondit: *Negative*, cum vota simplicia, de quibus agitur, ex parte voventis sint perpetua, eorumque dispensatio sit reservata Summo Pontifici (*Anal. O. M. C.*, V. 129).

[1] i. e. *ad Superiorem Generalem.*

sorias dumtaxat ad primam tonsuram, et ad Ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

864. — « VIII. *Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat*, et ad officia admitti possit a die emissionis votorum simplicium computantur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

865. — « IX. Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usufructum, et usum quibus eis placuerit, non tamen suo Ordini.

866. — « X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii, et Studiorum, et vitam communem perfectam observare.

867. — « XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est ». — *S. C. sup. Stat. Reg.*, 12 *Iulii* 1858 [1].

[1] Die 16 Aug. 1866 in Congregatione propositum fuit dubium, a P. D. Bonifacio Wimmer abbate praeside Cassinensium in America exhibitum, nempe: Quod adhuc dubitatur, utrum in casu, quo Sacerdos saecularis habitum petivit et obtinuit, qui annum 25 longe transgressus est, huic (emissa professione votorum simplicium) professio solemnis (nempe votorum solemnium) differri possit supra consuetum

868. — XII. **Officium.** — Professi votorum simplicium iuxta litt. Encyc. 19 Mart. 1857, non tenentur ad privatam recitationem Officii divini; debent tamen choro interesse, ut solemniter professi (ex Declar. S. C. sup. Statu Reg., 6 Aug. 1858). — « An moniales, in genere, stricte obligentur sub gravi, vi suae profes-

triennium, si scilicet intra triennium (votorum simplicium) non sufficientia argumenta de sua vocatione dederit? — Et Em.mi Patres rescripserunt: *Negative* (nempe non posse differri). (*Anal. O. M. C.*, II, 105). — " Declararunt tamen recurrendum ad S. C. in casibus particularibus, in quibus aliqua peculiaris causa concurrat ". *Bizzarri.* — Nota vero *a*) quod haec non important licentiam concedendi professionem solemnem maioribus an. 25 imminuto triennio: " Qui forte habitum Religionis induerint maiores iam 25 annorum aut huic proximi aetati, possuntne, expleto iam Novitiatus anno, ad vota solemnia et professionem admitti, an etiam cum similibus expectandum est ulterioris probationis triennium? — R. Negative ad 1am part., affirmative ad 2am ". (*S. C. super Stat. Regul., 20 Ian. 1860*). — *b*) Ex legitima causa licite prorogari possunt Novitiatus et professio (simplex): " 1. An quando Novitii Clerici, aut laici bona fide susceperunt habitum ante tempus; ita ut finito anno et die novitiatus non attigerint aetatem a Constitutione pro professione praescriptam, possit ipsis absque dispensatione et periculo nullitatis differri professio, donec praescriptam aetatem attigerit? 2. Utrum absque dispensatione et periculo nullitatis possit aliquando differri professio tam Clerici quam laicis, qui finito anno et die Novitiatus attigerunt aetatem pro professione requisitam si ad prudens iudicium P. Vicarii Generalis aut PP. Conventualium Capituli Conventualis adsint causae graves differendi professionem? — R. Ad utrumque affirmative, et amplius, etc. " (*S. C. EE. et RR., 12 Ian. 1731*).

sionis, ad recitationem divini Officii sui Instituti proprii? — R. Affirmative quoad moniales vota solemnia professas iuxta regulam ab Apostolica Sede approbatam, in qua huiusmodi onus imponitur. Si tamen tale onus in regulis non imponatur, Orator consulat probatos auctores relate ad obligationem, quae ex consuetudine oriri potest. Ubi vero vota simplicia sint, non teneri » (S. C. EE. et RR., 19 Apr. 1844).

869. — XIII. Fratres Minores simpliciter professi (non obstante praescriptione regulae), non tenentur ad privatam Officii recitationem, ut constat ex sequenti declaratione. Dubium: An Professi votorum simplicium in Ordine Minorum, ex vi Regulae, teneantur ad privatam recitationem divini Officii, ut solemniter professi? — Resolutio. Sacra Congr. Episcoporum et Regularium, re discussa, sub die 24 Martii 1882, censuit esse respondendum: « Non teneri ad normam Rescripti diei 6 Augusti anni 1858 » (*Anal. O. M. C.*, I, 202) [1].

[1] Notandum circa pueros Religioni oblatos. (Vide Devoti, I, 286). — I. Diu viguit disciplina, quam memorat Hieron., ep. 107 ad Laetam, ut parentes infantes filios non modo clericatui offerrent, *sed etiam monasterio*, pro qua disciplina acerrime pugnarunt Petr. Damian. Opusc. 16, et Rabanus Maurus singulari libello, quem composuit adversus quosdam, qui eidem disciplinae resistebant: idque argumentum late persequitur, Gratian. caus. 20, q. 1.

II. Hi pueri a parentibus monasterio oblati, cum puberes evaserant, discedere non poterant ab eo vitae instituto, cui semel addicti fuerant. Hinc illud Tolet. Concilii, quod etiam memorat Clem. III, in c. 12, de Regul.: " Monachum aut paterna devotio, aut professio facit "; et Concil. Wormatiense an. 868, can 22: " Si pater, inquit, vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiae annis sub

870. — XIV. Ex quadam declaratione S. C. Ep. et Reg., 8 Ian. 1886, invalida est seu sanatione indiget professio solemnis facta non expleto *rigore mathematico* triennio votorum simplicium. Deerat enim in casu *una circiter hora*. (*Anal. O. M. C.*, II, 100).

regulari tradiderint disciplina, non liceat eis, postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi et matrimonio copulari „. Et can. 23: " Monachum ergo, ait, aut paterna devotio aut propria professio facit. — Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit, proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnes ad saeculum interdicimus regressus „.

III. Solemnis formula eius oblationis ex S. Benedicti Regula, cap 59, erat, ut manus pueri oblati in altaris palla involveretur, quae erat mappa altari superimposita, idque testimonium erat oblationis, qua sic involutus puer Dei obsequio addicebatur.

IV. Gratian. can. 4, c. 20, q. 2, Lambertum quemdam oblatum memorat, qui tum propter non servatam solemnem hanc formulam oblationis, tum propter alias causas, votis solutus declaratus fuit; et S. Bern., epist. 1, n. 8, Robertum consanguineum suum, ob neglectos solemnes illos ritus, oblatione parentum obstrictum negat.

V. Rothardus in Reg. S. Bened. describit formulam, in qua pater dicebat: " Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio „; tum Abbas praesentibus aiebat: " Audistis, fratres, et videtis quid iste dicat „: hi respondebant: " Audivimus et videmus „. Abbas benedictionem dabat oblato, qui ita cooptatus censebatur in ordinem monachorum, in quo deinceps vitam omnem traducere debebat.

VI. Neque solum filios iam natos vovebant parentes, sed eos etiam, qui nondum nati in matris utero latebant: cuius rei multa collegit exempla Balutius in not. ad Salvian. adv. avarit., lib. 2, pag. 428.

Art. IV. De exemptionibus.

871. — **Exemptiones Regularium.** — I. *Exemptionis ab Episcopi iurisdictione* (« cuius utilitas ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipso haereticorum et incredulorum in

VII. Haec de filiis monasterio offerendis disciplina viguit usque ad aetatem Papae Coelestini III, qui eam moderatius temperavit, dicta lege, ut puer monasterio oblatus, cum ad annos discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, uti sancitum est cap. 14 *de Regul.*, et consentit Innoc. III, lib. 15. epist. 116 ad Episc. Lugd. Licet autem Coelestinus huic disciplinae modum imposuerit, non eam tamen sustulit aut abrogavit: quinimo nunc etiam, nisi obstent et impediant peculiares leges, quibus regularia instituta reguntur, aut recentiores Pont. Constitutiones, quae iis tantum, qui certam aetatem nacti sunt, in monasteria pernoctare sinunt (*) secundum ius Decretalium vetitum non est offerre filios impuberes monasticae vitae instituto, integro semper iure, quod de aetate ac tempore tyrocinii et professionis a Synodo Trid. constitutum est. Quae oblatio officit primum, ut filius impuber a Religione recipi possit; deinde ut pater in ipsum patria potestate amplius uti ne-

(*) *S. C. EE. et RR. 16 Maii 1675:* « Ex speciali mandato SS.mi D. N. Clementis X, hoc praesenti Decr. in virtute sanctae obedientiae praecipit omnibus et singulis Superioribus... ut de caetero neminem pro Tertiarii, vel Oblatis, seu Donatis, aut Commissis, vel Servientibus, nec pro hospitibus seu postulantibus, vel cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quovis habitu indutis vel induendis seu quovis praetextu, vel causa, aut quaesito colore recipiant, seu admittant ad habitandum intra claustra, nisi vigesimum aetatis suae annum expleverit, omnesque sic receptos seu admissos (iis tantum exceptis, qui completa aetate annor. 15, pro Clericis seu Choristis in habitu Novitiorum annum probationis agunt) a Monasteriis, seu Domibus Regularibus omnino amoveant, et eiiciant ». (*Bizzarri*).

illam odio, comprobata est », ait Gregorius XVI. Cfr. epist. Archiep. Mechlinien., 15 Ian. 1836, Coll. Lac. III, p. 563), exempla sunt apud S. Greg. M., aliosque antiquissimos SS. Pontifices, illaque saepe, ipsis rogantibus principibus, attributa fuit.

872. — II. Multi, praesertim *Iansenistae*, *Gallicani* et *catholici-liberales*, exemptiones insectantur tamquam abusum Episcopis et disciplinae noxium, ex Pontificum ambitione introductum. Earum *antiquitas*, *aequitas* et *utilitas a Catholicis A. A.* vindicatur.

873. — III. Haec disciplina est antiqua. Illam memorant saeculo IV, S. Epiphanius et Hieronymus; saeculo V, Concilium Arelatense de monasterio Lirinensi; saeculo VI, Concilia Carthaginiensia; saeculo VII, S. Gregorius Magnus, Historia monasterii Euxodiensis, Historia monasterii Turonensis S. Martini; saeculo VIII, Pontifex Zacharias de monasterio Fuldensi. — *Quae*

queat, ut eum ad saecularem vitam revocet: denique et etiamsi filio impuberi ante annos pubertatis monasterii claustra deserere non licet (quod tamen ipse facere potest, cum ad eam pervenit aetatem, in qua plenum habet suae voluntatis arbitrium), potest tamen Religio proprio iure uti, ut eum dimittat etiam ante annos pubertatis, nisi forte se onere obstrinxerit eum retinendi, donec pubes evadat. Cfr. Bened. XIV in litteris datis ad Petr. Hier. Guglielmum, quae extant in eius Bullar. Const. 54, tom. 3, pag. 239, ed. an. 1754.

VIII. Ex dictis patet quam rationabiliter R. Pontifex permittat erectionem scholarum regularium sive seminariorum seu parvorum novitiatuum, ut pueri possint facilius vitam regularem obtinere. Unde merito Pius IX et Leo XIII scholas sive parvos novitiatus ubique terrarum a Regularibus creatos particulari benevolentia prosequuti sunt ac apostolicis benedictionibus (et quoad nonnullas etiam indulgentiis) ornarunt.

documenta probant non media aetate, non ex falsis decretalibus aut ambitione Pontificum exemptiones ortas fuisse (Huguenin).

874. — IV. Merito ergo Leo XIII exemptionis causam et finem sequenti modo extollit: « quo melius in « religiosis Ordinibus *omnia essent inter se apta et « connexa,* ac sodales singuli *pacato et aequabili vitae « cursu uterentur;* denique *ut esset incremento et per- « fectioni religiosae conversationis consultum,* haud « immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses « describere, ac suos cuique subditos sacra potestate « regendos adtribuere, Clerum Regularem Episcoporum « iurisdictione exemptum esse statuerunt. Cuius rei non « ea fuit causa, quod placuerit religiosas sodalitates « potiore conditione frui quam clerum saecularem; sed « quod earum domus habitae fuerint, iuris fictione, « quasi territoria quaedam ab ipsis dioecesibus avulsa... « Quum autem re ipsa intra fines dioecesium vitam « degant, sic huius privilegii temperata vis est, ut « sarta tecta sit dioecesana disciplina, adeoque ut clerus « regularis in multis subesse debeat episcopali pote- « stati sive ordinariae sive delegatae » (Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices,* VIII Idus Maii 1881).

875. — **Potestas Episcopi in exemptos.** — I. Ne Regularium exemptio noceat, Episcopus *tamquam S. Sedis delegatus,* potest punire delinquentes extra claustrum, vel etiam religiosos in claustro degentes, si delinquentibus cum scandalo Superiores nimium indulgeant. *Sine licentia Episcopi, Regulares nequeunt conventus erigere, praedicare, confessionem fidelium audire, a reservatis absolvere, SS. Sacramentum specialiter exponere, indulgentias promulgare, ordines regulariter accipere;* si Episcopus sit impeditus, Regulares ordinandi possunt alium Episcopum adire cum

Superioris dimissorialibus litteris [1]. In caeteris quae ad disciplinam domesticam, observantiam regularum et notorium modum vivendi, officia, promotiones pertinent, nequit Episcopus se immiscere (Huguenin).

876. — II. « Hodie non amplius est in dubium revocandum, quin possint (REGULARES ORDINARI EXTRA TEMPORA) tam ex multis privilegiis concessis aliis Religionibus, quam ex declaratione nuper facta per Bened. XIII in C. Romano » (S. Lig.).

[1] " Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab Ordine, sive per Apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, (Episcopus) se gerat cum illis, prout cum caeteris suis dioecesanis sese gerere debet " (*S. C. super Statu Regul., 2 Ian. 1860*). — I An et quomodo Episcopus Tarvisinus admittere possit alumnos Instituti Presbyterorum *a charitate* (simplicia vota habentium) ex fide Superioris domus declarantis eosdem alumnos adscriptos esse eidem domui, vel potius necessariae sint litterae dimissoriae et testimoniales Episcopi originis, seu domicilii, iuxta formam C. Innoc. XII, quae inc. *Speculatores ?* 2. An et quomodo idem dici debeat, quoad alumnos iam promotos ad tonsuram vel ad aliquem ordinem ? 3. An et quomodo, haud obstante promissione obedientiae Episcopo facta in s. Ordinatione, liceat Superioribus Instituti transferre eosdem alumnos in aliam provinciam, quin venia a dicto Episcopo petetur ? 4. An in casu egressus ab Instituto per dimissionem, aut dispensationem, iidem alumni subiiciantur iurisdictioni Episcopi dioecesis, in qua sita est domus cui adscripti sunt, vel potius illi Episcopo, cui subiecti erant priusquam Instituto adscriberentur ? — R. Ad 1um Negative, ad 1^{am} part.; affirmative ad 2^{am}. Ad 2um Affirmative in omnibus. Ad 3um Superiorem Provincialem posse libere uti facultate transferendi alumnos provinciae iuxta Constitutiones a S. Sede approbatas. Ad 4um Negative ad 1^{am} part.; affirmative ad 2^{am} " (*S. C. EE. et RR., 6 Maii 1864, Bizzarri*).

877. — III. Possunt privata de causa *SS. Sacramentum exponere,* dummodo e tabernaculo non extrahatur, et ita velo sit tectum ut ipsa Sacra Hostia videri non possit.

878. — IV. « *Non potest Episcopus generatim prohibere Regularibus quin in Ecclesiis suorum Ordinum praedicent. Sine rationabili causa contradicere non debet...* Religiosi qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque absque limitatione temporum, locorum aut personarum in dioecesi propria sunt admittendi. Confessiones audiendi facultas omnibus simul unius conventus Regularibus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus potest » (Huguenin).

879. — V. *Suspendi ergo nequeunt omnes simul unius conventus Confessarii inconsulta S. Sede.* Etenim S. C. EE. et RR., die 20 Nov. 1615 decrevit: « Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos Confessarios approbandi ius spectat, Confessarios Regulares, alias ab ipsis libere approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posthac minime licere, nisi ex nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo facto adimere posse. Quod quidem Decretum ut iidem Illustrissimi Patres opportunum, et necessarium duxerunt, ita inviolabiliter iubent observari » (*Anal. O. M. C.*, II, 166).

880. — **Parochus impedire nequit** ne novus erigatur conventus, ne Regulares Missam ante parochialem celebrent vel hora parochi praedicent; ne fideles prae-

cepto Missam audiendi satisfaciant in Ecclesiis Regularium; ne Regulares Eucharistiam distribuant, excepto die Paschali; ne Regulares approbati per integrum annum confessiones etiam infirmorum audiant (Huguenin).

Art. V. De observantia, electionibus et variis.

881. — **Observantia regularis.** — Prae oculis semper habeant omnes regulares, eorum praesertim moderatores, hoc Concilii Tridentini decretum: « Quoniam non ignorat Sancta Synodus, quantum ex Monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, praecipere, prout hoc decreto praecipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant; atque in primis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent: omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus et Provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur » (sess. 25, cap. 1, *de Regular.*).

882. I. Primus S. Benedictus, mutandae Regulae licentiam coercuit, adempta Monachis libertate deserendi Institutum quod semel susceperant; atque constat

eum vel primum, vel inter primos fuisse, qui professionis formam modumque praescripsit (Mabillon, ap. Devoti).

883. — II. Prohibetur ne quis Regularis sine sui Superioris licentia praedicationis, vel lectionis, aut cuiusvis pii operis praetextu, subiiciat se obsequio alicuius praelati, principis, vel universitatis, vel communitatis, aut alterius cuiuscumque personae, seu loci, neque ei aliquod privilegium, aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur. Quod si contra fecerit tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.

884. — III. Nec licet Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi; nisi ab eis missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

885. — IV. Cum hominum fragilitas tanta sit, ut ab iis, quae constituta sunt sensim recedant, haec in praxi exequenda Regularibus mandantur, ut fervor in regulari disciplina conservetur. Nullus frater praetextu cuiusvis privilegii eximatur a choro, nec nisi actu legat aut praedicet, utatur privilegiis sui gradus.

886. — V. Lectio Sacrae Scripturae, vel casuum bis per hebdomadam habeatur.

887. — VI. Nemo quidquam proprii habeat; cibus aeque omnibus; omnia percepta, et expensa pro monasterio scribantur, sed nullus Superior conventus administret bona monasterii, verum alius frater eligatur in administratorem.

888. — VII. Nullus Superior audeat declarare quae decretis Conciliorum circa Regulares sunt ordinata.

889. — VIII. Numerus fratrum sit talis in quolibet conventu, qui possint ali ex redditibus aut eleemosynis; Clausura servetur, cui ianitor praesit.

890. — IX. Superior habeat claves omnium cellularum, et lampas in medio dormitorii tota nocte ardeat; omnes habeant cellas in communi dormitorio; fenestrae respicientes in viam ita obstruantur, ut prospectus impediatur; in quolibet conventu sit infirmaria; et nullus exeat e conventu nisi gravi de causa, et de licentia Superiorum; et nullus ad Urbem accedat, nisi habita licentia a Generali vel Cardinali protectore; degentes extra claustra quamprimum ad illa revocentur.

891. — X. Nullus admittatur ad habitum, nisi in conventibus a Pontifice statutis.

892. — XI. Nullus munera accipiat, sive largiatur [1]: ambitus honorum tollatur.

[1] " Quare, ne ex muneribus... gravia incommoda etiam boni specie existant, praecavere studentes... Regularibus personis utriusque sexus omnem, et qualemcumque largitionem et missionem munerum penitus interdicimus... Praeterquam leviora esculenta, aut poculenta seu ad devotionem vel religionem pertinentia munuscula.. tradenda... Nisi reipsa pro divino cultu et veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc charitatis ordine, et habita necessitatis ratione, de consilio et consensu superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis... Declarantes tamen per haec laudabilem, et apostolica doctrina, sacrisque canonibus commendatam hospitalitatem, praesertim erga pauperes et peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi... Pari etiam ratione districte inhibemus ne quisquam... quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiat... Quod si quicquam receperit, id quod acceperit suum non faciat... Verum ipso facto... ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneatur; adeo ut, restitutione ipsa realiter non facta,

893. — XII. Nemo admittatur ad lecturas, ad praedicationem, ad confessiones audiendas, et ad Ordines nisi prius examinetur a Superioribus. Inobedientes pro gravitate inobedientiae a Generali et a Superioribus puniantur.

894. — XIII. Fratres regulares monentur in virtute sanctae obedientiae, ut Episcopos loco sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita Apostolicae Sedis reverentia congruo honore et convenienti observantia revereantur; hortantur vero Episcopi, ut fratres regulares affectu benevolo prosequentes charitative tractent et benigne foveant.

895. — XIV. Demum uterque Clerus saecularis scilicet et regularis, eorumque Moderatores, audiant haec verba Concilii Viennensis, quae in corpus iuris canonici (Clementin., lib. 5, tit. 6) relata sunt, quaeque fere ex integro habentur in Encyclica Pii IX, *Ubi primum*, 16 Iun. 1847: « Quia una est regularium

neque etiam in foro conscientiae absolvi possit... Hanc autem restitutionem fieri volumus ei monasterio, domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem religiosus donans professionem emisit... „ (Clemens VIII, C. *Religiosae Congregationes*, XIII Kal. Iul. 1594). — " Declarat munera a religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiae, eiusque conservationis erga ipsam religionem vel conventum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus, modeste tamen ac discrete, et dummodo id non fiat, nisi de superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu maioris partis conventus, si talis consensus... (in ea religione) requiratur „ (Urbanus VIII, C. *Nuper a Congregatione*, 16 Oct. 1640).

et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum, universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una fides et unum Baptisma, decet, ut omnes qui eiusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti. Decet igitur, ut praelati et alii, tam exempti quam non exempti, suis iuribus sint contenti, et alter in alterius iniuriam non prosiliat seu iacturam».

896. — **Electiones.** — I. Regulares nec voce activa, nec passiva fruuntur. nisi collocati de familia in aliquo Conventu per tres menses immediate proximos Capitulo celebrando ibidem perpetuo permanserint [1].

897. — II. Non licet Provincialibus absentium suffragia in electionibus supplere. Neque permittere, ut praeses parvi conventus (hospitii) ius suffragii habeat. Neque supplere per alium vocem Guardiani *a civili potestate* interdicti. — Consuetudo aut praescriptio non potest efficere, ut ratae et validae sint electiones quae

[1] Professi votorum simplicium non habent ius ferendi suffragium pro admissione ad professionem votorum simplicium *S. C. sup Statu Regul., 20 Aug. 1875*) : a fortiori excluduntur a ferendo suffragio pro receptione ad vota solemnia (*ead. S. C., 7 Feb. 1862*). Item excluduntur a Praelatura seu superioritate: " Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato Decreto, quoad iura tam gratiarum et privilegiorum, quam vocis activae et passivae professis votorum solemnium aequiparantur, ut professi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant? Sacra Congregatio E.morum ac R.morum S R. E. Cardinalium super Statu Regularium, omnibus mature perpensis, super praemissis censuit rescribendum: *Negative* " (*16 Ian. 1891*).

contra formam decreti Tridentini factae fuerint. — Constat ex decr. S. C. 11 Martii 1836, in una *Ord. Min.*

898. — III. Cavit item Concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 7, *de Regular.*, ne ABBATISSAE, aut Priorissae, aliaeve Monialium Praefectae crearentur, nisi *quadragenariae*, et quae octennium saltem religiosae professionis expleverint: iussitque ut Episcopus, aut qui eius mandato Monialium electionibus praeest, secreta Monialium suffragia e fenestrella colligeret, nec claustra ingrederetur.

899. — IV. *Dispositio Tridentini ad evitandas discordias et inimicitias in Religiosos facta, sustulit formam* INSPIRATIONIS ET COMPROMISSI, dum fiunt per vota publica: si tamen *compromissum more scrutinii* fiat per vota secreta, non est sublatum per Tridentinum, cum idem finis obtineatur.

900. — V. *Confirmatio ab immediato Superiore petenda est.*

901. – VI. BENEDICTIO ABBATUM *characterem Ordinis non imprimit*, et ferme in eo tantum consecrationem sequitur, quod iteranda non sit, etiamsi Abbas ad alterius Monasterii regimen eligatur.

902. — VII. ABBATISSAE *quoque nonnullorum Monasteriorum benedici* solent per sacram caeremoniam, in qua Episcopus orat ut Abbatissa electa Monialibus sibi creditis pie sancteque invigilet. *Si Abbatissae benedici solitae infra annum a die confirmationis suae benedictionem petere negligant*, excidunt omni iure quod consequutae fuerant (Clement., 2ª de Statu Monac. et Canonic. Regul.). *Sed Abbatissis in Moniales et Clericos Monasterio addictos nulla est iurisdictio spiritualis, ad quam accipiendam foeminae non sunt idoneae:* tantummodo quidquam vetare possunt au iubere, monere et corrigere, quod passim tradunt Inter-

pretes ad caput *Dilecta* de Maiorit. et Obedient. — Cfr. Soglia, etc.

903. — **De Confessariis.** — I. Non licet confessariis Regularibus Superiori exhibere nomina suorum poenitentium. Ad dubium enim: « An liceat ut confessarii singuli exhibeant Superiori nomina eorum, qui ad suos pedes gratia sacramentalis confessionis accedunt? » — S. Cong. Concilii respondit: « Non licere. Die 26 Martii 1678 » (*Anal. O. M. C.*, I, 339).

904. — II. Mandatum S. Congr. de immutandis quolibet triennio Sanctimonialium Confessariis, approbante Gregorio XIV latum, et deinde pluries innovatum, ex gravibus rationum momentis repetendum est, ideoque illius observantiam S. C. sedulo, diligenterque semper curavit. Sed cum aliquando ex peculiaribus rerum adiunctis evenire possit, ut confirmatio ad aliud triennium non solum utilis, sed necessaria sit, hinc eadem S. C. audito Ordinario, et Sanctimonialibus capitulariter per segreta suffragia, in casibus particularibus confirmationem indulget ad secundum, ac etiam ad tertium triennium, ea tamen conditione, ut pro confirmatione ad secundum triennium consensus duarum ex tribus partibus Monialium concurrat, et pro confirmatione ad tertium triennium omnium consensus accedat. Ordinarius vero de probitate vitae, et prudentia Confessarii referre debet, et S. C. certiorem facere de necessitate, vel saltem utilitate confirmationis (Bizzarri).

905. — **Super appellationibus Regularium.** — Ex audientia SS.mi, die 6 Iulii 1754, Sanctitas Sua, plaudentibus omnibus Religionum Superioribus mandavit quod in recursibus Regularium adversus obedientias suorum Superiorum semper rescribatur: Pareant et deinde recurrant, ad formam cap. *Reprehensibilis*, de

appellationibus: « Praecipue vero hoc in Religiosis volumus observari, ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Praelati sui et capituli disciplinam appellare praesumant, sed humiliter ac devote suscipiant quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum ». Et ad formam cap. *Ad nostram*, de appellationibus, ibi: « Mandamus quatenus, si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum iuxta tenorem mandati quod in praedicta regula continetur et institutionem Ordinis, corrigas et castiges ». Die 11 Iunii 1754.

906. — **Transformatio conventuum in hospitalia tempore contagii.** — *Dubium.* Utrum ad consulendum saluti publicae in iis locis in quibus morbus contagiosus irrepserit, annuendum sit magistratibus una cum Episcopis petentibus facultatem utendi domibus religiosis, ut in eis hospitalia constituantur? — In congregatione sub die 24 Augusti 1835, rescriptum fuit affirmative, dummodo non adsit alius locus idoneus pro hospitalibus constituendis, et designentur aliae domus eiusdem vel alterius Ordinis, in quibus Religiosi durante necessitate recipiantur. Ex audientia SS.mi, die 24 Augusti 1835: SS.mus audita relatione Cardinalis Praefecti S. C. Episcoporum et Regularium, resolutionem eiusdem S. C. benigne adprobavit et confirmavit.

907. — **Censurae.** — *Decretum.* — In causa Bosanen. praetensarum censurarum vertente inter fratrem Ioannem Franciscum Pinnam, Guardianum conventus Minorum de Observantia oppidi S. Luxorii ex una, et promotorem fiscalem curiae Bosanensis, partibus, ex altera, de et super infrascriptis dubiis nempe: — 1. An Regulares Minores Observantiae oppidi S. Luxorii teneantur associare Episcopum una cum clero saeculari

processionaliter cum cruce in actu visitationis? et quatenus affirmative: — 2. An Episcopus possit eosdem cogere ad eamdem associationem sub poenis censurarum? — 3. An censurae latae contra patrem Guardianum eiusdem conventus substineantur, in casu? et quatenus affirmative: — 4. An idem pater Guardianus ob celebrationem Missae et administrationem Sacramentorum remanserit irregularis in casu? — S. Congregatio E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, partibus ipsis auditis, referente E.mo Grimaldo, censuit respondendum in omnibus: *Negative.* Romae, 25 Septembris 1711.

908. — **Collectae imperatae. Interdicta. Campanae.** — In Ecclesiis Regularium aliisque Ecclesiis exemptis recitandae sunt Collectae ab Ordinario loci praescriptae quin Clero earumdem liceat ab iis recitandis cessare, antequam Ordinarius iusserit (*S. R. C., 3 April. 1821*). Censurae insuper et Interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur. Dies etiam festi, quos in Dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur. (*Conc. Trid. S. XXV, c. 12, Decr. de Regul.*). Iubente denique Ordinario, ut quibusdam solemnitatibus vel aliquo peculiari casu sonus aeris campani omnium ecclesiarum edatur, Ecclesiae Regularium aliaeque quantumvis exemptae eius mandato parere tenentur (*S. R. C., 3 April. 1821*).

909. — **Canonici.** — Canonicis capitulariter accedentibus ad Ecclesias Regularium, apponi debet pannum in scamno, quando sunt in habitu canonicali (*S. R. C., 21 Iul. 1635*).

910. — **Processiones.** — Regulares sub propria cruce incedere possunt. Constat ex plurimis decretis S. Sedis. Idque solemniter declaratum fuit a Paulo V pro Minoribus Capuccinis per Litt. Apost. *Pastoralis officii*, 12 Octobris 1617, ubi decernitur « *quod ubique locorum in publicis Processionibus huiusmodi Crucem propriam... deferre possint et valeant* » (*Bull. Cap.* I, *p.* 60). Et Urbanus VIII declarationem S. R. C., qua decernitur Capuccinos in processionibus sub propria cruce incedere posse, contra Cleri loci N. oppositionem Apostolicae firmitatis robore confirmavit per Litt. Apostolicas *Exponi Nobis*, 30 Aug. 1631. (*Bull. Cap.* III, *p.* 109).

911. — **Iura Parochialia.** — *Decretum Aquen. Iurium Parochialium.* — Aegre ferens Ioannes Franciscus Stranius, modernus praepositus et parochus loci Incisae, quosdam praetensos abusus fuisse invectos a PP. Carmelitis eiusdem loci in praeiudicium suorum iurium parochialium, ad hanc Sac. Congregationem recursum habuit: a qua de more requisita informatione Episcopi, Vicarius Generalis illius iuxta relationem Parocho usquequaque favorabilem in summario exhibendam, transmisit; quocirca infrascripta dubia concordata, partibus hinc inde scribentibus, resolvenda EE. VV. proponuntur, una cum alio dubio, quod est ultimum nuper concordatum occasione, quod quum PP. obedire detrectaverint Episcopi edicto prolato, uti praetenditur, pendente lite in hac S. Congregatione, demandanti, ut in funeribus accederent ad Ecclesiam parochialem ad levandam crucem, eorum tres fuerunt a confessionibus audiendis suspensi, super quibus informans Episcopus eadem confirmat, et conqueritur eosdem tres Patres suspensos statim post declarationem, cum spretu, licet semel tantum, audivisse confessiones. Quapropter ex

utrinque deducendis humiliter postulant partes ipsae declarari :

1. An PP. Carmelitae in Rogationibus possint ad processionem accedere sine cappis albis ? [1]. — 2. An in solo numero duorum religiosorum cruce praecedente? — 3. An teneatur Praepositus, qui est etiam parochus, in publicis generalibus processionibus fieri consuetis, monitos facere dd. Patres, ut ad processionem accedant et quomodo? - 4. An iidem PP. possint libere quaestuare in diebus hebdomadae sibi benevisis, absque restrictione alicuius diei? - 5. An possint eamdem quaestuationem facere pro confraternitatibus in eorum ecclesia erectis ? — 6. An possint in d. ecclesia pro dd. confraternitatibus exponere SS.mum Eucharistiae Sacramentum, occasione Novenae SS. Natalis et Quadraginta Horarum, in diebus sibi benevisis, sine licentia Ordinarii? — 7. An easdem expositiones facere possint pro eorumdem Regularium devotione? — 8. An possint benedicere sponsos cum licentia parochi? vel sine? — 9. An iidem Patres audientes confessiones infirmorum, teneantur ante, vel post dictam confessionem, illam parocho notificare? — 10. An possint in propria ecclesia mulieres post partum benedicere, et ad purificationem admittere ? — 11. An vocati possint se conferre ad benedicendam febrem cum reliquia Sancti Alberti ? — 12. An vocati ad associandum defunctorum cadavera, prius convenire debeant ad Ecclesiam parochialem, cum eorum cruce, et deinde se conferre ad domum defuncti? et quatenus negative: — 13. An ad eumdem effectum sub qua cruce, et in quo loco dd. Patres expectare debeant parochum, et alios exequiis in-

[1] Cappa alba quoad Carmelitas pertinet ad habitum *choralem*, ac proinde adhibenda in processionibus.

tervenientes? — 14. An possint dare signum, et celebrare Missam in diebus festivis eodem tempore, vel antequam detur signum et celebretur Missa parochialis? — 15. An Praepositus habeat ius interveniendi in redditionibus rationum faciendis per confraternitates laicorum in ecclesia dd. Patrum erectas? — 16. An eisdem Patribus Carmelitis liceat processiones facere extra propria claustra, seu districtum, et intra limites parochiae, invito parocho? et quatenus negative: — 17. An eisdem Patribus liceat intra propria claustra, seu districtum, per loca consueta facere processionem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo occasione suae festivitatis, petita tamen licentia a parocho, licet non obtenta? — 18. An Patres suspensi sint reintegrandi ad audiendas confessiones sacramentales in casu, etc.? — Diebus 19 Maii et 9 Iunii 1708, S. Congregatio E.morum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit: — *Ad primum* « Negative ». — *Ad secundum* « Negative ». — *Ad tertium* « Affirmative, sive per nuntium, sive per schedulam ». « *Ad quartum* « Affirmative ». — *Ad quintum* « Negative ». — *Ad sextum* « Negative ». - *Ad septimum* « Negative ». — *Ad octavum* « Posse cum licentia tamen parochi, et amplius non proponi mandavit ». — *Ad nonum* « Affirmative ad formam constitutionis Clementis X ». — *Ad decimum* « Affirmative ». — *Ad undecimum* « Affirmative ». — *Ad duodecimum et ad decimum tertium* « In casu de quo agitur, posse convenire etiam in Ecclesia viciniori domui defuncti, et in tumulatione cadaveris sub cruce Ecclesiae tumulantis ». — *Ad decimum quartum* « Affirmative ». — *Ad decimum quintum* « Negative ». — *Ad decimum sextum* « Negative ». — *Ad decimum septimum* « Affirmative ». — *Ad decimum octavum* « Affirmative ».

912. — **Varia.** — I. Diaconissae. — 1° Nonnisi viduis unius viri, quam iam erant aetate provectae, inter Diaconissas dabatur locus. 2° *Munera earum erant Sacerdoti foeminas baptizanti praestare operam*, ut sexus pudori consuleretur ea aetate, qua Baptismus per immersionem conferebatur, catechumenas ad rem christianam domi instituere, foeminas aegrotas invisere, opem ferre martyribus et confessoribus carcere detentis, cum ad eum Diaconis aditus non patebat, stare ad ianuas, per quas mulieres ecclesiae navem ingrediebantur, et suum in ea locum cuique tribuere. 3° His muneribus addicebantur Diaconissae per manuum impostionem, quae tamen non Sacramentum erat, sed Ecclesiae caeremonia, ad instar benedictionis, quam mulieres illae accipiebant (Devoti, Cfr. Bona, *rer. lit.*).

913. — *Coenobium* differt a *Laura*. Coenobium est idem cum conventu. Laura est solitudo cum multis cellis *separatis*. — Anachoreta derivatur a graeco *anachoreo*, separari; Eremita a graeco *eremos*, solitudo; Monachus a *monos*, solus, et *echo* habere; Coenobita a *coinos*, communis, et *bios*, vita. — Unusquisque Ordo, ait Scavini, suum locum elegit iuxta propriae vocationis indolem:

Bernardus valles, colles Benedictus amabat.
Oppida Franciscus, magnas Ignatius urbes.

914. — *Quatuor tantum sunt praecipuae monachales Regulae*, scilicet S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti et S. Francisci, sub quibus omnes monachorum Ordines militant, licet quidam habeant constitutiones particulares, ut Minimi et Carthusiani. — Cfr. Reiffenstuel, tit. de Regul., n. 34.

915. — *Foemina straba, clauda, gibbosa*, etc., potest licite et valide professionem emittere et inter

moniales admitti: quia decor filiae Regis ab intus. Duae tantum sorores possunt in eodem monasterio recipi, secus recurratur ad S. Sedem. Cfr. C. Ferrari... — VISITATIO Monialium fit cum assistentia quatuor sororum, dum reliquae in choro consistunt, sed visitatio spiritualis peragitur ad crates [1].

916. — **Nota.** — Multa alia dicenda occurrunt de Regularibus, quae tamen in libris de Iure Canonico in genere, brevitatis causa omitti debent, remittendo lectores ad Canonistas Iuris Regularis in specie. In dubiis occurrentibus. Cfr. Piat *Praelect. Iur. Regul.*, Pallottini, Bizzarri, etc.

ART. VI. De Monialibus speciatim (seu de mulieribus relig. vot. solemnium).

917. — **Regula.** — Apostolicae Sedis potestati reservatur facultas regulis a Sancta Sede approbatis aliquid addendi, aut detrahendi, aut aliquam quacum-

[1] *Episcoporum auctoritas quoad clausuram Monialium* — Sub die 16 iulii 1884, dubia sequentia proposita fuerunt diluenda S. Congregationi Episc. et Regul., nimirum: — I. An Episcopus, auctoritate propria, permittere valeat, ut recipi possint in Monasteriis clausurae subiectis, mulieres quae ingredi cupiunt veluti *pensionariae?* — II. Pariter potest Ordinarius, auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum, monialem aliquam de uno ad aliud Monasterium transferre, etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa? — III. Potestne tandem Ordinarius, auctoritate propria, transferre aliquam monialem quando eadem electa fuerit in Superiorissam alterius monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem eiusmodi cum hoc munere? — Sacra Congregatio Em.rum Cardinalium negotiis Episcoporum et Regula-

que ex ratione variationem afferendi. Ideoque haud tolerandum est, ut huiusmodi regulae typis edantur vel referantur quomodolibet mutatae; sed prout iacent, de verbo ad verbum, absque vel minima variatione, referri et, secluso speciali privilegio apostolico, servari debent. Constat ex variis S. C. EE. et RR. declarationibus.

918. — **Clausura.** — Trid., sess. 25, cap. 5, de regular. decrevit: « Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit *Periculoso*, renovans Sancta Synodus, universis Episcopis, sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, praecipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores, per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis ».

919. — Fundatores non possunt eorumdem clausuram ingredi, nec a monialibus recipi, nisi in Litteris Apostolicis erectionis id expresse caveatur, vel nisi obtinuerint speciale indultum Sanctae Sedis.

920. — NUMERUS MONIALIUM in unoquoque monasterio debet esse saltem duodecim. Nec numerus monialium potest esse maior numero cellarum. In praefixione autem numeri, distingui debent separatim, quot debeant esse moniales velatae, quot conversae, et quot aliae personae externae monasterii reditibus sustentandae.

rium praeposita, super praemissis precibus, die 16 Iulii 1884 mandavit rescribi: " Negative in omnibus " (*Anal. O. M. C.*, I, 130).

Et numerus conversarum ita computatur, ut una pro tribus quibuslibet monialibus praefiniatur (S. C. EE. et RR. pluries).

921. — Vita communis est regularis disciplinae fons omniumque claustralium virtutum praesidium. Episcopi prae oculis habeant decretum S. C. Concilii in « Vallisoletana », a. 1601, in quo dicitur: « Regularibus, sive viris sive mulieribus, non licere quidpiam proprium possidere, sed quidquid acquisiverint, et ex donatione vel eleemosyna a parentibus vel aliunde obtinuerint, recta ad manus Superioris esse deferendum, qui prius prospicere debebit necessitatibus illius, cuius opera vel contemplatione partum fuerit, et reliquum in totius monasterii usum convertere ». Circa modum instaurandae vitae communis, attendant normas, quas tradit Benedictus XIV, *de Syn.*, libro 13, c. 12.

922. — **De ordinatione religiosorum et de professorum votorum simplicium eiectione** *(respicit ex parte etiam regulares proprie tales).* — « Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus, et consequens ex iure constituto regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia, qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli sacri locorum antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SS.mus D. N. Leo PP. XIII detulisset sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae,

E.mi Patres in conventu plenario habito in Vaticanis Ædibus die 29 mensis Augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in audientia die 23 Septembris huius anni 1892 infrascripto secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum Apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

923. — « I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 Octobris anni 1568, incip. *Romanus Pontifex*, et declaratione s. m. Pii PP. IX edita die 12 mensis Iunii anni 1858, quibus superioribus ordinum regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad instituta votorum simplicium, ita ut horum institutorum superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo mensae communis, vel missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis constitutionibus contentis, etsi tales constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

924. — « II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad maiores

Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus instituto votorum simplicium sit addictus. Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros Ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium; quoad instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi instituti constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

925. — « III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii iussu s. m. Urbani VIII, edito die 21 Septembris 1624, incip. *Sacra Congregatio*, ac in decreto eiusdem S. C. iussu s. m. Innocentii XII, edito die 24 mensis Iulii anni 1694, incip. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a superioribus Ordinum regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam superioribus institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo: ita ut horum neminem, et ipsi dimittere valeant, ut nunc, dictum est nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum

concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem instituti religiosum, exhibere valeat: quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, superior, seu tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi instituti ex officio constituere debebit. Post haec superior cum suo consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debet ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

926. — « IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium in sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

927. — « V. Qui in sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quo-

vis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

928. — « VI. Professi, tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo. Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus. — Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 Nov. 1892 ».

929. — **Dubia circa praecedens decretum « Auctis admodum ».** — « 1° Utrum haec verba decreti *Auctis admodum*, « Episcopum benevolum receptorem invenerint et de patrimonio ecclesiastico sibi providerint », ita collective sint intelligenda, ut ad tollendam suspensionem ambo sint necessaria, nempe, et Episcopum benevolum receptorem invenire, et patrimonium ecclesiasticum constituere, vel sufficiat tantum Episcopum benevolum receptorem invenire? — 2° Utrum haec verba, quae in n. V leguntur « secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum, ita sint sumenda, ut religiosus, qui obtenta apostolica licentia claustro exierit, quin prius Episcopum benevolum receptorem invenerit vel de patrimonio ecclesiastico sibi providerit, sit suspensus tantum donec Episcopum benevolum receptorem inveniat et patrimonium ecclesiasticum sibi constituat, vel sit suspensus donec ab Apostolica Sede suspensio tollatur, invento Episcopo benevolo receptore et patrimonio ecclesiastico consti-

tuto? — R. Ad 1. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. — Ad 2. Affirmative pariter ad primam partem; Negative ad secundam » (S. C. EE. et RR., 20 Nov. 1895).

930. — **Vota simplicia ante solemnem monialium professionem, iuxta recens decretum « Perpensis ».** — « I. In omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque Ordinis seu Instituti, in quibus vota solemnia emittuntur, peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et legum Ordinis seu Instituti a S. Sede approbatarum, novitiae vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Concilio Tridentino statutam vel aliam maiorem, quae forsan a Constitutionibus proprii Ordinis vel Instituti a S. Sede approbatis requiratur.

931. — II. Huiusmodi professae post expletum triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si dignae reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur: sublata cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret ac nullius effectus.

932. — III. Firma tamen in suo quoque robore manere declarantur indulta a S. Sede iam impertita, quorum vi, nonnullis in locis seu Institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit.

933. — IV. Praeterea ex iustis et rationabilibus causis, de quibus tum monasterii Superiorissa tum novitiarum Magistra fidem scripto facere debent, poterit Ordinarius pro monasteriis suae iurisdictioni subiectis et Superior Generalis seu Provincialis pro monasteriis, quae

exemptionis privilegio gaudent, indulgere, in casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum.

934. — V. Vota simplicia, uti praefertur, emissa perpetua sunt ex parte voventis; et dispensatio super iisdem Romano Pontifici reservatur.

935. — VI. Professae istiusmodi votorum simplicium fruuntur et gaudent iisdem indulgentiis, privilegiis et favoribus spiritualibus, quibus legitime fruuntur et gaudent professae votorum solemnium proprii cuiusque monasterii; et quatenus morte praeveniantur ad eadem respective suffragia ius habent.

936. — VII. Eaedem tenentur ad observantiam regularum et constitutionum non secus ac solemniter professae; itemque tenentur choro interesse: quatenus vero legitime impediantur quominus choro intersint, ad privatam officii divini recitationem non obligantur.

937. — VIII. Tempus a constitutionibus cuiuslibet Ordinis seu Instituti praescriptum ad *vocem activam* et *passivam* assequendam a die emissionis votorum simplicium computatur: verumtamen professae votorum simplicium nunquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in capitulis in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem; eaeque deputari quidem poterunt ad minora coenobii officia; sed ad munia Superiorissae, Vicariae, Magistrae novitiarum, Assistentis seu Consiliariae, et Oeconomae eligi nequeunt.

938. — IX. Potiores iure, utpote seniores, censentur quae prius vota simplicia nuncupaverint; ita tamen ut quaecumque, iuxta superius dicta, professionem solemnem ultra triennium distulerint, loco interim cedant etiam iunioribus solemniter professis, rece-

pturae iterum iura ratione prioris professionis quaesita ubi primum vota solemnia et ipsae emiserint.

939. — X. Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

940. — XI. Professae votorum simplicium retinent *radicale* suorum bonorum dominium, de quo definitive disponere non poterunt, nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem, ad normam S. Concilii Tridentini, *sess. XXV, de Regul. et Monial. cap. XVI.* — Omnino vero interdicta ipsis est eorumdem bonorum administratio, nec non quorumcumque redditüum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini seu monasterio, quatenus ex huius parte nihil obstet et ipsae plena libertate id opportunum existimaverint. — Quod si durante tempore votorum simplicium alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium radicale acquirunt, sed administrationem usumfructum et usum cedere quamprimum debent ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale nisi duos menses proximos ante professionem solemnem.

941. — XII. Ad dimittendas e monasterio praefatas votorum simplicium professas, recurrendum erit, in singulis casibus, ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur.

942. — XIII. Sorori professae votorum simplicium a monasterio discedenti sive ob votorum dispensationem a Sancta Sede Apostolica impetratam, sive ob decretum

dimissionis ut supra emissum, restituenda erit integra dos quoad sortem, exclusis fructibus. — S. C. quaecumque superius praescripta, declarata ac sancita sunt ab omnibus, ad quos seu quas spectat, ex obedientiae praecepto servari et executioni demandari districte iubet, non obstantibus contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, quibus ad praemissorum effectum a *Sanctitate Sua* specialiter et plene derogatum esse declarat ». (Decr. S. C. EE. et RR. *Perpensis*, 3 Maii 1902).

943. — **Declarationes circa praecedens decretum « Perpensis »**. I. « Professae votorum simplicium ad recitationem divini officii extra chorum non tenentur ». (S. C. EE. et RR., 28 Iul. 1902).

944. — « II. Capitulum pro admittendis monialibus ad professionem solemnem habet votum mere consultivum. In eo locum quoque fieri posse discussioni super qualitatibus candidatae; scrutinium vero per secreta suffragia peragendum esse. Porro, si omnia vel pleraque suffragia contraria forent admissioni ad solemnem professionem, ita ut attento etiam art. IV ipsius Decreti ageretur de dimittenda Sorore a monasterio res subiicienda esset iudicio S. Sedis, ad quam proinde Ordinarius, vel pro monasteriis exemptis Praelatus Regularis distinctam omnium relationem transmittet » (S. C. EE. et RR., 18 Iul. 1902).

945. — III. « S. C. EE. et RR. Decr. *Perpensis temporum adiunctis*, 3 Maii 1902, praescriptum est, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus emittuntur vota solemnia, his praemittantur a novitiis simplicia quoque vota; porro eiusdem S. C. Responso dato in una *Bononiensi* 28 Iulii 1902, resolvitur: Ritum seu caeremoniale, in unoquoque Monasterio receptum, adhibendum esse in emittenda prima professione, pro qua

consuetae formulae suppressis, si adsint, verbis solemnitatem (votorum) exprimentibus, adiiciatur novitiam nuncupare vota simplicia, iuxta Decretum a S. C. EE. et RR., 3 Maii 1902, editum: professionem autem secundam emitti posse privatim in choro seu oratorio interiore coram communitate in manus Superiorissae, praevia approbatione Ordinarii seu Praelati Regularis quoad Monasteria exempta. Sancitis igitur: in prima simplicium votorum professione ritum receptum, suppressis solum verbis solemnitatem votorum exprimentibus, esse adhibendum, atque secundam solemnium votorum professionem posse emitti privatim, haec dubitatio mihi movetur. — 1. Sitne Ordinarii vel, quoad Monasteria exempta, Praelati Regularium, audito Superiorissae voto, decernere ut secunda quoque professio fiat coram Ordinario vel Ordinarii commissario? — 2. Quod caeremoniale sit adhibendum in secunda professione, si privatim coram Superiorissa fit, quodque adhibendum, si publice fit coram Ordinario eiusve commissario? — 3. Utrum et quo modo in casu posteriori manendum in actionibus symbolicis: benedictione ac traditione veli, annuli, coronae, quae hucusque in ritu solemnis professionis adhibebantur, et ad mentem decreti *Perpensis temporum adiunctis*, posthac iam in prima votorum simplicium professione in usu erunt? — R. Ad 1. Affirmative, dummodo Superiorissa et Communitas postulent, ut professio, de qua agitur, publice fiat. — Ad. 2. In utroque casu secundae professionis requiritur tantummodo, ut Professa proferat formulam professionis, adhibitis verbis solemnitatem votorum exprimentibus. — Ad 3. Provisum in 2° » (S. C. EE. et RR., 15 Ian. 1903).

ART. VII. De Institutis Votorum Simplicium.

946. — **Praenotandum.** — I. « Ne in Ecclesia Dei, sub specie maioris boni vel praesentis necessitatis, aliquid periculi vel incommodi suboriatur, iuxta mentem Concilii Tridentini, nulla nova religiosa Congregatio, sive virorum, sive mulierum, in nostris Provinciis, absque Ordinarii licentia et expresso consensu, ac nisi omnibus mature perpensis, propter evidentem animarum utilitatem, instituatur. Quo in casu Ordinarius curet totis viribus, ut nova Congregatio nihil in suis legibus admittat, nihilque ad praxim deducat, quod a legibus, monitis ac mente Sanctae Sedis quomodolibet declinet. Quare prae oculis habeantur Constitutiones a Sancta Sede probatae et decreta ac animadversiones S. C. Episcoporum et Regularium, quae habentur in « Collectanea » eiusdem S. Congregationis. Meminerint tandem Ordinarii, postquam sua in Dioecesi Institutum aliquod approbaverint, illud nunquam, sive a se sive ab alio, ordinaria auctoritate posse supprimi, quatenus scilicet id speciem aliquam alienationis praeseferat, et ideo Apostolicum Beneplacitum requirat » (Ita Conc. Plen. Am. Lat., art. 322).

947. — II. Unde prohibet « vota quae, inscio aut non approbante Episcopo, edantur a quibuscumque fidelibus, tamquam membris alicuius Congregationis votorum simplicium: salvis tamen privilegiis a Sancta Sede alicui Instituto concessis. Scitum vero sit, vota « simplicia », quae in Institutis huius generis, etiam ab Apostolica Sede approbatis, sive « ad tempus » sive « in perpetuum » nuncupantur, semper fore et manere « simplicia » ac nunquam solemnia esse evasura. Attamen, cum haec vota non sint private simplicia, dispensari nequeunt ab illis, qui generalem li-

centiam obtinuerunt dispensandi a votis reservatis ». (Id., art. 323).

948. — Et addit: « Cum in Congregationibus, in pluribus dioecesibus propagatis, quarum Constitutiones nondum subiectae fuerunt examini, correctioni et approbationi Sanctae Sedis, passim nonnulla bona fide peragantur, quae a legibus et mente ipsius Sanctae Sedis aliena existunt, volumus ut, servatis de iure servandis, Congregationes huiusmodi, quae iudicio Episcoporum in bonam spem Ecclesiae crescunt, statuta sua Sedis Apostolicae iudicio subiiciant et approbationem implorent. Immutatio Constitutionum, semel approbatarum a Sancta Sede, fieri nequit, etiam quoad minimam variationem, absque licentia S. Congregationis. Circa vero Instituta illa, quae dioecesis fines, in qua primitus fundata sunt, non excedunt, immutatio Constitutionum ad Ordinarium loci illius pleno iure pertinebit; quatenus autem in alias etiam Dioeceses diffusa reperiantur, tunc immutationes, vel minimae, Constitutionum Apostolicae Sedi erunt reservatae (Id., art. 324).

949. — **Summula iuris ab Ecclesia statuti circa Instituta votorum simplicium, iuxta Constitutionem Leonis XIII « Conditae a Christo Ecclesiae », editam VI Idus Dec. 1900:** « Duo praescriptionum capita edicere visum est, alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de caeteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

950. — Caput primum haec habet servanda: I. « Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit: si videlicet neque

fidei honestative morum neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

951. — II. « Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

952. — III. « Episcopi, quoad fieri possit potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur. Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. – Si quae autem nova foeminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum cura atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris foeminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppedidetur, nequaquam permittant.

953. — IV. « Sodalitas quaevis dioecesana ad dioe-

ceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

954. — V. « Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

955. — VI. « Semel approbatae Sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis et consensentibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

956. — VII. « De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat; eiusdem erit illas et more explorare et, nihil si obstet, admittere.

957. — VIII. « Episcopo alumnas Sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedatur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

958. — IX. « Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

959. — X. « Dioecesanae cuiusvis Sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

960. — XI. « Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispen-

satione statuere munus Episcoporum est, pro Sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro caeteris; id quod in capite consequenti (n. VIII) explicate praefinitur. —

961. — « Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda: I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum Sodalitatum; integra tamen Episcopi facultate a Synodo Tridentina tributa (sess. XXV, cap. XVII, *de Regul. et Monial.*), ut quum de foeminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula* et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

962. — II. « Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae, sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare, temperare ne liceat.

963. — III. « Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri; sacrum

fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

964. — IV. « Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt; *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

965. — V. « Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni Summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque caeteras quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

966. — VI. « Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus* sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum Decretum *Auctis admodum*, die datum IV Novembris anno MDCCCXCII.

967. — VII. « In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet Decretum *Singulare quidem* a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII Martii anno MDCCCXCVI.

968. — VIII. « In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus

versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsos et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam Constitutionis *Pastoralis curae* a Benedicto XIV, decessore Nostro editae, ac Decreti *Quemadmodum* dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII Decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

969. — IX. « Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet: idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

970. — X. « Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis,

quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

971. — XI. « In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi, iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero foeminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat: illico moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum. — Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla caeteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet. muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis. — His porro, quae hactenus ediximus, sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius Sodalitatis legibus a Romano Pontifice approbatis contineantur... contra-

riis non obstantibus quibuscumque ». Ita Leo XIII in praefata Const. *Conditae a Christo Ecclesiae.*

972. — **De colligendis eleemosynis per religiosas.** — « Singulari quidem protectione et auxilio dignae semet exhibent mulieres illae, quae, in piis religiosisque Institutis Deo se devovent, ut in proximorum bonum longe lateque opera misericordiae exerceant nedum directe, sed stipem etiam iisdem operibus sustentandis quaeritantes, atque egregiam eapropter humilitatis, patientiae, charitatis aliarumque virtutum laudem praeseferentes. Cum tamen hoc colligendarum eleemosynarum ministerium prae muliebri quaeritantium indole ac hodierna humanae societatis conditione periculis haud vacet, nisi opportunis cautelis communiatur, S. C. Episcoporum et Regularium, nonnullis Episcopis petentibus, re diligenter et mature perpensa, haec quae sequuntur statuit ac decrevit:

973. — I. « In votorum simplicium Institutis opus quaeritandi eleemosynas alumnae non aggrediantur nisi in spiritu fidei, quod stipem non sibi quaerant, sed ipsi Christo Iesu, memores verborum eius: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Praeterea Ordinarios locorum, etiamsi eorum territoria pertranseant, obsequio, reverentia et devotione prosequantur tamquam parentes et patronos, quos adeant cum fiducia pro consilio, auxilio ac praesidio in qualibet necessitate.

974. — II. « Iisdem votorum simplicium sororibus non liceat eleemosynas quaerere sive intra dioecesim in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae.

975. — III. « Stipem quaesiturae extra dioecesim respectivae residentiae licentiam obtinere insuper de-

bent ab Ordinario loci, in quo eleemosynam quaeritare desiderant.

976. — IV. « Nihil tamen impedit, quominus superiorissae nulla petita licentia, ad sublevandam domuum vel piorum operum, quibus praesunt inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, usquedum a legitimo superiore rationabili ex causa non prohibeantur.

977. — V. « Ordinarius loci, in quo exstat domus sororum quaeritare volentium, licentiam eis non concedat: 1° si de vera domus vel pii operis necessitate sibi non constet; 2° si quaeritatio commode fieri possit per alios ab ipsomet Ordinario designandos. Si autem necessitati occurri valeat per quaeritationem in loco, in quo sorores resident, vel infra propriam dioecesim, Ordinarius licentiam eisdem non impertiatur eleemosynas colligendi extra dioecesim.

978. — VI. « Utraque licentia tradatur gratis et in scriptis, in qua quilibet Ordinarius leges et conditiones imponere poterit, quas pro locorum, temporum et personarum adiunctis magis opportunas in Domino iudicaverit. Licentia vero Ordinarii piae sororum domus contineat litteras vel commissorias ad parochos aliasve prudentes personas pro sororibus quaeritantibus intra dioecesim, vel commendatitias ad Ordinarios aliarum dioecesium pro sororibus extra propriam dioecesim quaeritantibus. In litteris commissoriis mandetur parochis aliisve probis personis, ut consiliis et meliori qua possunt opera praesto sint sororibus, earum agendi rationem invigilent, et si quid in eis minus rectum resciverint, statim ipsi Ordinario referant. In commendatitiis exorentur Ordinarii locorum, ut in sua quisque

dioecesi sorores ad quaeritandum admissas protegat ac adiuvet ac si sibi subditas eas haberet.

979. — VII. « Quisque loci Ordinarius sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eaedem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint. Sororibus vero huiusmodi licentiam exhibentibus ipse suam, si lubeat, impertiatur licentiam quaeritandi in propria dioecesi. Ubi autem sorores etiamsi utraque licentia praeditae, in eleemosynarum quaestu male se gerant, statim in propriam domum eas redire Ordinarius iubeat, opportunisque etiam mediis, si opus fuerit, compellat.

980. — VIII. « Superiorissae, praesertim extra locum ubi domus habent, nunquam ad eleemosynas quaerendas mittant sorores, nisi binas, aetate et animo maturas, intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra duos menses, et semper ea pecuniae summa instructas qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire. Sorores quaeritantes semper et ubique ea, qua decet modestia eniteant, virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas aliaque loca incongrua evitent; nec in domibus longiorem moram faciant, quam sit necessarium pro exspectandis eleemosynis. Singulae nunquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente. Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea; sed quantum possunt, de nocte, neque ab uno loco discedant, neque ad alium perveniant. De suo adventu futuro premoneant illum, cui datae sunt Episcopi litterae; eisque cum pervenerint se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro invenienda hospitalitate apud aliquod pium foeminarum Institutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem, nunquam vero in domo ubi possint

in aliquod periculum offendere. Matutinas ac vespertinas preces non omittant: quotidie de mane aliquam ex vicinioribus ecclesiis petant, ibique sacro assistant: singulis hebdomadis Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis reficiantur. Ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quaeritent. Elapso tempore ad quaeritandum eis praefixo, sine ulla mora ad propriam superiorissam recto tramite remigrent. Eleemosynas nunquam arroganter vel tamquam debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et piorum operum exposita inopia, si quid sponte offertur accipiant, secus patienter divinae providentiae confidant. Alias normas opportunas, quae a propria superiorissa dari poterunt, adamussim observent. — Datum Romae ex Secretaria memoratae S. C. EE. et RR., die 27 Martii 1896 ».

981. — **Reelectio Abbatissarum seu Superiorissarum.** — « Cum in Const. *Exposcit debitum,* 1 Ian. 1583, Gregorius XIII iussisset, ut munus Priorissae ultra triennium perdurare nequeat et expleto triennio nullam habeat in monasterio auctoritatem, et hoc sensu pluries respondisset S. C. EE. et RR.; Orator nonnulla dubia proponit: 1° Quaeritur, si memoratae Constitutiones et resolutiones datae fuerunt pro Ecclesia universali et observandae sint? — 2° In casu negativo possuntne iterum eligi Superiorissae illorum Conventuum quorum Constitutiones vel de hac electione tacent vel permittunt novam electionem Superiorissae? — 3° In utroque casu numeri II et pro monasteriis in quibus expresse permittitur nova electio Superiorissae quaeritur: pro huius electionis confirmatione sufficit auctoritas Ordinarii vel recurrendum erit ad S. Sedem? — R. Ad 1um Affirmative. — Ad 2um provisum in primo. — Ad 3um quatenus Constitutiones sileant, vel expresse dicant post triennium eligendam esse aliam Abbatissam seu

Superiorissam, reelectionem eiusdem personae ad munus Abbatissae seu Superiorissae indigere confirmatione S. Sedis: quatenus vero Constitutiones approbatae a S. Sede post enunciatam Constitutionem Gregorii XIII permittant huiusmodi reelectionem, servandum esse tenorem earumdem Constitutionum » (S. C. EE. et RR., 4 Maii 1901).

982. — **De ratione conscientiae superioribus vel superiorissis reddenda, de confessione et communione** (etiam apud moniales proprie tales). — « Quemadmodum omnium rerum humanarum quantumvis honestae sanctaeque in se sint: ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando ut contrarium sortiantur effectum. — Idque dolendum vel maxime est, obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis superioribus in dubiis addiscerent; et contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice sacramento poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut sacramentalis confessio in huiusmodi communitatibus fieret respectivis confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium confessarium denegaverint, etiam in casu, quo ut propriae conscientiae consulerent eo valde indigebant. Indita

denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite sancteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam exstitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum, et ad unitatis pacem et concordiam in communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et quaerimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant. — Quare SS. D. N. Leo divina providentia Papa XIII pro ea, qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem, peculiari sollicitudine, in audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congr. EE. et RR. negotiis et consultationibus praepositae die 14 Dec. 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit, atque decrevit.

983. — I. « Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum Institutorum mulierum, sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint, in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit moderatoribus ac moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis, ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur

penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

984. — II. « Districte insuper *prohibet*, memoratis superioribus ac superiorissis cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque'e converso *praecipit*, ut superioribus maioribus denuncient superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de moderatore vel moderatrice generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

985. — III. « Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia, in dubiis ac anxietatibus, consilium et directionem obtinendi *pro virtutum acquisitione* ac perfectionis progressu.

986. — IV. « Praeterea, firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios communitatum quod a Sacrosanto Concilio Tridentino praescribitur in sess. 25, cap. 10, *De Regul.*, et a s. m. Benedicti XIV statuitur in Const., quae incipit: *Pastoralis Curae*, Sanctitas Sua praesules superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum communitates exsistunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

987. — V. « Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones *dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium* spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

988. — VI. « Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis: et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum confessarius expedire iudicaverit, ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae communionis, de hoc certiorem reddere superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi communiones eas confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiscendum omnino erit.

989. — VII. « Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis superioribus generalibus, provincialibus et localibus Institutorum, de quibus supra sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque huius decreti dispositiones observent sub poenis contra superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

990. — VIII. « Denique mandat, ut praesentis decreti exemplaria in vernaculum sermonem verso inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque domo, sive in publica mensa, sive in Ca-

pitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur. — Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus. — Datum Romae ex Secretaria memoratae S. C. EE. et RR., die 17 Dec. 1890 ».

991. — **Dubia quoad praecedens decretum « Quemadmodum »**. — « 1. Il favore accordato alle monache di ricorrere ad uno straordinario *quoties ut propriae conscientiae consulant ad id adigantur*, è così illimitato e incondizionato che esse se ne possano servire costantemente senza ricorrere mai al confessore ordinario e senza poter essere sindacate neppure dal Vescovo su questo punto, e da esso in qualche modo impedite se fossero guidate da ragioni biasimevoli e insulse? — 2. I confessori aggiunti hanno alcuni doveri di coscienza di rifiutarsi ad ascoltare le confessioni delle Suore, quando riconoscono che non esiste un plausibile motivo che le astringa di ricorrere ad essi? — 3. Se parecchie Suore (e peggio ancora se la maggior parte di esse) ricorressero costantemente a qualcuno dei confessori aggiunti, il Vescovo deve tacere, o intervenire con qualche provvedimento per tutelare la massima sancita nella Bolla *Pastoralis:* « Generaliter statutum esse dignoscitur ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur? » — 4. E posto che debba intervenire, qual provvedimento potrà legalmente adottare? — R. Ad 1um Negative. — Ad 2um Affirmative. — Ad 3um Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. — 4um Moneat Ordinarius moniales et Sorores, de quibus agitur, dispositionem articuli IV decreti *Quemadmodum*, exceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad

id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione s. m. Benedicti XIV incip. *Pastoralis curae* praescriptum habetur » S. C. EE. et RR., 1 Febr. 1892.

992. — « 1. Quis sub nomine praesulis vel superioris, cuius est subditis concedere vel denegare confessarium extraordinarium, intelligitur? An ipse qui ordinarium confessarium deputavit, vel potius qui domui praeest, sive vir sit, sive foemina? — 2. Cum ex decreto, superior, quicumque sit, nequeat confessarium extraordinarium denegare, immo nec aegre se ferre petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et, vel scrupulis vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petente apprehensam? — 3. Praesul, qui ex dictis confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam ipsius confessarii, vel idem religiosus eligere poterit, inter diversos ab Ordinario deputatos qui hoc sibi munus impleat? — 4. Utrum Constitutiones quarumdam familiarum religiosarum, quibus vetatur ne moniales sive religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certas et statutas dies, abrogatae fuerint, in hoc capite, decreto 17 Dec. 1890, ita ut eis non obstantibus liceat confessario frequentiorem accessum suis religiosis poenitentibus concedere: vel adhuc post memoratum decretum in vigore maneant? — R. Ad 1um Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. — Ad 2um Affirmative; sed subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant. — Ad 3um Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. — Quo vero ad postremum dubium, quod frequentiorem ad S. Synaxim accessum quam diebus statutis in propriis regulis re-

spicit, abrogatas censendas esse Constitutiones quibus vetatur, ne moniales sive religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies ». S. C. EE. et RR., 17 Aug. 1891.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Consideremus ac imitemur virtutes Magistrae nostrae, quae est « perfectio totius creatae naturae: omnes enim naturas et mundi perfectiones, ultima sua perfectione Virgo sacra complevit per partum suum » (S. Bernard.).

Mariam invoca. Salva me, quia tu es illa « Mater misericordiae, quae Patri misericordiarum in operatione summae misericordiae adfuit, et dolores passionis secum sustinuit » (B. Alb. Mag.).

Mariam laetifica. Perfectionem proprio statui conformem totis viribus procurando. *Unum est necessarium!* — Diligam te, o Iesu, o Maria. — *Filii Mariae imitatores eius...*

TRACTATUS DE REBUS[1]

CAP. I. — DE REBUS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Art. I. De Rebus mobilibus.

993. — **Praenotandum.** — Quia *novi Iuliani* nostris temporibus Ecclesiam omni re, omnique dominio privare conantur, ut tandem ipsam Ecclesiam (si possibile esset) destruere valeant, expedit ut Canonistae iura temporalia Ecclesiae fortiter defendant, praecipue con-

[1] Nota: I. *Rei nomine* in Iure canonico intelligitur quidquid in Ecclesia est extra personas et iudicia. — II. Res ecclesiasticae sunt *spirituales*, si ad animarum salutem totae referuntur, ut sacramenta, ieiunia, vasa sacra, monasteria etc. Vocantur *res temporales* redditus et fundi ecclesiarum; istae res temporales saepe dicuntur spirituales, quatenus scilicet inserviunt rebus spiritualibus. — III. In iure civili res dividuntur: 1° in *incorporales*, quae tangi nequeunt, ut servitutes, et *corporales*, ut aurum; 2° in *immobiles*, et *mobiles*, (mobiles aliae dicuntur *se moventes*, aliae *simpliciter mobiles*...); 3° in *sacras*, *sanctas* et *religiosas*. — Cfr. Gonzalez, ad cap. I, *de Pignor.*, n. 8. — IV. De Sacramentis, vide Theol. Moralem.

tra rapacitatem liberalismi, et contra liberalium fallacias [1].

994. — **Primitiae.** — I. *Earum nomine intelliguntur primi terrae fructus, qui a fidelibus Deo in gratiarum actionem, eiusque ministris in sustentationem exhibentur.*

995. — II. Primitiae in veteri lege tribus anni temporibus offerebantur, i. e. in Paschate de novis spicis, in Pentecoste de novis panibus, et in festo Tabernaculorum de novis fructibus.

996. — III. *Quota vero earum non erat determinata*, ut sentit D. Hieronymus, et liberaliores quadragesimam, ac minus liberales sexagesimam fructuum partem afferebant. — Cfr. Soglia, Devoti, C. Ferrari.

997. — **Ratio primitias praestandi.** — I. Est *recognitio divinae liberalitatis ob fructus concessos.* — II. Primitiae in duobus casibus praecipiuntur: 1° Si populus usu longaevo eas rependere solitus sit; 2° Si sacerdotes indigeant. — III. *Quantitas* primitiarum nunquam fuit determinata nisi consuetudine. Unde merito Conc. Plen. Am. Latinae, art. 834 edixit: « Primitiae, secundum normas per laudabiles consuetudines statutas et ab Episcopis approbatas, omnino conserventur atque praebeantur ».

998. — **Decimae.** — I. *Decimae* sunt *certa pars fructuum vel lucri.* Dicuntur *certa pars*, non decima,

[1] " Eleemosynas, sacrificium, caeteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in saeculo et sua possidentes, eleemosynas et caetera beneficia ex rebus suis agentes, praecepto Domini servantes salvari fatemur et credimus. Decimas, primitias, et oblationes ex praecepto Domini credimus clericis persolvendas " (Prof. fidei Wald., praescr. ab Innoc. III).

nam interdum maior est, interdum minor ob diversam locorum consuetudinem. Dicuntur autem *pars fructuum, vel lucri*, quia vel ex fructibus praediorum, vel ex lucro industriae persolvuntur; unde praecipua earum divisio est in *praediales* et *personales*. (Alii addunt decimas *mixtas*, seu ex rebus partim a natura, partim ab industria procedentibus, suntque potius praediales).

999. — II. Decimae, respectu *necessariae sustentationis*, clericis debentur iure divino; respectu vero *quantitatis*, ordinantur iure ecclesiastico.

1000. — III. Consuetudine primum in Ecclesia inductae, Canonibus firmatae sunt. Propter curam animarum, olim Episcopo solvebantur; facta divisione bonorum ecclesiasticorum, de iure communi ad parochos pertinent. — Cfr. Ferrari.

1001. — **Obligatio solvendi decimas cessat:** — 1° consuetudine; 2° conventionibus; unde in multis locis in desuetudinem abierunt. *Verum non praescribitur* contra legem suppeditandi clero necessariam sustentationem. — Cfr. Soglia, Devoti, etc.

1002. — Ex domo non locata, vel inhabitata, et ex agro non culto nullae solvuntur decimae, ut constat ex Can. 27, c. 1, q. 1.

1003. — Nota. Gubernia civilia nequeunt decimas imponere, neque ab iisdem liberare, ut praesumpserunt hodierni liberalismi sectatores. Imo, damnata fuit a Conc. Constant. haec 18ª, propositio Wiclefi: « Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt parochiani propter peccata suorum praelatorum ad libitum suum eas auferre ».

1004. — **Rem illustrant multa S. Sedis documenta occasione impiarum Italiae legum edita,** ex quibus sequentia adducere liceat: 1. « Inter iura, Ecclesiae di-

vinitus attributa, et illud profecto est, quaelibet bona aliosque civiles reditus, sine ulla dependentia a quavis externa auctoritate, acquirendi ac libere administrandi. Id ius a Deo in Ecclesiam collatum est, quo et cultui Divinitati debito, et suorum ministrorum sustentationi et charitatis demum operibus tutius stabiliusque consulere possit. Immo etiam ad hunc finem assequendum potest auctoritate propria eas fidelibus, quas ipsa necessarias iudicarit, pecuniarias indictiones imponere. Lex ergo civilis, quae proprio nomine in bona reditusque Ecclesiae pro lubito disponendas sese ingerit, et a pecuniariis ecclesiastica lege sancitis indicationibus solvendis fideles eximit, divino iuri recta adversatur, potestatemque, qua caret, iniuria sibimet attribuit. Quibus de causis eadem lex civilis in Italia edita nullius est valoris; et fidelium conscientia ad decimas velut antea pensitandas obligata perstat. Parem huic declarationem dedit S. Sedes ab anno usque 1853 cum Regnum Subalpinum decimas in Sardinia insula abolevit (Acta Pii IX, vol. 2, pag. 335); quemadmodum et Summus Pontifex Alexander III ad Episcopum Vercellensem scribens, imperatoris litteras, quibus a solvendis decimis concedebatur exemptio, prorsus nullas declaravit (tit. *de Decimis*, etc. c. 25). Quapropter, etsi lex illa civilis parem ablatis decimis compensationem assignasset, atque idcirco nullum in re utili detrimentum attulisset Ecclesiae, eidem tamen fecisset iniuriam, sese in eiusdem res iuraque ingerens sine ulla a suprema auctoritate, quam Ecclesia ipsa a Deo accepit, dependentia... » (S. Poenit., 25 Aug. 1887).

1005. — II. « 1. Imprimis Ordinarii, quibus id modis opportunum duxerint, fideles edoceant, ius percipiendi decimas Ecclesiae a potestate civili auferri

minime potuisse, ideoque fideles ad eas solvendas non secus atque antea omnino teneri, nec quemquam ab onere et obligatione huiusmodi liberari nisi per solam ecclesiasticam auctoritatem posse. 2. Igitur quo facilior pateat fidelibus via suae consulendi conscientiae, seseque ab onere decimarum solvendarum in perpetuum liberandi, iidem Ordinarii eos excitabunt, ut ad iustam decimarum redemptionem, vel etiam, ubi casus ferat, ad aequam super illis compositionem admitti petant. Quem in finem Sacra Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate necessarias et opportunas facultates omnibus in Italia locorum Ordinariis harum tenore litterarum tribuit ad quinquennium dumtaxat valituras. 3. Facta autem decimarum redemptione vel compositione pretium earumdem, prudenti Ordinariorum iudicio, iuxta peculiaria cuiusque casus adiuncta determinandum, cum stet loco sortis decimarum, collocetur in tuto, honesto et fructifero investimento; fructus vero applicentur beneficiis vel piis locis, quae damnum passa fuerint. 4. Qui decimas nec redemerint, nec super illis ullo modo se composuerint, *et cathedrali aut quibuscumque aliis ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur integre persolvere noluerint, non absolvantur, nisi plena restitutione secuta* (Conc. Trid., s. 25, de R. C. 12), salvis tamen regulis a probatis auctoribus traditis circa illos, qui inopia vel paupertate laborant. 5. Noverint insuper Ordinarii tolerari, ut vel ipsi vel parochi aliique, quorum interest, a gubernio petant compensationem pro damno sibi illato; ita tamen, ut in huiusmodi petitione nihil contineatur, quod ad ius de decimis disponendi in laica potestate probandum trahi possit, et expresse significetur compensationem peti ti-

tulo tantum legitimae indemnitatis » (S. Poenit., 2 Sept. 1887).

1006. — III. « Obligatio decimas solvendi adhuc persistit, non obstante abolitione a lege civili decreta, cum haec minime competens sit in decernendis iis, quae ad Ecclesiam spectant » (S. Poenit., 20 Nov. 1902, 8 Mart. 1898). Et Conc. Plen. Am. Latinae, art. 832, 833, decrevit: « *Decimae,* praediales sive reales, ubicumque legitime abrogatae vel commutatae non fuerint, ab omnibus, qui obligantur, integre, legitimo tempore et loco, iuxta probatas consuetudines particulares, iis sunt solvendae, quibus debentur. Quae obligatio adeo gravis est, ut, ex iure Tridentino, qui decimas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicandi sint, neque ab hoc crimine absolvendi, nisi plena restitutione secuta. Ubi vero, attentis praesentis temporis conditionibus, difficultas in casibus particularibus ex decimarum solutione oriatur, ad Episcopum est recurrendum, ut is, pro facultatibus quas a Sede Apostolica obtinuerit, congruum remedium per conventiones ineundas afferat. — Meminerint quoque fideles, qui ad solvendas decimas praediales non tenentur, ipsorum obligationem solvendi decimas personales pro sublevandis Ecclesiae necessitatibus, iuxta mensuram ab Episcopis stabilitam vel stabiliendam, ex disciplina apud nos vigente non esse sublatam ».

1007. — **Oblationes.** — I. Oblationes *sunt munera, quae a fidelibus Deo et Ecclesiae sponte offeruntur.* — II. *Antiquissimus earum usus est* atque ab ipsa Apostolorum aetate repetendus. — III. Nemo offerre cogebatur, sed turpe erat eum non offerre, qui posset: et illorum, quorum praeclara erant munera in Ecclesiam, nomina publice recitabantur. — IV. Neque vero omnibus offerre licebat; quoniam oblationes, prae-

sertim Eucharisticae, ecclesiasticam communionem ostendebant, et ideo reiiciebantur oblationes eorum, qui in Eucharistia non communicabant. Ipsi *Consistentes*, qui scilicet in summo poenitentium gradu versabantur, quamquam communium precum essent participes, tamen ad altare offerre prohibebantur; et *saepe restitutas constat oblationes eorum, qui deinceps in haeresim inciderant* (Devoti).

1008. — **Ius ad oblationes.** — I. *Oblationes omnes*, etiam quae sponte, vel in sacello inferiori, aliove loco intra fines parochiae fiunt, ordinario pertinent ad Ecclesiam parochialem, *seclusa consuetudine vel speciali privilegio,* vel nisi aliam esse constet offerentium voluntatem.

1009. — II. Fideles oblationes facere videntur propter curam animarum, quam Ecclesia sustinet, *quae praesumptio locum non habet, cum alia offerentium voluntas patefacta est.* Tunc enim oblationes dandae sunt loco, cui quis eas adscribi voluit.

1010. — III. Ex S. C. C., 22 Apr. 1799, oblationes in Oratorio rurali B. M. V. vel alterius Sancti, vel alicui imagini miraculosae factae *non debentur Parocho.*

1011. — **Iura stolae** sunt stipes, quae post administrata Sacramenta, praesertim Baptismi et Matrimonii, post exequias defunctorum, aliasque sacras functiones tribui solent. — I. Olim huiusmodi stipes erant spontanea largitio, quae deinde in laudabilem consuetudinem abiit, et in Concil. gen. Lateranensi sub Innocentio III probata est.

1012. — II. *In eo statutum fuit, Sacramenta et reliqua officia sacra gratis administranda,* nulla scilicet temporali re aut petita aut recepta ante administrationem; fideles vero ad consuetas oblationes te-

neri, quin etiam ab Episcopo cogi posse, si ei offerre detrectaverint, *cap.* 42 *de Simonia;* et hanc legem extorsit necessitas Parochorum, quibus si molestia et labores non desunt, alimenta certe interdum deerant.

1013. — III. *Omnem turpis lucri suspicionem Parochi vitare debent, nec quidquam a pauperibus recipere, eoque minus exigere.*

1014. — IV. Denique in hac re consuetudo (legitima) est *prima lex*, ait Del Vecchio.

1015. — Conc. Plen. Am. Latinae, art. 831, canonicam de Iure stolae doctrinam hisce verbis tradit: « *Iura stolae*, sicuti optimo iure, iuxta laudabiles consuetudines, occasione quarumdam sacrarum functionum, veluti baptismi, benedictionis matrimonii, sepulturae, parochis solvenda sunt, ita a vere pauperibus perperam expetuntur, et summo cum scandalo atque animarum pernicie sub comminatione dilationis baptismi vel benedictionis matrimonii exiguntur vel extorquentur, aut privato arbitrio ad sacras functiones ab omni taxa immunes, contra canonicas sanctiones, extenduntur. Quare imprimis, in omnibus et singulis dioecesibus, taxae occasione sacrarum functionum solvendae ab Ordinariis locorum iuxta laudabiles consuetudines accurate definiantur atque specialibus decretis vel ordinationibus tum viris ecclesiasticis tum fidelibus apta ratione notificentur. Et ipsi Ordinarii, inspectis populi cui praesunt moribus et indole, statuent, ubi opus fuerit, quinam dicendi sint vere pauperes, in ordine ad solutionem taxarum. Sedulo omnino curandum, ut omnis avaritia et simonia, vel quoad ipsam speciem, a viris ecclesiasticis longe absit. Hinc nemo unquam vere pauperem, propter incapacitatem ad solvendum ex quocumque titulo oblationem, a sepultura in coemeterio benedicto atque a quibuscumque functionibus

sacris, quas merito expetit, repellere audeat. Districte vero prohibetur parochis et quibuslibet confessariis, sub quocumque praetextu aliquid exigere pro audienda confessione cuiuslibet fidelis, sive sani sive infirmi vel moribundi, adeo ut has oblationes susceptas suas facere non possint. Quod si fideles ad solvendum sint pares, multoque magis si divites sint, atque extraordinaria postulent, taxas praescriptas pro sepulturis omnino solvere tenentur. Similiter non prohibetur quominus parochus pro more recepto eleemosynam accipiat a mulieribus post partum ad ecclesiam accedentibus, vel ob recitationem responsorii pro defuncto, praesertim die commemorationis omnium fidelium defunctorum, dummodo, praecipue in ista responsoriorum recitatione, sacerdotalis dignitas servetur, et omnis species avaritiae atque scandalum fidelium vitetur ».

1016. — **Obolus S. Petri.** — I. Est *subsidium quod a fidelibus gratis tribuitur R. Pontifici tamquam successori divi Petri ad eius angustias sublevandas* (Scavini).

1017. — II. *Origo subsidiorum R. Pontifici est antiquissima.* Etenim exstant monumenta antiquissimae pietatis et devotionis fidelium in sublevandis necessitatibus Pontificis Maximi, et an. 1164, Gallicani Episcopi, inter caeteros, instituerunt collectas voluntarias in favorem Alexandri III, maxime onerati ad tuendam Ecclesiae libertatem.

1018. — III. Novissimis temporibus *Obolus S. Petri* omnium fidelium oblationibus in magno honore habetur, ob tam multas Ecclesiae necessitates, quae ex liberalismi malitia et astutia quotidie ita frequentiores evadunt, ut Pater Pastorum et maximus Regum sit pauperrimus inter Principes, eleemosynis filiorum vivens...

1019. — IV. Unde hodie obolus S. Petri potius *dicendus necessaria et quasi praeceptiva oblatio, quam simplex fidelium largitio.* Et hac etiam de causa Conc. Plen. Am. Latinae, art. 793-796, decrevit: « *Denarium Sancti Petri,* quo fideles gravissimis indigentiis Romani Pontificis subveniunt, religio commendat et ratio suadet: *Naturalis enim ratio dictat,* ait S. Thomas [1], *ut illi, qui habet curam de communi multitudinis statu, provideatur de bonis communibus, unde possit exequi ea, quae pertinent ad communem salutem* ». Unde antiquissimus fuit in Ecclesia usus piarum collectarum ad subsidia pecuniaria pro Pontifice Summo indigente comparanda. — Igitur, cum, ex temporum calamitate et impiorum malitia, multiplicentur in dies indigentiae Supremi Ecclesiae Patris ac Pastoris, multiplicari etiam debent piae fidelium largitiones, quibus dum mitigatur egestas augusta Pontificis

[1] " Praeterea iuxta beatissimi Stephani Papae sanctionem statuimus, ut laici, quamvis religiosi, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem: sed secundum Apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam episcopus habeat, et ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo principum aut laicorum aliorum dispensationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicetur „ (Conc. Oecumen. Lateran., I, can. 4).

" 34. Item utrum credat, quod liceat personis ecclesiasticis absque peccato huius mundi habere possessiones et bona temporalia „ (Art. de quibus errorum Wikleff et Huss suspecti sunt interrogandi ex B. *Inter cunctas* Martini V, Off. n. 498).

" 10. Contra Scripturam Sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones. — 16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ec-

Maximi, mirifice promoventur saluberrimi fructus apostolatus tum inter fideles tum inter infideles, et confunduntur proposita sectariorum, qui salutiferam actionem et influxum, uti dicunt, Supremi Pontificatus ad nihilum reducere vellent, aut saltem inefficacem reddere. — Quapropter hortamur omnes, qui Ecclesiam catholicam matrem et Romanum Pontificem patrem habere gloriantur, ut, si possint, saltem semel in anno, aliquod subsidium respectivis parochis vel Episcopis offerant pro Denario Sancti Petri. Qua in re, omnes animarum pastores et alii Dei ministri verbo et exemplo caeteris fidelibus praecedant. Et sane, sicut filii patri naturali subministrare debent alimenta, ut lex naturae docet, utque iura omnia sanciunt, ita etiam patrem et matrem spiritualem filii spirituales iuvare tenentur, eisque subsidia non negare. — Singulis annis, tempore et modo Episcopis bene viso, fiat collecta pro Denario Sancti Petri et communes fidelium oblationes tuto et directe ad Romanum Pontificem, per respectivos Ordinarios transmittantur ».

clesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, i. e. ex habitu, non solum actu, delinquentibus. — 32. Ditare clerum est contra regulam Christi. — 33. Sylvester Papa et Constantinus imperator erraruut, Ecclesiam dotando. — 36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentes sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici. — 39. Imperator et domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus. — 44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt haeretici „ — (Prop. Io. Wikleff damnatae in C. Constant.).

Art. II. De Rebus immobilibus.

1020. — **Praenotandum.** — I. Praeter oblationes et decimas, praediis quoque aliisque bonis stabilibus, Ecclesia pleno iure potita est.

1021. — II. Quousque Christiana Religio persecuta est, Ecclesiae bona fuerunt plerumque res mobiles ex fidelium spontaneis largitionibus comparatae. Profecto res immobiles persecutione saeviente perpetuis direptionibus patuissent, nam celari non poterant aut alio asportari.

1022. — III. Attamen Ecclesia etiam per illud temporis bona stabilia habuit, ut constat ex edicto Constantini et Licinii an. 313, ubi inter alia haec habentur: « *Omnia quae ad Ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus, aut possessio sit, sive agri, sive horti, sive quaecumque alia, restitui iubemus* ».

1023. — IV. « Ecclesiae acquisitiones uberiores factae sunt ex utentium parcimonia et provida administratione, ac potissimum ex laboriosa soli cultura maximum incrementum acceperunt. Quot enim horridae solitudines, et quondam ferarum latibula in amoena diversoria, quot spineta in hortos, quot fundi squalentes in agros et prata, quot deserta loca et inaccessa in praediola belle aedificata et fertilia conversa sunt, postquam ea Clerici, et praesertim Monachi industria et labore suo excoluerunt! Qua in re praecipuam laudem merentur Benedictini » (Soglia).

1024. — **Ius acquirendi immobilia.** — I. Cum Ecclesia sit societas hominum perpetua, et regnum indeficiens in mundo, non tamen de mundo, necesse est, ut habeat temporalia bona, sine quibus nec homines vivere, nec regnum subsistere potest. Unde occupatores bonorum Ecclesiae non solum sunt fures et

latrones, sed sacrilegi, et *rapaces*, quia diripuerunt praesente et contradicente domino...

1025. — II. *Merito ergo damnatae fuerunt* (Syllab., 26, 27) *sequentes propositiones:* « Ecclesia non habet nativum, et legitimum ius acquirendi, et possidendi ». « Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi ».

1026. — III. Vita functis Apostolis, iuxta Gratianum, S. Pius I, circa medietatem saeculi secundi in patrimonio Ecclesiae recenset *praedia divinis usibus tradita;* et S. Urbanus circa initium saeculi tertii in eodem patrimonio admisit *haereditates, et agros*, quia praedia Ecclesiae tradita plus ei afferunt utilitatis, quam venditionum pretia.

1027. — IV. Ecclesiae divitias reprobant haeretici, *ut Valdenses, et Wiclefitae, quibus adhaerent Iansenistae, et liberalismi sectatores*, qui ideo Ecclesiae divitias non laudant, quia saeculum magis, quam Deum diligunt. Sed hi Ioan. Chrysost. *(Homil. 22 ad 1 Corinth.)* audiant sic dicentem: « Cum facultatum Ecclesiae magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitates »; et nobis, quaeso, explicent, quare regnum temporale nunquam habeat satis, et Ecclesia semper nimis? Omnia rapuerunt, et pauperes non solum non susceperunt, sed ipsorum Hospitalium bona occuparunt. Quibus profuerunt latrocinia et rapacitates bonorum Ecclesiae nisi detractoribus...?

1028. — **Patrimonium S. Petri.** — I. *Ius Ecclesiae ad sua temporalia bona comprehendit omnia mobilia et immobilia, iura et actiones, quae in Ecclesia sunt, et aliquid temporalis utilitatis habent;* sed primo, et

principaliter bona Ecclesiae Romanae, SANCTI PETRI PATRIMONIUM, AC TEMPORALEM SUMMI PONTIFICIS PRINCIPATUM a sectariis hodie invasum comprehendit.

1029. — II. *Ecclesia Romana multa ac ingentia etiam habuit patrimonia*, nempe terras amplissimas longe lateque per Italiam, Galliam, Aegyptum, Palaestinam, uno verbo per Orientem totum et Occidentem, quin etiam integras provincias, aut insulas tenuit, ut satis compertum est ex diversis historicis, et etiam ex solo S. Gregorio Magno, qui in epistolis suis multus est circa administrationem horum dominiorum, praediorum, et possessionum.

1030. — III. PIUS IX tum in sua responsione ad Napoleonem III, 8 Ianuarii 1860, tum in suis litteris encyclicis ad universos Ordinarios die 19 eiusdem mensis et anni, declaravit, *se nullo plane modo posse* cedere huic principatui, et professus est, se velle constanter tueri et servari *civilem Romanae Ecclesiae principatum, eiusque temporales possessiones, ac iura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, intacta atque inviolata.* Constat etiam ex Leone XIII.

1031. — IV. Omnes Summi Pontifices a Pio II, ab anno scilicet 1458, ut declaravit Pius VI in litteris ad Card. Rezzonicum, 5 Nov. 1791, incip. *Ancorchè,* in summi pontificatus susceptione solemniter iurarunt, se Petri patrimonium unquam alienaturos, sed salvum et integrum, successoribus suis servaturos, quod iusiurandum circa alia bona ecclesiastica non emittunt. — Cfr. Ferrari, etc.

1032. — CONCLUDENDUM: Persecutoribus hodiernis S. Sedis merito dici potest cum S. Bernardo, epist. 249: « Cur regem terrae, cur Dominum coeli furore tam intollerabili in vos pariter provocatis, dum sacram et Apostolicam Sedem divinis regalibusque privilegiis sin-

gulariter sublimatam ausu sacrilego incessere suoque minuere honore contenditis, quam vel soli contra omnes, si oportuisset, defendere debuistis? Sic fatui....., non iudicantes neque quod honestum est discernentes, caput vestrum atque omnium, quod in vobis est, deturpatis? pro quo magis nec vestris ipsis cervicibus parcendum a vobis foret, si necessitas exegisset? Patres vestri Urbi orbem subiugaverunt, vos Urbem properatis orbi facere fabulam ».

1033. — **Amortizatio.** — Comprehendit leges civiles quarum obiectum est: 1° negare catholicae Ecclesiae ius acquirendi; 2° vel restrictiones indicere; 3° vel licentiam Principis exigere; 4° vel denique partem rerum acquisitarum retinere. Super has impias leges praesumuntur fundari illi, qui in Gallia, in Hispania, in Italia, et in aliis regionibus, quas liberalismi tyrannis invasit, Ecclesiam bonis omnibus suis iniquissime spoliaverunt, quaeque propterea *tum erroris, tum nullitatis characterem* prae se ferunt: *erroris scilicet, quia falsam continent doctrinam; nullitatis vero, quia pronuntiatae sunt ab incompetenti auctoritate*, sicut Pius VI, Archiepiscopo Viennensi scribebat. — *Dicendum ergo cum D. Hieron. (ad Nepot. de vita Cler.*, n. 7): « Pudet dicere, sacerdotes idolorum, mimi et aurigae, et scorta haereditates capiunt: solis clericis et monachis hoc lege prohibetur, et prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus Christianis... ». De *Concordatis* dictum est n. 114.

1034. — Nota I. « Si dicas, rationem publicam efflagitare tales leges (amortizationis), ne scilicet exhauriatur territorium, et nervus fere omnis transferatur ad manus mortuas Religiosorum et Clericorum, repono, viam omnibus apertam ad Summum Pontificem, qui, re ad se delata, et iustitia causae cognita, facile

consentiet in talem legem, vel statutum, si subsit iusta causa ». (Aug. Michel, *Theol. Can. Moral. App.*, 2, *l.* 1).

1035. — NOTA II. Lex qua cives vetantur aliquid bonorum suorum in Ecclesiis donare iniusta est, *non solum habita ratione Ecclesiae,* quam impedit quominus iure proprio acquirendi fruatur, *verum etiam habita ratione civium,* quibus suarum rerum in pias causas transferendarum libera potestas demitur. — Sicque damnanda hypocrisis, malitia et malignitas liberalismi, *errorum omnium pessimi...* Quid enim ad rem facit, si latrocinia dicantur *desamortizationes* vel aliter?...

1036. — NOTA III. MANUS ECCLESIAE, falso et impie dicuntur *mortuae,* cum sint vivificantes, et in spiritualibus, et in terrenis. Quot hospitia, quot scholas, quot collegia *manus mortuae* dictae aedificarunt! E contra, manus inimicorum Ecclesiae, falso dictae *viventes,* nihil efficaciter salutare fecerunt pro pauperibus, nihil pro populo; nihil instituerunt nisi atheismum in scholis, miseriam in hospitalibus, despoliationes in locis piis, persecutiones adversus Clericos et Regulares; satiaverunt populos nomine libertatis et liberalismi, et illos oppresserunt crudelissima novi generis tyrannide.... Certe, certissime: manus liberalismi sunt viventes, et nimis viventes ut devorent et destruant, saepe *suaviter* sed semper constanter...

1037. — **Varia.** — I. Carolus Magnus ait: « Novimus multa regna et reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, alienaverunt vel diripuerunt ». *Hincmarus Remensis* Ludovico Francorum regi scribebat: « Sunt qui dicunt, quia res ecclesiasticae Episcoporum in vestra sint potestate, ut cuicumque volueritis eas donetis;

quod si ita est, ille malignus spiritus, qui primos parentes nostros perdidit, perditionem vestram in aures vestras susurrat » (ap. Gonzalez, ad c. 3 *de reb. eccl. non alien.)*.

1038. — II. Laici sunt incapaces *verae* administrationis ecclesiasticae, seclusa expressa concessione R. Pontificis: « Hoc consultissimo prohibemus edicto, universos et singulos Praelatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsorum laicis submittere, seu subponere absque Capituli sui consensu, et Apostolicae Sedis licentia speciali ». (Greg. IX, ap. *Fagnan.)*.

1039. — III. « An salaria, quae in Belgio solvuntur a Gubernio Pastoribus et Canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhaerentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiae sub poena non *faciendi fructus suos?* — R. *Iam alias a Sancta Sede, de consilio secretae Congregationis, responsum fuisse affirmative* » (S. Poen , 19 Ian. 1819). — « Sacra Poenitentiaria consulta, an illa responsio applicari debeat salariis, quae Pastoribus et Canonicis regni Galliarum a Gubernio solvuntur, respondendum censuit: « *Affirmative* » (19 Aug. 1821).

1040. — IV. Omnes Ecclesiae, beneficiati et Capitulum tenentur conficere et habere fidelissimum inventarium omnium rerum et bonorum, ut mandavit Sixtus V. — Cfr. Quaranta, in sum. Bullar., verb. *Archivium*.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. « Omnia quae habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi cibum tenuem et vestitum reservavi » (B. V. ad S. Brig. Revel., l. 1, c. 10).

MARIAM INVOCA. AVE « divitia pauperum » (S. I. Damasc.): AVE « Domina dulcis, cuius memoria affectum dulcorat, cuius magnitudinis meditatio mentem elevat, cuius pulchritudo oculum interiorem exhilarat, cuius amoenitatis immensitas cor meditantis inebriat » (S. Anselm. Lucensis).

MARIAM LAETIFICA. Amore sanctae paupertatis: « Domine mi, pie Iesu Christe, miserere mei et dominae paupertatis; nam et ego eius amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum » (S. Franciscus). — *Beati pauperes spiritu.* — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. II. — DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

ART. I. **De Beneficiis in genere.**

1041. — **Praenotandum.** — Ex hucusque dictis evidenter eruitur quod semper clericis *ius fuit* propter officium (ab ipso Deo stabilitum et sacris litteris firmatum) *de altari vivendi;* modus autem, quo clerici ecclesiasticis bonis fruuntur pertinet ad disciplinam, quae non fuit eadem omni aetate. *Ab initio* clerici ex communi aerario alimenta accipiebant. *Ineunte saec. VI*, facta bonorum divisione, certi reditus presbyteris ab Episcopo in usum fructuum concedebantur. Huiusmodi concessiones, quaedam beneficiorum imagines, non erant proprie dicta beneficia, siquidem praedia, modo precario et ad breve tempus data, morte clerici vel elapso tempore concessionis ad Ecclesiam revertebantur. *Paulatim* vero factum est, ut certis eiusmodi bonorum ecclesiasticorum partibus suus cuique titulus et officium

spirituale perpetuo adnecteretur. Inde beneficia originem duxerunt. — Cfr. Soglia, Devoti.

1042. — **Natura beneficiorum.** — I. *Beneficium apud primaevos romanos* significabat praedium fiscale ducibus ac militibus de republica meritis concessum. *Canonicae* sumptum definitur: *ius perpetuum percipiendi fructus de bonis ecclesiasticis, officii causa, ab auctoritate ecclesiastica constitutum.*

1043. — II. HINC *tria requiruntur ad beneficium ecclesiasticum* (de quo unice agimus): 1° auctoritas ecclesiastica erigens (Papa vel episcopi); 2° auctoritas ecclesiastica conferens; 3° perpetuitas.

1044. — III. *Beneficium distinguitur a* PRAEBENDA. Haec enim tantum comprehendit fructus, reditus et emolumenta, quae clericis certo obveniunt, ecclesiasticorum officiorum et beneficiorum causa. At vero *beneficii nomen latius patet*, quoniam non ea tantum, quae praebenda, comprehendit, sed etiam ecclesiasticum officium et magistratum.

1045. — IV. Beneficium propter spirituale officium institutum est. Non enim Clericos otiosos et nihil agentes ex ecclesiasticis reditibus vivere oportet; unde beneficiati debent imprimis *ministrare et orare*, sive Horas canonicas quotidie recitare, et illud in corde habere, ut proprium ministerium et officium *sancte* ac *religiose* adimpleant, scientes quod *manducant peccata populorum*, ac proinde debent totis viribus gloriam Patris misericordiarum et conversionem peccatorum procurare.

1046. — **Divisio.** — *Beneficia sunt:* I. MAIORA, uti beneficia Episcoporum, et Prelatorum iurisdictionem *quasi-episcopalem* exercentium; vel MINORA, i. e. caetera beneficia inferiora.

1047. — II. SAECULARIA, quae clericis saecularibus: vel REGULARIA, quae clericis regularibus sunt conferenda.

1048. — III. CURATA DUPLICIA, vel SIMPLICIA. *Curata* habent adiunctam curam animarum. *Duplicia* vel iurisdictionem, vel praecedentiam, vel administrationem, vel residentiam honorificam habent adiunctam, uti sunt parochiae, dignitates, personatus, officia, et canonicatus residentiales. *Simplicia* ad solum divinum servum pertinent.

1049. — IV. ELECTIVA, quae conferuntur per electionem Capituli a Superiore confirmatam; COLLATIVA, quae conferuntur per liberam Superioris auctoritatem, vel PATRONATA, quae ad patronorum praesentationem conferuntur. — Cfr. Soglia, Devoti.

1050. — NOTA. I. *Maiora beneficia communi beneficii nomine non comprehenduntur:* quin *ne dignitatis quidem vocabulo*, cum potius sint apices dignitatum. (Devoti).

1051. — II. A saeculo tertio Ecclesia habuit clericos, quorum tantum erat altari servire et orare, ut constat ex Cypr. ep. 1.

1052. — **Erectio beneficiorum** *est actus legitimus quo reditus annui constituuntur clerico propter officium spirituale.* — AD EAM RITE PERFICIENDAM requiritur I. *Legitima Superioris ecclesiastici auctoritas.* Romano Pontifici reservata est erectio maiorum beneficiorum; ad Episcopum spectat erectio beneficiorum minorum.

1053. — II. *Titulus,* cuius nomine significatur non solum ecclesia in qua beneficium erigitur, verum etiam ipsum officium spirituale quod in ea beneficiarius obire debet.

1054. — III. *Constitutio dotis*, quo nomine veniunt bona certa, stabilia et frugifera, ex quibus rector beneficii annuos reditus percipiat.

1055. — Nota: I. Fundatori liberum est statuere conditiones honestas a beneficiato religiose observandas, quae tamen ex causa a R. Pont. immutari possunt.

1056. — II. Ad modum erectionis quod attinet, Episcopus audit eos quorum interesse potest, conditiones approbat, et per contractum obligatorium ex utraque parte beneficium in titulum erigit; de quibus publicum instrumentum conficitur. (Huguenin).

1057. — **Innovatio beneficiorum** est *quidquid beneficia mutat*, fitque 1° Unione, 2° Divisione, 3° Dismembratione, 4° Suppressione seu extinctione.

1058. — **Unio beneficiorum.** — I. Fit cum duae Ecclesiae vel beneficia ecclesiastica auctoritate et ex iusta causa inter se coniunguntur. Est *temporalis* (a Trid. reiecta), vel *perpetua*.

1059. — II. Unio perpetua fit 1° *per exaequationem* (*ex aequo*, fitque fere in Cathedralibus Ecclesiis tantum), 2° *per accessionem* seu subiectionem, 3° *per confusionem*.

1060. — III. *Unio fit tantum ex iusta causa et cum debitis solemnitatibus.* Causae sunt 1° Ecclesiae necessitas, vel utilitas, 2° diminutio populi, 3° Ecclesiae ruina, 4° Seminarii et cultus necessariae expensae... — Vide. Trid. sess. 23, 24, 25.

1061. — **Solemnitates unionum.** — *Beneficiorum unio est odiosa, siquidem per illam diminuitur cultus divinus.* Unde, requiritur *auctoritas legitima eorum ad quos spectat erectio beneficiorum.* Nota: 1° R. Pontifex amplissimam habet potestatem uniendi beneficia; 2° praeter illum nullus inferior potest ecclesias cathe-

drales unire; 3° iure communi Episcopo competit facultas uniendi beneficia suae dioecesis.

1062. — Regulae servandae *in unione beneficiorum:* 1ª non possunt uniri beneficia diversarum dioecesium, neque beneficia regularia cum saecularibus, neque beneficia collativa cum patronatis; 2ª unio debet esse perpetua, ut dictum est, et intuitu Ecclesiae facta, non vero in personae favorem, alioquin non esset nisi palliata beneficiorum pluralitas, a iure prohibita; 3ª audiendi sunt illi quorum interest, nempe Capitulum et beneficiorum possessores. — Cfr. Devoti, Soglia.

1063. — **Beneficiorum divisio.** — *Divisio fit quando ex una Ecclesia, aut beneficio duo efficiuntur.* — I. Divisio haec generatim est vetita, nisi eam postulet iusta utilitas et necessitas.

1064. — II. Vocandi et audiendi sunt omnes quorum interest.

1065. — III. Necessaria est Superioris auctoritas.

1066. — IV. « In eo tantum casu datum est parochiam dividere et aliam erigere, quum talis est locorum distantia et difficultas, ut parochiani sine magno incommodo... nequeant parochiam adire ad Sacramenta percipienda, divinaque Officia audienda » (Soglia, 187).

1067. — **Dismembratio beneficiorum.** — I. Beneficii dismembratio fit quando *salva illius unitate, pars aliqua fructuum ab eo detrahitur, et alteri Beneficio, seu piae causae attribuitur.*

1068. — II. *Dismembratur fructus*, si pensio constituatur, aut taxa imponatur: *dismembratur territorium*, si populus unius Ecclesiae alteri assignetur; *dismembratur iurisdictio spiritualis*, si aliqua potestas ex privilegio, vel consuetudine comparata auferatur,

aut in alteram Ecclesiam transferatur, aut etiam, si ea potestas, quam aliquis super plures Ecclesias habebat, intra fines angustiores coerceatur, aut singulis Rectoribus ipsarum Ecclesiarum tribuatur.

1069. — III. *Dismembratio iure ordinario vetatur.*

1070. — IV. *Ex decreto Tridentini* (sess. 23, cap. 18 *de Reform.*), *Episcopi, adhibito consilio Deputatorum, et servata forma ipsius Decreti, aliquam possunt portionem fructuum tum a mensa Episcopali, tum ex Canonicatibus, Dignitatibus, aliisque Beneficiis detrahere et Seminariis applicare*, quae beneficiorum dismembratio vulgo TAXA nominatur.

1071. — V. TAXA *pro ipsa Seminarii erectione rite praestituitur*, et constitui potest primum ratione scutorum trium pro quolibet centenario fructuum, et si non sufficiat, usque ad scuta quinque augeri.

1072. — VI. *Uniones vero Beneficiorum non valent, nisi postquam Seminarium erectum est.* — Cfr. Bened. XIV, de Syn. Dioec., l. 9, c. 7; et Soglia, ibid.

1073. — **Extinctio beneficiorum.** — I. *Extinctio beneficii* locum habet: 1° quando Ecclesia destruitur una cum reditibus; 2° quando ab infidelibus vel schismaticis occupatur.

1074. — II. *Suppressio beneficiorum fieri debet auctoritate ecclesiastica et ex iusta causa.* CAUSAE SUNT: 1ª paucitas incolarum; 2ª vindicta gravis sceleris; 3ª diminutio redituum talis, ut non possit persona idonea sustentari.

1075. — III. TRANSLATIO BENEFICII *non habet rationem suppressionis*, quia iura, reditus et obligationes ob mutationem loci non immutantur. Causam et formam translationis indicat Concilium Tridentinum: « Si qua ecclesia, vetustate vel alias collapsa, propter inopiam instaurari nequeat, beneficia ibidem erecta non

supprimi, sed in alias ecclesias ab Episcopo transferri debent cum omnibus emolumentis et oneribus ». Cfr. Devoti, C. Ferrari, etc.

1076. — Nota I. « Potest Episcopus in vim aliorum decretorum Tridentini, vel etiam de iure communi in omnibus illis casibus supprimere beneficia, in quibus ea unire potest accessorie: quippe illa unio non fit sine suppressione » (Laurenius, in *Foro Beneficiali*, p. 2, q. 971, n. 16).

1077. — II. Si Ecclesiae eversae non possint instaurari, beneficia ibidem erecta debent in matrices aut alias Ecclesias transferri. — Cfr. Trid., sess. 21, c. 7, *de Reform.*

Art. II. De Collatione Beneficiorum.

1078. — **Praenotandum.** — I. *Beneficia ecclesiastica conferuntur:* 1° *electione;* 2° *postulatione;* 3° *collatione;* 4° *institutione*, sive *Iurepatronatus.*

1079. — II. Collatio est *vacantis Beneficii concessio, qua nempe titulus beneficii eiusque iura spiritualia, et temporalia tribuuntur.*

1080. — III. Cum beneficii collatio sit actus potestatis spiritualis, qua iura et ecclesiastica ministeria dispensantur, et ita Sacerdotio adhaereat, profecto liquet ad solos Ecclesiae Praesules eam collationem pertinere. Quapropter *collationes a laicis factae nullae atque irritae sunt* (cap. *Quod autem* de Iurepatr.); et Clericus « qui Ecclesiam per laicos sine propria auctoritate Episcopi receperit, communione privetur, et si perstiterit, a ministerio ecclesiastico, et Ordine deponatur » (cap. 4, eod.). *Vix nonnullis regibus et Abbatissis admodum raro, et speciali Apostolicae Sedis privilegio concessum est*, ut tamquam vicarii seu mi-

nistri, et procuratores Pontificis certa beneficia conferrent (Soglia): unde haud agunt nomine proprio.

1081. — IV. *Triplice iure, scilicet vel plenario, vel ordinario, vel delegato praesules Ecclesiae beneficia conferunt:* Pontifex quidem plenario, Episcopi ordinario, Cardinales, aliique Apostolicum indultum habentes, delegato (ibid.).

1082. — NOTA I. *Collatio differt ab electione,* quia collatio ab uno perficitur, electio vero a pluribus. — II. *De electione, etc., agitur alibi.*

1083. — **Collatio iure plenario.** — Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant potest de iure conferre, verum etiam ius in ipsis tribuere vacaturis (Clem. IV, cap. *Licet* de Praeb. et Dignit. in 6).

1084. — **Reservatio apostolica.** — I. Reservationes aliae *Iuris corpore clausae*, et aliae *extra corpus Iuris;* hoc est in *Extravagantibus* esse dicuntur, item aliae *per insequentium Pontificum Constitutiones*, et aliae demum *per Regulas Cancellariae* invectae sunt (Soglia).

1085. — II. SUNT AUTEM QUINQUE RESERVATIONUM GENERA: *beneficia reservantur:* 1° vel *ratione qualitatis* ipsorum beneficiorum, qualis est reservatio Episcopatuum, primarum Dignitatum, et Beneficiorum maiorum; 2° vel *ratione Personarum* eadem beneficia obtinentium, uti beneficia Cardinalium, Curialium et Sedis Apostolicae Officialium; vel 3° *ratione modi* quo vacant, veluti Beneficia vacantia ob privationem, depositionem, collationem alterius incompatibilis; vel 4° *ratione loci* ubi vacant, cuiusmodi est reservatio vacantium apud Sedem aut in Curia; vel 5° *ratione*

temporis quo vacant, unde orta distinctio est inter menses Papales et ordinarios.

1086. — HINC I. *Reservationes reales et personales quae nimirum aut* RATIONE QUALITATIS, AUT RATIONE PERSONARUM semel Beneficiis inductae sunt, semper durant.

1087. — II. *Reservationes etiam inductae* RATIONE MODI, quo *Beneficia vacant*, perpetuae sunt, ideo quod non solum Cancellariae regulis, sed etiam Extravaganti *Ex debito*, aliisque Constitutionibus Pontificum nitantur.

1088. — III. *Quod autem attinet ad reservationem Beneficiorum* RATIONE LOCI quo vacant, uti in Curia vacantium, solae Parochiales Ecclesiae in Curia vacantes post obitum Pontificis, aut, eo vivo, vacantes et non collatae ab illa reservatione eximuntur, quia Bonifacius VIII, cap. 35, *de Praeb.*, in 6°, earum sic vacantium collationem Ordinariis non ademit, sed plane aperteque reliquit.

1089. — IV. *Denique reservationes omnes, quae prodeunt ab* INCERTO EVENTU *mensis quo beneficia vacant*, viduata Apostolica Sede, prorsus expirant, quod nulla lege seu constitutione firmentur.

1090. — **Monitum.** — I. RESERVATIONES HUIUSMODI NON UBIQUE LOCORUM VIGENT, *quandoquidem in aliquis Regnis et Provinciis confectae sunt cum Apostolica Sede pactiones de collationibus Beneficiorum:* pactum vero praestat iuri.

1091. — II. *In locis etiam, ubi nulla pacta conventa sunt, eisdem reservationibus non continentur beneficia improprie dicta,* qualia sunt Altaria et Cappellaniae absque Episcopi auctoritate fundatae, nempe officia ecclesiastica quae non dantur in titulum, nec Vicariae temporales, neque etiam Vicariae perpetuae

Ecclesiarum Parochialium Cathedralibus, Collegiatis et Regularibus Ecclesiis, aliisque piis locis unitarum, quae ad liberam nominationem seu praesentationem eorum quibus unitae sunt, cum Episcopi approbatione, et sine concursu conferuntur, *nec demum Beneficia Iurispatronatus* non modo laicalis, verum etiam mixti, ne laici ex communione cum ecclesiasticis iacturam suorum iurium patiantur.

1092. — III. Reservationes Regularum Cancellariae perpetuam vim non habent, sed eam omnem quam habent, decedente Pontifice, amittunt, nec reviviscunt, donec a novo Pontifice confirmentur.

1093. — IV. *Concordata seu pacta de reservationibus inita, intelligenda sunt de iure ordinario:* nam R. Pontifex de potestate sua absoluta, et urgentibus gravibus causis, potest ipsis Concordatis derogare (C. Ferrari, Reiffenstuel). Rem illustrat sequens documentum : « Utrum valida censeri possit in America Latina collatio decanatus et aliorum beneficiorum ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum Apostolicae reservationi subiectorum, ab Ordinariis absque speciali S. Sedis indulto peracta, in dioecesibus ubi per Conventiones S. Sedis cum civilibus guberniis vel aliter ex alia speciali Romani Pontificis concessione iuri communi haud derogatum est ? — R. Negative, nisi habeatur speciale, authenticum et indubium indultum S. Sedis ; quod proinde non praesumendum est, sed certo probandum, et in ipso instrumento collationis beneficii expressis verbis ad memoriam revocandum » (S. C. Neg. Eccl. Extr., 5 Nov. 1901).

1094. — **Affectio.** — I. *Tacita reservatio vocatur affectio*, et beneficium hoc modo reservatum dicitur affectum : et *differt reservatio expressa ab affectione*, quod illa est perpetua, haec vero pro una tantum vice

obtinet, et quousque Pontificis provisio sit completa, in quo unanimes sunt Doctores. Deinde, reservatio fit verbis, affectio vero fit facto Pontificis.

1095. — II. Affectio per appositionem manuum pontificis *reddit beneficium affectum, cum fit voluntate illud reservandi:* ut si Pontifex beneficii renuntiationem in suis manibus factam acceptet; si quemquam beneficio privet; si beneficium concedat in commendam, aut in administrationem; si eidem deputet coadiutorem cum futura successione, et coadiutor coadiuto prius moriatur; si duo beneficia ad alicuius vitam coniungat; et in aliis similibus casibus.

1096. — III. *Cum Pontifex in beneficio manus apposuit, non ad effectum sibi illud reservandi, sed ad alium finem,* v. g. ad auferendum per dispensationem aliquod impedimentum, ad reservandam pensionem, vel ad instituendam perpetuam duorum beneficiorum unionem, *nulla est affectio,* quia non materialis manuum appositio reddit beneficium affectum, sed illa tantum, quae fit animo sibi reservandi, et postea conferendi, cum actio nequeat producere effectum ultra intentionem operantis. — C. Ferrari, 503, 504.

1097. — IV. Affectio Beneficii est potior reservatione generali; ergo sublata reservatione generali non tollitur affectio (Soglia).

1098. — **Devolutio.** — I. *Iure devolutionis Pontifex beneficia confert, cum intra tempus a lege definitum non fuerunt per Ordinarium (scientem vel volentem) collata, aut fuerunt male collata,* quod constitutum est, ne diurna beneficiorum vacatio propter negligentiam aut culpam Praelatorum Ecclesiis preiudicium afferat.

1099. — II. Tempus a iure praefixum *est trium mensium,* si de praelaturis Ecclesiarum cathedralium,

aut Collegiatarum tum saecularium, tum regularium agatur, et *sex mensium*, si agatur de aliis beneficiis minoribus.

1100. — III. Devolutio gradatim fit ex dispositione iuris communis ab inferiore ad Superiorem collatorem, ab Episcopo ad Archiepiscopum, et ab Archiepiscopo ad R. Pontificem, ita ut inferior collator in beneficiis minoribus tempus sex mensium ad conferendum habeat.

1101. — IV. Nunc in praxi devolutio non fit amplius ab Episcopo ad Archiepiscopum, sed solum ad R. Pontificem, ex S. Cong. Episc. 2 Maii 1601.

1102. — V. *Ubi hoc tempus utile iam praeterlapsum sit, et beneficii collatio ab inferiore collatore adhuc fiat, erit nulla* si alia prius facta fuerit a Superiore; *erit revocabilis,* si Superior, per sententiam, velit eam declarare irritam; et *erit firma*, si Superior acquiescat, et nemo se opponat; quo casu ita de misericordia toleratur collatio, ut provisus maneat in conscientia tutus (F. Ferrari, 488).

1103. — Nota I. Devolutio ob negligentiam inducta est ab Alexandro III (*cap.* 2 *de concess. Praeb.).*

1104. — II. Devolutio ob culpam fit non solum si beneficium indigno collatum fuerit, sed etiam si forma canonica non fuerit servata.

1105. — **Collatio iure ordinario.** — I. *Post R. Pontificem, proximum locum inter collatores obtinent Episcopi et alii locorum Ordinarii, qui ordinario et nativo iure beneficia conferunt.*

1106. — II. Cum ipsi fundatam in iure communi habeant potestatem conferendi beneficia suae dioecesis, inde *duo inferuntur:* 1° Episcopi ea potestate recte, utuntur in collatione omnium beneficiorum, exceptis beneficiis quae Sedes Apostolica suae collationi addixerit.

2° Si quis contenderit collationem alicuius beneficii in eisdem dioecesibus ad se pertinere, tenetur id probare ex privilegio vel consuetudine rite praescripta. In dubio causa adiudicanda est Episcopis, quibus praesumptio iuris favet (Cfr. Soglia, 92, Devoti).

1107. — Nota I. « Ordinariis Collatoribus nonnulli Canonistae adiungunt Apostolicae Sedis *Legatos a latere* dictos... Sed huiusmodi Legatorum iura penitus antiquata sunt » (Soglia, ib.). — Quoad Capitulum, Sede vacante, et Vicarium Capitularem, vide alibi.

1108. — **Collatio iure delegato.** — I. *Cardinales* ex privilegio, quamvis non sint Episcopi, acceperunt potestatem conferendi aliqua beneficia.

1109. — II. Ex simili privilegio, vel praescriptione *nonnulli praelati*, ordinariam quidem iurisdictionem non habentes, obtinuerunt ius quaedam beneficia conferendi.

1110. — III. Si collatio beneficii ad eum pertinet, qui nec Episcopus est, nec praeditus iurisdictione quasi Episcopali, quamquam titulum beneficii conferre possit, institutionem tamen AUCTORIZABILEM, quo nomine regimen et cura animarum intelligitur, largiri nequit, quandoquidem *animarum curam tribuere* ad unum Ordinarium pertinet (Soglia).

1111. — **Varia.** — I. « Existens in possessione aut quasi possessione legitima iuris conferendi valide confert, quamvis postea agnoscatur, ius conferendi ratione tituli, aut proprietatis ad alium pertinere, quia collatio pertinet ad beneficiorum fructus, quos iuste bonae fidei possessor suos facit » (C. Ferrari, n. 490).

1112. — II. Capacitas ad beneficia acceptanda aufertur clericis coniugatis, quia cithara cum psalterio male concordat, ut ait Innocentius III (id. 491).

1113. — III. In beneficiis praeferatur, « caeteris

paribus, oriundus non oriundo, dioecesanus non dioecesano, et indigena forensi ».

1114. — IV. Potestas civilis non potest statuere qualitates aut conditiones, sive exceptiones in beneficiis. *Hinc* Clemens VI reprobavit legem Philippi Galliarum regis, qua exteri a beneficiis regni excludebantur... (Id.).

Art. III. De subiecto Beneficiorum.

1115. — **Regula generalis.** — Beneficia ecclesiastica conferri debent personis idoneis tantum.

1116. — **Requisita in subiecto.** — I. *Legitima aetas;* videlicet pro Episcopatu annus 30 completus, pro beneficiis duplicibus annus 25 inchoatus, pro dignitatibus in capitulis annus 22 completus. Ad beneficia simplicia, sufficit annus 14 inchoatus.

1117. — II. *Legitimi natales*, nisi dispensatio concedatur in favorem eorum qui morum integritate et doctrina commendantur. Pro beneficiis simplicibus ab Episcopo, pro beneficiis curatis a Pontifice conceditur (Vid. *Theol. Mor.*, ubi *De Irregular.)*.

1118. — III. *Status clericalis et coelibatus pro quibuscumque beneficiis, et Ordo pro qualitate beneficii.* Ad Episcopatum et curam animarum necessarius est presbyteratus brevi suscipiendus.

1119. — IV. *Vitae integritas*, ad quam refertur immunitas a censuris et irregularitate. « Omnes et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque ius quacumque ratione a Sede Apostolica habent aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando, hortatur et monet (S. Synodus), ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, et populorum salutem utilius posse

facere, quam si bonos pastores, et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint; et quos ex legitimo matrimonio natos, et vita, aetate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus praeditos sciant, quae iuxta sacros canones et Tridentinae huius Synodi decreta requiruntur (Conc. Trid., sess. 24, cap. 1, de ref.).

1120. — V. *Scientia* quae officiis rite obeundis sufficiat. — *Inter plures dignior praeferendus est.* Haec obligatio respicit praesertim episcopatum, et beneficia quae iurisdictionem externam vel curam animarum annexam habent. Illicita, sed valida est collatio inferioris beneficii digno facta, praetermisso digniore. Benedictus XIV, Const. *Cum illud*, 14 Dec. 1742, ita de hac re scribit: « Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem sed caveri tantummodo, ne indignis Ecclesiae parochiales aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, s. m. Innocentius XI, Praedecessor Noster, erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio » [1]. — Nota. *Illegitimus* non potest obtinere beneficium in Ecclesia in qua beneficiatus est pater, neque obtinere beneficium a patre dimissum.

[1] " Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, ad ecclesias pro-

1121. — **Forma collationis.** — I. Ut beneficia rite conferantur requiritur: 1° *Ut beneficium conferendum sit vacans;* etenim, praeter coadiutores Episcoporum, Conc. Trid. *expectativas* prohibuit. 2° *Ut collatio fiat gratuito* sine simonia. 3° *Ut collatio fiat libere*, citra vim et coactionem, veluti liberalis quaedam donatio. 4° *Ut beneficia conferantur absolute*, non conditionate vel disiunctive. 5° *Ut conferantur palam coram aliis.* Haec conditio requiritur tantum ad probationem, ut litibus occurratur. 6° *Ut conferantur tempore definito*, quia legibus cavetur, ne beneficia diutius, v. g. ultra semestre vacua permaneant. Si collator ordinarius providere neglexerit, ius ad Superiorem devolvitur. — Nota I. *Hodierna praxis* neminem ad beneficii possessionem admittit, nisi *litteras* collationis exhibeat. Hanc disciplinam induxit necessitas avertendi fraudes vel lites.

1122. — II. Episcopus in suis litteris mentionem faciat de natura et reditibus beneficii, de tempore ac modo vacationis, de meritis candidati... (Cfr. Soglia, Devoti, C. Ferrari).

1123. — « Collatores Ordinarii litteras expediunt tantum ad faciendam fidem » (Huguenin).

1124. — **Varia.** — I. Quoad concursum, teneto: 1° Concursus fit ad beneficia parochialia; 2° Praescribitur ex Trid., sess. 24, c. 18 *de Reform.;* 3° R. Pontifex tolerat in aliquibus locis non observantiam legis

movent; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludant indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus „ (Pr. 54, damnata ab Innoc. XI).

concursus: sed *maximis laudibus commendat* illos Ordinarios, qui legem concursus introducunt praecipue in Gallia, ubi haec Tridentina lex non ubique servatur; 4° Candidati propriam idoneitatem ad normam iuris comprobaturi, « verecunde, divinique obsequii desiderio, et salutis animarum causa solum adducti, suae virtutis testimonia proferant, et voluntatem obtinendae parochiae declarent, si bene atque utiliter *parochianis* ita consulatur; deinde curas abiiciant, omnemque rei exitum ad supremam Dei providentiam penitus referant », ait Benedictus XIV, Inst. 12, n. 11.

1125. — II. Ex Bened. XIV, Vicarius Generalis nequit esse examinator synodalis in concursu *(De Syn.*, l. 4, c. 7, n. 4).

1126. — III. Graviter errant, qui per importunas preces libertatem Praelatorum in conferendis beneficiis laedunt: et gravius peccant potentes huius mundi importunarum precum praesertim favore indignorum, auctores. De qua re ita Angelicus, 2, 2, q. 110, a. 5 ad 3: « Quando fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quae *preces armatae* dicuntur, manifeste simonia committitur, si propter hoc beneficium ecclesiasticum datur; si autem pro digno fiant... si tamen principaliter moveatur favore precum, vel timore rogantis, quantum ad divinum iudicium, simoniam committit et rogatus et rogans, si hoc intendat, sive aliquis pro se roget, sive pro alio ».

1127. — IV. Unde, subiungit Conc. plen. Am. Lat., art. 814, si grave foret peccatum Praelati, qui ad aliquod beneficium conferendum principaliter moveretur favore precum vel timore rogantis, sine comparatione gravius esset peccatum huiusmodi potentatuum, qui conscientiae et auctoritati Praelatorum vel aperte,

vel, quod damnabilius quodammodo est, indirecte et per obliquum violentiam inferrent; nec eos excusarent, imo moralis violentiae reatum aggravarent, rationes quae dicuntur *politicae* vel *Status:* et gravissimum undequaque dicendum esset crimen clericorum, qui pro beneficio obtinendo ad huiusmodi intercessiones recurrerent.

1128. — V. Meminerint omnes clericis protectionem potentatuum quaerentes, eorumque iniusti protectores, excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, subiacere: *Reos simoniae realis in beneficiis quibuslibet, eorumque complices* (Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*). Igitur, si quis clericus, quod Deus avertat, hac labe infectus fuerit, et realem simoniam sibi condonari voluerit, ante omnia hoc monitum perpendat et citissime executioni mandet, scilicet: « *Dimittat*, *moneat*, *restituat;* videlicet *dimittat* beneficium, quod malis artibus acquisivit; *moneat* eum, qui pretium accepit, ut illud in Ecclesiae vel egenorum commodum convertat; *restituat* fructus omnes, quos ab Ecclesia perceperit », ait Bened. XIV, Inst, 12, n. 12 (Ibid., art. 815).

Art. IV. **De possessione et vacatione Beneficiorum.**

1129. — **Possessio.** — I. *Collatio ius tribuit capiendae possessionis beneficii*, sed nemo auctoritate propria possessionem capere potest, cap. 18, *de Praeben.* in 6, et cap. 19, *de Privileg.*

1130. — II. *Possessio arripitur per ingressum in Ecclesiam, ubi est titulus beneficii, occupando sedem convenientem* veluti stallum in Choro, aut campanam pulsando, Altare osculando, Missale aperiendo vel clau-

dendo, *aliaque id genus agendo, quae officium et potestatem beneficiati significent.* Canonicatus autem et Praebendae Capitularis possessio coram Capitulo accipienda est.

1131. — III. *Beneficiarii curam animarum habentes, Canonici et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium professionem fidei emittere debent* intra duos menses a die possessionis captae; secus non possunt percipere fructus, nec ulla possessio eisdem prodesse potest. Professio fidei fieri debet iuxta formulam a Pio IX ordinatam ac praeceptam [1].

1132. — **Vacatio.** — I. *Beneficium vacat, dum suo Rectore destituitur.* — II. *Beneficium vacat duobus*

[1] " 1. An praeter canonicos, dignitates et curatos inamovibili, ut dicunt, titulo provisos, parochi etiam amovibiles seu succursalistae ad professionem fidei iuxta praescriptionem S. Concilii Tridentini teneantur? 2. Et quatenus affirmative circa succursalistas, an possint professionem facere coram simplici deputato ab Episcopo? 3. An praedicta professio toties renovari debeat, quoties illi omnes, de quibus supra, ad aliud beneficium transferuntur? Resp. ....iuxta C. Trid., sess. 24. c. De Resp., ac resolutiones.... in similibus, ad 1um affirmative; ad 2um negative; ad 3um affirmative " *(S. C. C., 15 Dec. 1866)*. — " An obtinentes beneficium cum curam animarum, dignitates et canonicatus in Ecclesiis metropolitanis vel catedralibus satisfaciant praecepto S. C. Trid., sess. 24, c. 12, de ref., si professionem fidei emittant post susceptam institutionem collationem et antequam in possessionem immittantur in casu, etc.? Resp. Affirmative " (*S. C. C., 23 Apr. 1902, 11 Maii 1782*). — ***Beneficia vacant per professionem votorum simplicium perpetuorum.*** " An in Congr. Mission. Imm. Cord. B. M. V. Filiorum professio perpetua (votorum simplicium) vacationem beneficiorum residentialium inducat? Resp. Affirmative " (*S. C. EE. et RR., 25 Augusti 1903*).

modis: 1° voluntate propria; 2° necessitate. *Primo modo* beneficia vacant dum libera Beneficiarii voluntate aut dimittuntur, aut resignantur, vel permutantur; *secundo modo* vacant, dum invitis possessoribus aut ob mortem, aut in poenam amittuntur (Soglia).

1133. — **Dimissio.** — DIMISSIO *(renuntiatio, resignatio) est libera beneficii abdicatio ex iusta causa facta coram legitimo Superiore eam acceptante.* DUPLEX esse potest, nempe *tacita* vel *expressa. Tacita* est, cum beneficium dimittitur non verbis, sed facto ex quo eius inducit renuntiationem; v. g. ex matrimonio clerici, ex militia, ex solemni professione, ex adeptione beneficii incompatibilis. *Expressa* dum voluntas dimittendi verbis aut scripto declaratur; estque *pura* seu simplex, et absoluta vel *conditionalis.*

1134. — REG. I^a^. *Resignationes beneficiorum simplicium facile admittuntur*, difficilius resignationes parochiarum, maiori difficultate resignationes Episcoporum (Huguenin).

1135. — REG. II^a^. *Excipiuntur beneficia litigiosa,* quibus nonnisi in gratiam collitigantis renuntiari potest; *beneficia ad quorum titulum* quis ordinatus est, nisi aliunde habeat honestam sustentationem; *beneficia quibus aliquis ipso iure* privatus existit, vel ad quae nullum titulum canonicum habet, nam clericus renuntiare nequit iuri quod ipsi non competit (id.).

1136. — REG. III^a^. *Regulariter resignare possunt omnes, qui specialiter a iure non prohibentur.* Prohibentur autem: 1° furiosi et generatim deliberationis incapaces; 2° clerici constituti in sacris Ordinibus, si careant debita sustentatione; 3° novitii, nisi duobus mensibus ante professionem solemnem; 4° criminosus, si ob crimen ipso iure privatus sit beneficio; 5° infir-

mus valide non renuntiat in favorem tertii, nisi post renuntiationem supervivat viginti dies completos.

1137. — Reg. IVª. *Quoad formam renuntiationis teneto:* requiritur: 1° *libertas*, unde irrita est resignatio vi extorta; 2° *actus publicus*, ut fraudes vitentur; 3° *resignatio fieri debet pure et absolute*, seu procul ab omni specie simoniae et a prohibitis in iure conditionibus (vide *Theol. Moral.*, ubi de praeceptis Decalogi); 4° *Superioris licentia...*

1138. — Reg. Vª. *Renuntiationes inferiorum beneficiorum simpliciter et pure factas Ordinarii Antistites rite admittunt:* renuntiationes autem Episcopatuum aliorumque maiorum Beneficiorum ab uno Pontifice admitti possunt, quin etiam in resignationibus Beneficiorum inferiorum quae aut in favorem certae personae, aut sub reservatione pensionis fiunt, auctoritas ipsius Pontificis necessaria est (Soglia, 99).

1139. — **Permutatio.** — Ad renuntiationes sub conditione factas pertinet beneficiorum permutatio, quae translationi etiam affinis est, estque *mutua beneficiorum dimissio sub ea conditione, ut quilibet resignans alterius resignantis beneficium consequatur.* Licita et valida est: 1° Si resignantium uterque suum *beneficium resignat in manus superioris* Ordinarii, cui beneficium est subiectum; 2° Si deinde Ordinarius beneficia sic resignata permutando conferat ipsis permutantibus; 3° *Si semper interveniat Ordinarii auctoritas;* 4° Si permutatio *fiat ex iusta causa* et ab Ordinario cognita, scilicet in Ecclesiae commodum vel saltem in permutantium utilitatem talem, quae cedat in ipsius Ecclesiae utilitatem (Huguenin).

1140. — **Necessariae vacationes.** — Occasione delicti ipsum ius beneficii privationem pronuntiat: 1° in casu assassinii quoad committentes, et man-

dantes; 2° in casu homicidii, et hostilis insectationis contra Cardinalem, aut contra Episcopum; 3° in casu haeresis; 4° in casu simoniae realis, et confidentialis; 5° in casu intrusionis in beneficium, etiam cum beneficii reservati possessio capta fuit absque Apostolicis litteris; 6° in casu insordescentiae dolosae in excommunicatione ultra annum; 7° in casu procurationis abortus foetus animati, effectu sequuto; 8° in casu duelli sive solemnis, sive privati, sive provocati, sive non provocati, et etiam morte non sequuta; 9° in casu iniustae occupationis bonorum ad Ecclesias quascumque et ad pia loca pertinentium, etc. etc.

1141. — Nota I. *Ad plenum privationis effectum regulariter debet iudicis sententia intervenire*, quae declaret crimen fuisse a beneficiato patratum, aut factum fuisse commissum, propter quod beneficiatus habendus sit ut realiter beneficio privatus, quia privatio iuris licet beneficiatum repellat a dominio, non deiicit a possessione: haec sententia propterea *declaratoria* dicitur. — Cfr. Ferrari, n. 570.

1142. — Nota II. Poena privationis ex iure infligi debet a iudice (i. e. comminatur a iure): 1° Contra non residentes; 2° Contra non recipientes ordines a fundatore imperatos... 3° Contra Clericos non deferentes habitum et tonsuram, post monitiones, etc. (vid. *Theol. Mor.*); 4° Contra concubinarios, foeneratores, satores rixarum, arma gestantes, etc.; 5° Denique contra Clericos depositione aut degradatione dignos. — Cfr. Trid., sess. 6 et 23, cap. 1, *de Reform.*; Soglia, 100, etc.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Domina nostra in hac lacrymarum valle fuit quasi « Columba gemitum pro cantu habens,

illi enim gemere dulce fuit, eo quod prae cunctis mortalibus mente vulnerata esset » (Rupert. Ab.).

MARIAM INVOCA. Laetifica corda nostra, o « Columba gemituosa, intenta in foraminibus petrae, id est in vulneribus Filii, canendo gemens, gemendo canens » (id.).

MARIAM LAETIFICA. Moderatione cibi, eleemosynarum largitate, cordis compunctione, solitudinis amore. — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. III. — DE IUREPATRONATUS, COMMENDIS ET PENSIONIBUS

ART. I. De Iurepatronatus.

1143. — **Definitio.** — IUSPATRONATUS est *ius praesentandi Clericum instituendum ad Ecclesiam, vel beneficium vacans, vel facultas praesentandi* (non vero conferendi) *clericum idoneum ad beneficium ecclesiasticum vacans cum aliis iuribus et oneribus coniuncta.* — Iuspatronatus non habetur in Praelaturis Cathedralium et Collegiatarum, secluso *speciali privilegio vel concordato.*

1144. — Quicumque ad praesentationem, designationem, nominationem, admissionem vel confirmationem beneficiatorum concurrere debet, seu ius patronatus legitimum habet, saepe perpendat gravissima haec verba Benedicti XIV, Inst. 12, n. 3-5: « Nihil gravius toto vitae cursu ipsi evenire posse, quam probatissimum hominem parochiae praeficiendum suis suffragiis renuntiare... Ob eam causam non esse temere festinandum, sed assiduis precibus exorandum Deum, ut coe-

leste lumen liberaliter impertiat... Nam sicut detrimenta omnia, quae ab imperitis medicis, nautis atque imperatoribus dimanant, ad illos, a quibus electi sunt, merito referuntur, ita, qui privatis suis cupiditatibus obsecundans, sacerdotem idoneum omnique laudis genere praestantem negligit, aliumque suffragio suo nuncupat ad animarum regimen minus accommodatum, malorum omnium, quae inde consequentur, velut auctor a Deo iudicabitur. Bona vero, quae praestantior sacerdos excitasset, si ipsi Parochiae administratio delata fuisset, ab iis severissime Deus exiget, qui suffragium impertiri recusarunt. Hanc sententiam pietatis Magister Ludovicus Granatensis scriptam reliquit: *Praeferens indignum reus est omnium animarum, quae ob eius indignitatem periclitantur; reus est omnium flagitiorum, quae ex hoc crimine consequuntur; reus denique omnium, aut eleemosynarum aut aliorum bonorum, quae boni Rectoris studio perficerentur* ».

1145. — **Origo iurispatronatus.** — I. *Sacri canones templorum, altarium, beneficiorum fundatores, eorumque liberos et haeredes praecipuis quibusdam iuribus, honoribus et privilegiis donarunt, ut erga illos se gratos praeberent,* caeteri autem pari bene de Ecclesia merendum voluntate excitarentur.

1146. — II. Hinc *nomina et elogia fundatorum ecclesiis recitata sacrisque dypticis* inscripta fuisse constat; hinc eorum nomina ecclesiis imposita; hinc datum ius designandi et offerendi Clericum, qui beneficium adipiscatur: hinc reliqua concessa iura quae honorificati appellari diximus. Omnium tamen *maximum et praecipuum est ius offerendi, seu praesentandi Episcopo Clericum* qui institui et creari debeat rector templi seu beneficii, ad quod praesentatus fuit (Devoti, 49).

1147. — **Acquisitio Iurispatronatus:** Iuspatronatus acquiritur variis modis, quorum alii *primitivi* dici possunt, alii *secundarii* et *derivativi*. — PRIMITIVI, quibus iuspatronatus acquiritur ipso iure, sive ex iustitia, *sunt tres, nempe: dotatio, aedificatio et fundatio*, iuxta illud Glossae: « *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus* ». UNDE 1° *Ille dicitur fundare*, qui dat fundum, in quo est Ecclesia construenda: *ille aedificare*, qui propriis sumptibus Ecclesiam primus extruit, vel iam collapsam reaedificat; ille demum dicitur *dotare*, qui pro Ecclesiae manutentione, pro ministris, et utensilibus reditus sufficientes assignat. 2° Si vero reditus assignati sufficientes non sint, benefactor, non patronus dicitur. 3° Qui tres praedictas causas ponit, modo adsit saltem praesumptus Episcopi consensus, ipso iure absque ulla iurispatronatus reservatione patronus fit. Et si plures in id concurrant, et unus ex. gr. fundet, alter aedificet, et tertius dotet, omnes in solidum patroni fiunt. — MODI SECUNDARII sunt privilegium Papae et praescriptio. — MODI DERIVATIVI fiunt v. g. per haereditatem. Vide Trid., sess. 25. — Cfr. C. Ferrari, etc.

1148. — **Iura et obligationes patroni,** sunt: *praesentatio*, *honor*, *onus*, *utilitas*. — I. Praecipuum patroni ius est facultas praesentandi.

1149. — II. Reliqua patronorum iura dicuntur *honorifica*, vel *utilia*, vel *onerosa*. 1° Iura *honorifica* sunt dignior sedes in Ecclesia; praecedentia prae laicis in processionibus; honor aquae benedictae, thuris et sepulturae. 2° *Utilia* patronorum iura duo sunt. *Primus* est, quod patronus possit in ipsa fundatione sibi moderatam pensionem reservare. Alterum est ius alimentorum in casu quo patronus ad inopiam redigeretur. 3° *Iura onerosa* sunt ius defensionis et vigilantiae in rectam administrationem bonorum ecclesiae patronatae.

Patronis vero non competit ipsa administratio. — Nota. Cum ultimo eiusmodi officio analogiam habet *advocatia*, seu defensio qua principes, postulante Ecclesia, contra violentas oppressiones ipsam vel ecclesias particulares protegunt (Huguenin).

1150. — III. Magistratus et alii, quibus ius patronatus vel praesentationis ad aliqua beneficia competit, abstineant a promissionibus circa beneficia nondum vacantia; et sciant huiusmodi promissiones adveniente etiam vacatione, nullius ponderis esse. « Non sine piaculo huiusmodi nominationes amicitiae, aut cognationis habita ratione, fieri, sed unice spectandum esse, an cum Dei obsequio et Ecclesiae utilitate coniungantur », ait Benedictus XIV, Inst. 12, n. 8.

1151. — **Amissio Iurispatronatus.** — Amittitur iuspatronatus. — I. Si patronus Ecclesiam reparare et conservare recuset.

1152. — II. Si eadem incendio consumpta fuerit, vel motu terrae, vel vetustate, aut vitio suo corruerit.

1153. — III. Si patronus suo se iure abdicet, aut alteri concedat, vel Ecclesiam, nulla sui iuris facta reservatione, Collegiatam fieri patiatur, vel praedium vendat, cui iuspatronatus adhaeret.

1154. — IV. Si in haeresim inciderit.

1155. — V. Si Ecclesiae Rectorem, aut Clericum vel per se vel per alios occidere, seu mutilare ausus fuerit, vel iura Ecclesiae usurpaverit, vel separatim ius patronatus vendiderit.

1156. — VI. Denique si praescribi permiserit (Devoti, 58).

1157. — **Varia.** — I. Episcopus restituere non potest iuspatronatus ei, qui illud amisit: quia nequit servitutem imponere Ecclesiae, quae libertatem obtinuit (Cfr. Ferrari, 562).

1158. — II. Iuspatronatus est *haereditarium*, si transit ad quoscumque vocatos haeredes; est *familiare*, si ad particularem familiam pertinet; est *mixtum*, si ex haereditario et familiari; est *activum*, seu ius praesentandi, vel *passivum*, seu ius ut quis praesentetur, si idoneus; est *personale* vel *reale; ecclesiasticum, laicale, mixtum...*

1159. — III. Potest unus patronus praesentare alium compatronum; non autem seipsum (Vid. *Theol. Moralis*).

Art. II. De Commendis.

1160. — **Tenendum.** — I. *Hodie iustis de causis* (etsi raro, seu paucis in locis) commendae dantur, et dantur ab uno Romano Pontifice, cui tantum potestas est relaxandi canones, qui regularia beneficia Clericis saecularibus concedi vetant.

1161. — II. *Verbis autem potius quam re nunc a beneficiis commendae differunt*, quoniam et hae in perpetuum dantur et titulum praestant ad Ordines suscipiendos, et Clerici commendatarii iisdem ferme praerogativis ac iuribus, quibus beneficiarii, fruuntur.

1162. — III. Hinc: liberam habent reddituum administrationem, et ius praesentandi, eligendi, conferendi; verum monasteria visitantur a Regularibus Superioribus, quibus subsunt, atque ad eos regimen et cura pertinet regularis instituti (Devoti, 28).

1163. — Nota. I. *Trid.* solemniter declaravit neminem posse retinere duo beneficia, licet unum sit in titulum et alterum in perpetuam commendam.

1164. — II. Olim commendatarius erat veluti oeconomus, seu administrator, nec faciebat fructus suos, imo tenebatur reddere rationem futuro Rectori.

ART. III. De Pensionibus.

1165. — **Pensio** ecclesiastica est *ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.* — Est 1° *Laica,* quae datur laicis ob temporale obsequium in Ecclesiam: *ecclesiastica,* quae datur clerico tantum propter ministerium; *mixta,* quae datur clerico tantum propter honestam sustentationem (Vid. *Theol. Mor.*).

1166. — **Tenendum.** — I. *Hodie* a Romano Pontifice *tantum* pro ampla illa, qua in Ecclesia pollet, auctoritate pensiones imponi possunt.

1167. — II. *Non desunt, qui etiam Episcopo hanc potestatem adscribant;* sed omnes inter pensionem a Pontifice atque ab Episcopo impositam *magnum discrimen* faciunt. Nam pensio Pontificis ipsi haeret beneficio, cum quo transfertur ad omnes eius possessores; at Episcopi pensio solum afficit beneficiatum, cuius obitu extinguitur.

1168. — III. Nunc in parochiis omnibus indiscriminatim pensiones non apponuntur, ut parochus integros habeat reditus, cum quibus pauperibus opem ferre possit.

1169. — IV. *Quamquam pensiones clericales proprie beneficia non sint,* tamen beneficii loco sunt, quoniam ex ecclesiasticis bonis decernuntur, et ideo nonnisi Clericis dantur, ac per matrimonium amittuntur, nisi quem Sedes Apostolica lege solverit. — UNDE Clerici pensionarii Officium Beatae Virginis quotidie recitare debent.

1170. — V. Ad pensionem requiritur: 1° *iusta causa,* secus non excusatur pensionem retinens; 2° *moderatio;* 3° *auctoritas.*

1171. — VI. Resignatio beneficii cum reservatione fructuum est in iure prohibita; et a S. Sede in Italia

et in Gallia nunquam admittitur, nisi favore Cardinalium (Riganti, ap. C. Ferrari).

1172. — VII. Ex S. C. Ep. et Reg., 17 Martii 1840, illiciti sunt contractus et pactiones super alienationibus pensionum. — Cfr. Soglia, 109.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. Ipsa enim est « exemplar ad quod transcribendi et corrigendi sunt libri conscientiarum nostrarum, unde dictum est Moysi (Exod. 35): Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est » (Rich. a S. Laur.).

MARIAM INVOCA. Ora pro nobis, dilectissima et dulcissima « Patrona eorum, qui in necessitatibus, et rebus adversis versantur » (S. Damascenus).

MARIAM LAETIFICA. Omnimoda, universali, quietissima, operativa, et filiali fiducia: si Maria pro nobis, quis contra nos? — *Filii Mariae imitatores eius.*

CAP. IV. — DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM

1173. — **Administratio bonorum ecclesiasticorum.** — Ius administrandi bona ecclesiastica ad Ecclesiam pertinet. « Hoc consultissimo prohibemus edicto, ait Greg. IX, universos et singulos Praelatos Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsorum laicis submittere, seu supponere absque Capituli sui consensu, et Apostolicae Sedis licentia speciali » (Ap. Fagnanum, *in cap.* 8 *de arbitr.*).

1174.— **Administratores bonorum ecclesiasticorum.** — I. *Romanus Pontifex* est supremus administrator bonorum Ecclesiae.

1175. — II. *Episcopus* invigilat administrationi bonorum propriae dioecesis.

1176. — III. *Prioribus saeculis* bona totius dioecesis ab Episcopo administrabantur. Verumtamen lapso tempore ut res melius tractarentur, Ordinarii constituerunt administros et quasi *testes*, praesertim archidiaconum *in Occidente*, et oeconomum *in Oriente*, qui tamen eisdem Episcopis rationem reddituri erant. Unus erat bonorum cumulus, providebatur Episcopo, clericis, pauperibus et impensis cultus divini.

1177. — IV. Administrator ab Episcopo constitutus, inter alia tenetur: 1° Conficere inventarium; 2° de damnis ex culpa propria; 3° quotannis rationem reddere; 4° reparare, si sustinuit litem iniustam, etc. — Vide Soglia, 111.

1178. — **Alienatio.** — I. *Nomine rerum Ecclesiae non alienandarum intelliguntur immobilia et res mobiles pretiosae, quae servari possunt.*

1179. — II. Immobilibus aequiparantur: 1° iura incorporalia; 2° census annui; 3° ususfructus; 4° servitutes immobilibus adhaerentes.

1180. — III. Mobilia pretiosa aestimantur: 1° ex *materia* ut aurum; 2° ex *forma* ut picturae; 3° ex *reverentia* ut reliquiae.

1181. — Hinc. — I. Res mobiles non pretiosae, praesertim quae sine corruptione servari nequeunt, ab administratoribus alienari possunt ex iusta causa, modo Ecclesia damnum non patiatur.

1182. — II. Idem dicito de immobilibus *exigui valoris*, et *inutilibus* vel *noxiis*; sed requiritur Episcopi

licentia, quia plerumque quaestio facti praevie examinanda erit.

1183. — III. *Alienatio comprehendit:* 1° *actus per quos transfertur ius in re*, veluti sunt donatio, venditio, permutatio, cessio litis, et actionis iam quaesitae; 2° actus qui alienationem praeparant, uti sunt pignus, hypotheca specialis; 3° actus per quos transfertur dominium etiam minus plenum, ut locatio diuturna, impositio ususfructus, novi gravaminis, servitutis (Huguenin, Zallinger, l. 3, tit. 13).

1184. — NOTA. Bona ecclesiastica ad hunc effectum censentur omnia bona ecclesiarum, monasteriorum (*certissime constat etiam ex Urbano VIII)*, locorumque piorum quorumlibet ex definitione Pauli II in Extrav. *Ambitiosae* de rebus etc. non alien. (C. Ferrari) [1].

1185. — **Conditiones alienationis.** — REQUIRUNTUR IUSTAE CAUSAE ET SOLEMNITATES. — LEGITIMAE CAUSAE ALIENATIONIS sunt: I. *Necessitas ecclesiae*, cui nempe

[1] BONA RELIGIOSARUM FAMILIARUM. — I. " Utrum bona ad familiam religiosam, vel aliud pium Institutum pertinentia, quae tamen in foro civili tamquam proprietas privati hominis inscribuntur, alienari possint absque praevio S. Sed. permissu? — R. Negative " (S. C. EE. ac RR., 17 Feb. 1866).

II. " Quoad primam quaestionem, utrum Instituta religiosa votorum simplicium, sive virorum sive mulierum, sive a S. Sede approbata sive tantum dioecesana, indigeant beneplacito Sedis Apostolicae pro alienatione suorum bonorum, responsio est affirmativa. Relate vero ad alteram quaestionem, utrum Episcopi, vi privilegii ipsis concessi circa alienationem bonorum dioeceseos, possint praedictis Congregationibus has alienationes permittere, responsio est: id posse Episcopos intra limites suae facultatis " (S. C. de Prop. Fide, 15 Ian. 1903).

alio modo subveniri non potest, aut si lex, sententia iudicis, expressa testatoris voluntas alienandi necessitatem imponit.

1186. — II. *Evidens Ecclesiae utilitas*, qua status ipsius fit melior, vel incommoditas quaedam aufertur, v. g. si res alienanda longe distet.

1187. — III. *Pietas*, v. g. pro redimendis captivis vel sustentandis pauperibus in gravi inopia.

1188. — Solemnitates ad alienationem: I. *In Ecclesia quae capitulum habet* necessarius est praevius capitularium tractatus, eorum consensus per actum capitularem praestitus, subscriptione praelati et quorumdam saltem de capitulo firmatus.

1189. — II. *Consensus superioris* ecclesiastici, videlicet Episcopi.

1190. — III. *Beneplacitum apostolicum* (quod non praesumitur, sed probari debet), praeterquam in casibus in quibus ex iuris dispositione consensus Episcopi sufficit; quales sunt locatio non ultra triennium, alienatio rei parvi valoris. — Nota. Beneplacitum praecedere debet, aut saltem addi clausula: *Salvo beneplacito S. Sedis et non aliter* (Ventriglia, C. Ferrari, n. 715).

1191. — **Normae circa alienationes a S. C. de Prop. Fide praescriptae,** quae rem multum illustrant. — I. In venditione bonorum ecclesiasticorum, praemittatur eorumdem aestimatio a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae necessitate vel utilitate; vendantur favore maioris oblatoris et non minori pretio quam quod a praedictis peritis fuerit aestimatum; pretium ab emptore integre solvatur in actu stipulationis, et collocetur in frugifero, tuto ac licito investimento; quod si non erit in promptu, deponatur

pretium in aliqua capsa publica, vel apud aliquam personam spectatae probitatis et idoneitatis, recepta tamen cautione scripto exarata, penes ipsum Patriarcham vel Episcopum ecclesiae, ad quam pertinent bona vendita, accuratissime custodienda.

1192. — II. In permutationibus praemittatur aestimatio fundorum a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae utilitate; et in contractus stipulatione expresse reservetur hinc inde regressus ad primaeva iura in casu evictionis. Quod si valor fundi ecclesiastici superet valorem fundi, qui ab ecclesia in permutationem recipitur, ea pecuniae vis, quae ad peraequationem contractus est necessaria, Ecclesiae persolvatur in actu stipulationis, et collocetur in honesto, tuto ac licito investimento; atque interim deponatur uti supra in capsa publica, vel apud personam spectatae probitatis atque idoneitatis.

1193. — III. In contractibus emphyteuticis ineundis praemittatur aestimatio peritorum, audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae utilitate; canon ab emphyteuta persolvendus non sit minor, quam qui a peritis statutus fuerit; stipulatio scripto consignetur, cui descriptio fundi ac topographica eiusdem tabula adiiciatur; praestet emphyteuta hypotecariam inscriptionem super alio idoneo suo fundo, aut saltem hoc deficiente cautionem idonearum personarum pro securitate canonum trium annorum; atque in ipsa stipulatione obligationem emittat pro se suisque haeredibus ac successoribus valituram, nunquam utendi qualibet praesenti vel futura lege seu privilegio affrancationis canonis, et melioramenta omnia solo cedendi.

1194. — IV. Si agatur de Ecclesiae bonis oppignorandis, vel de aere alieno contrahendo, necesse est, ut prius audiantur omnes interesse habentes, et constet de vera et gravi Ecclesiae necessitate; quae si vere intercedat, cavendum est, ut debitum illud, cum primum fieri poterit, Ecclesia ipsa dimittat, eaque de causa imponatur eidem singulis in casibus obligatio contractum debitum extinguendi annuis ratis ab ipso Episcopo praefiniendis; ad quem effectum determinati aliqui Ecclesiae eiusdem redditus erunt assignandi, ac singulis vicibus deponendi in capsa publica, vel penes honestam atque idoneam personam, ut suo tempore investiri possint.

1195. — V. Cum vero Ecclesiae pecuniam investiri contingat, duo imprimis diligentissime curanda erunt; primum, ut a contractibus ineundis longe procul sit quaevis usuraria labes; secundo, ut Ecclesiae indemnitati cautum sit: ideoque non collocetur eiusdem pecunia nisi apud honestas et idoneas personas, quae praestent hypothecariam inscriptionem, vel saltem idoneam cautionem; omnesque huiusmodi contractus publicis tabulis pro recepto regionum more consignentur.

1196. — VI. Denique in locationibus bonorum ecclesiasticorum cavendum est, ut locationes praedictae fiant iusto pretio, atque ut annuae responsionis solutio non fiat anticipate in praeiudicium successorum. Non licebit autem ecclesiastica bona locare ultra triennium; poterit autem Ordinarius, si specialem ab Apostolica Sede super alienatione bonorum ecclesiasticorum facultatem obtinuerit, permittere ut locationes praedictae fiant etiam ultra praedictum tempus, dummodo non excedat novennium » (Instr. S. C. de Prop. Fide, 30 Iul. 1867).

1197. — **Effectus alienationis.** — I. *Effectus alienationis rite factae est ut rei alienatae dominium transferatur, ipsaque pro legitima habeatur, donec in forma iuris quis eam impugnet.*

1198. — II. ALIENATIO ILLEGITIME FACTA, non modo pro foro externo, sed pro interno nulla esse cognoscitur. Attamen ille qui cum ecclesia contraxit, si praelatus talem contractum deinceps ratihabere velit, a contractu resilire nequit. *Male alienantes* gravibus mulctantur poenis, nimirum iisdem fere quae generatim contra bonorum ecclesiasticorum invasores statutae sunt.

1199. — III. ALIENATIO MALE FACTA VARIIS MODIS REPARATUR: 1° *Si nulliter facta fuerit alienatio*, ecclesiae competit ius bona sua vindicandi: et quidem istud ius habent ipsemet praelatus alienans, eius successor, capitulum, imo quaelibet persona ecclesiastica. Item ecclesiae datur actio adversus alienantem ad damnum ex suo patrimonio reparandum. 2° *Alienatione facta etiam cum solemnitatibus*, ecclesia damnum passa iuvatur beneficio restitutionis in integrum. — Huguenin. Vide varia *Concordata.*

1200. — NOTA: Censura in Bulla *Apostolicae Sedis* inserta non incurritur, nisi alienatio fuerit perfecta ultro citroque. — Vide *Comp. Theol. Moral.*, ib.

1201. — **Varia.** — I. Alienari possunt arbores arefactae, inutiles, et nocivae cum onere alias implantandi.

1202. — II. Omnes Episcopi iurare debent se, inconsulto R. Pontifice, non alienaturos bona suarum Ecclesiarum.

1203. — III. « Legatum Capuccinis aliisque similibus recte distrahitur, modo pretium in Ecclesiae, aut monasterii utilitatem convertatur » (Devoti). Quia est bonum collatum in locum pium a quo retineri nequit.

1204. — IV. *Clericus de bonis acquisitis ex illicita negotiatione* non potest per testamentum, vel donationem causa mortis disponere, licet haec referantur ad temporale eius patrimonium: quia ita constitutum est in poenam peccati, et quod sic acquisitum est olim in morte adiiciebatur spolio Camerae Apostolicae: dicimus *in morte*, nam contractus de eisdem rebus inter vivos acti in foro externo validi habebantur (C. Ferrari).

1205. — V. Clerici omnes eleemosynam solerter et constanter pro viribus faciant. Clericis enim avaris dicendum cum S. Bernardo: « Clamant nudi, clamant « famelici, conquerentur et dicunt: nostrum est, quod « effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod ina- « niter expenditur; nostris necessitatibus detrahitur, « quidquid accedit vanitatibus vestris » (epist. 42, ad Henricum Sen., Archiep.). — Haec cogita, haec considera, devote Clerice, cuius pars est *pauperrimus* Iesus et *pauperrima* Maria. — Unde 1° D. Hieron. illud beneficiato commemorat, quod « aliena rapere intelligitur, qui ultra sibi necessaria retinere probatur ». 2° D. Bernardus: « Quidquid praeter necessarium victum, et simplicem vestitum retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est » (ap. Gonzalez ad cap. 4, *de pecul.*). 3° « Parum interest, utrum Praelatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra iustitiam, aut quia peccavit contra charitatem » (Bellarmin.). — Quoad res strictissimae conscientiae, vide *Theol. Moral.*, scito tamen: vae illi, qui sola mortalia vitare intendit!

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Ad tantam Matrem eamus, quia Ipsa est « eleemosynaria bona, defendens oppressos, pascens famelicos, et vestiens nudos » (Iac. de Voragine).

Mariam invoca. In Te, o dilectissima Domina, inveniam solatium paupertatis animae meae, quia Tu es « opulentia sanctissima, quae ex abundanti virtute scaturiit » (S. Georg. Nicomed.).

Mariam laetifica. Paupertate spiritus: imitatione Patris Pauperum Seraphici Francisci. — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. V. — DE REBUS SACRIS, SANCTIS ET RELIGIOSIS

1206. — **Praenotandum.** — *Res sacrae* sunt illae quae solemni ritu per Episcopum consecrantur, ut calices, etc. *Res sanctae* sunt illae quae sanctione legis, vel adhibita benedictione a profano commercio eximuntur, v. g. paramenta, imagines, etc. *Res religiosae*, sunt illae quae Religionis usui dicatae sunt, ut Coemeteria, Seminaria, Monasteria, Hospitalia. Multa habentur in nostro Comp. *Theol. Moralis*, quae quaestiones *de rebus* illustrant. Breviter tamen praecipua tradimus.

1207. — **Altaria et ecclesiae.** — I. **Erectio.** Ad aedificandas novas ecclesias maxime parochiales requiritur: 1° Auctoritas Episcopi, si in loco non exempto ecclesia construenda sit; 2° *Iusta causa*, v. g. difficultas adeundi parochialem ecclesiam pro percipiendis sacramentis et audiendis officiis divinis; 3° Citatio rectoris parochiae, intra cuius fines nova ecclesia est

erigenda; 4° Providentia Episcopi ut ecclesiae matrici servetur honor debitus; 5° Dos competens novae ecclesiae assignanda. — Ecclesia, vetante Episcopo, constructa nullo iure gaudet. — Cfr. Soglia, etc.

1208. — II. **Reparatio.** Seclusis statutis particularibus, ecclesiae parochiales reparandae sunt: 1° Ex reditibus earum ad fabricam deputatis. 2° Ex superfluis reditibus parochi vel beneficiatorum. In illorum defectu, parochiani ab Episcopo compelluntur ad ecclesiam instaurandam. Si nullus sit modus ecclesiae reparandae, ea convertitur in profanos usus, non sordidos, ibique crux erigitur, et iura illius ad ecclesiam matricem vel viciniorem transferuntur (Trid., sess. 21, c. 7).

1209. — III. **Altaria** in Ecclesiis vel publicis Oratoriis Episcopi auctoritate erigenda sunt. Marmorea sint, aut saltem lateritia et fixa (Vid. Trid., sess. 22).

1210. — IV. Ecclesiae in honore et veneratione sint. Prohibetur intra eas universitatum et societatum quodlibet concilium, aut concio, aut publicum parlamentum haberi; necnon confabulationes, nec in eis, necnon in earum coemeteriis negotiationes, nundinae, et cuiuscumque fori tumultus, omnesque iudiciorum saecularium strepitus permittantur. Processus saecularium iudicum et sententiae iisdem in locis prolatae careant omni robore *(In cap. fin. de praescr. Conc. Lug. can. 25, et Conc. Trid., sess. 21, cap. 7 de Reform.)*.

1211. — V. Hinc 1° Graviter reprehendendi ecclesiastici et devoti saeculares qui nimis *familiariter in* domo Dei versantur. 2° Errant, qui praetextu praeservationis iuventutis, ecclesias aut sacella ecclesiae veluti saecularizant permittendo in locis *fere religiosis* convivia, lusus, *caffés*, etc...

1212. — VI. **Consecratio ecclesiae** actus est sacer et solemnis, per quem ea divino cultui addicitur. Tantum Episcopus Ecclesiam consecrat suae dioecesis, neque haec presbyteris potestas est. *Quovis die fieri potest consecratio*, quamquam fieri soleat die festo, et solemnia sacra dedicationis quovis anno celebranda sunt.

1213. — « 1. An Ecclesia, in cuius consecratione omissa fuit consecratio altaris, habenda sit valide consecrata? — 2. Utrum Ecclesia, e cuius parietibus vel partim, vel integre disiicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco*, ut renovetur, consecrata maneat, vel exsecrata? — R. Ad 1.um Affirmative, nempe valide; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur. — Ad 2.um Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum » (S. R. C., 19 Maii 1896).

1214. — « An per celebrationem missae in ecclesia polluta, dicatur reconciliata? — R. Negative, et ideo debere reconciliari iuxta formam praescriptam in pontificali » (S. R. C., 19 Aug. 1634).

1215. — « Num Ecclesia consecrata, quae militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censenda sit profanata, ac propterea indigeat reconciliatione a Pontificali Romano praescripta? — R. Ad cautelam esse reconciliandam » (S. R. C., 27 Febr. 1847).

1216. — **Immunitas ecclesiarum.** — I. Ecclesiae omnes, etiam quae consecratae non sunt, earumque porticus et atria quin et locus, in quo primo lapide iacto, ecclesia aedificanda est, itemque oratoria Episcopi auctoritate constituta ASYLI IURE FRUUNTUR; idemque Episcopi palatium et domus in qua Parochus

habitat, et domus canonicales et sodalitiorum, quae eorum ecclesiis coniunctae sunt: turris campanaria, quae intra passus triginta ab Ecclesia distat. xenodochia et coemeteria eodem iure fruuntur (Ibid.).

1217. — II. Quicumque vero hominem in ecclesia, vel eius coemeterio interfecerit, vel ei membrum amputaverit, sicarii, homicidae qui egerunt praemeditatione et odio, rei laesae maiestatis, qui violenter ab ecclesia abducunt confugientes in eam, falsarii litterarum Apostolicarum, qui montem pietatis aut alia similia administrantes falsi aut furti patrato crimine, ita publicam arcam minuunt, ut poenae mortis digni censeantur; qui aureas et argenteas monetas privatim cudunt, aut vitiant et corrumpunt; qui mentito Curiae nomine sese in alienas domos inferunt et intrudunt, atque ibi rapinas faciunt et homines trucidant, aut membra caedunt, ASYLI PIETATE NON FRUUNTUR. Verum praeter huiusmodi scelera, quibus omnis immunitas iure negatur: si caetera quoque gravia sint, vel saepius admittantur, auctoritate Summi Pontificis, vel Sacrae Congregationis immunitatis, in carceres ecclesiastici iudicis ex loco immuni rei detrudi possunt nomine ecclesiae, causaque ipsorum cognita poena constitui paulo quidem mitior, ut simul et rei poenam perferant, et ecclesiastici asyli ratio habeatur.

1218. — NOTA. I. Processio in honorem SS. Eucharistiae gaudet iure asyli; ibi enim est Ecclesia ubi est Christus Iesus.

1219. — II. Conc. Prov. Parisiense, tit. 2, cap. 4. statuit: « Prohibitum sit ne intra templum ipsum vendantur imagines, libri, coronae deprecatoriae et alia huiuscemodi ». Constat exemplo Christi. Aliqui DD. id permittunt: at in praxi abstinendum.

1220. — III. *Ius asyli restrictum fuit per Concordata: unde nihil generaliter dici potest, sed attendendae pactiones et ordinationes a Romanis Pontificibus approbatae.*

1221. — IV. Potestas saecularis regulare nequit ius asyli; quia dimanat a iure naturali, divino et ecclesiastico. *Non obstantibus liberalium hominum factis*, nunquam praescribitur contra ius asyli. Hac in re solus Papa audiendus.

1222. — **Coemeteria.** — I. « *Nemo*, ait S. Gre« gorius (lib. 4 Dialog.), *in ecclesia sepeliatur, nisi* « *forte talis sit persona Sacerdotis, aut alterius iusti* « *hominis qui per vitae meritum talem vivendo suo* « *corpori defuncto locum acquisiverit* ». Illud etiam apud Romanos receptum erat, quod tantum clariores viri virtutis vel dignitatis causa in urbe sepelirentur. Et ille quidem honor a Christianis est primum martyribus tributus, ut eorum reliquiae in Ecclesiis deponerentur; mox Episcopis, Regibus, Presbyteris et Laicis etiam sanctitate conspicuis, ac demum successu temporis omnibus indiscriminatim fidelibus humatio in ecclesiis permissa est. Ecclesiae mens est, ut fidelium corpora generatim non in ecclesiis, sed in coemeteriis sepeliantur: unde Rituale Romanum iussu Pauli V editum sic decernit: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur » (Soglia).

1223. — II. Ferventiores christiani sepeliri desiderant *prope Sanctorum reliquias in Domo Dei*, ut facilius adiuventur Sanctorum ac fidelium precibus, iuxta illud S. Maximi Episc. Taurin. *Serm.* 55: « A maioribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat ».

1224. — III. Iure communi antiquo quisque fidelis sepeliendus erat in propria parochiali ecclesia, vel eius coemeterio.

1225. — IV. Iure novo sepulturam sibi licet construere et eligere in quovis loco religioso: quo nomine non solum ecclesiae parochiales et monasteria, sed publica quaevis Oratoria intelliguntur, ubi divina mysteria, licet minus frequenter, celebrantur. Verum si novum sepulchrum exstruendum sit in ecclesiis saecularibus, postulatur Ordinarii licentia in scriptis obtinenda praeter concessum ecclesiae Rectoris, vel Patroni; in ecclesiis Regularium requiritur licentia saltem Provincialis (Soglia).

1226. — V. In Monialium ecclesiis sine peculiari S. Congr. Episc. et Regul. licentia, ac sine expresso ipsarum Monialium consensu, nulla pro laicis, cuiuscumque sint dignitatis ac sexus, sepulchra construi, et cadavera tumulari possunt, iis exceptis qui ab immemorabili tempore familiae sepulchrum in praedictis ecclesiis habuerint (id.).

1227. — VI. Patronus autem ecclesiae aut capellae non nanciscitur usum et ius sepulturae, nisi in acquirendo iurepatronatus haec apposita fuerit clausula « *cum facultate seu iure funerandi* »; vel nisi obtenta capella in patenti eius loco sepulturam effodiat, et Episcopus ac Rector Ecclesiae non contradicant; tunc enim tacita quaedam adesse licentia praesumitur (id.). Sepultura quam quis habet in sepulchro familiari, aut haereditario aut maiorum, praevalet parochiali (Cfr. *cap.* 1 *et* 3 *de Sepul.*).

1228. — **Electio sepulturae.** — *Electio sepulturae, omnino libera esse debet, et ab omni vi et dolo immunis.* — Teneto I. Bonifacius VIII cap. *Animarum* de Sep. in 6, sic statuit: « Universis religiosis et sae-

cularibus Clericis... districtissime prohibemus, ne aliquos ad vovendum inducant ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam ulterius non immutent, si secus actum fuerit, eam electionem irritam esse decernimus ».

1229. — II. Duo sunt personarum genera quae vetantur sibi eligere sepulturam, scilicet *impuberes* ob consilii inopiam, et *religiosi,* qui propriae voluntati renuntiarunt.

1230. — III. Regulares in Monasterii Ecclesia vel Coemeterio sepeliendi sunt.

1231. — IV. « Potest pater eligere sepulturam pro filiis impuberibus in vita, non post mortem ». Quod si pater ipse impuberi filio praemortuus fuerit, S. Congr. Concilii in Avellinen., 15 Septembris 1605 statuit « etiam matrem, cum pater non adest, posse impuberi filio sepulturam eligere, vivente tamen filio ». *Concludendum :* « Nos instituta maiorum Patrum considerantes statuimus unumquemque in maiorum suorum sepulchris iacere ut patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam » (Leo III, cap. 1, de Sep.).

1232. — Nota. I. *Prohibentur in ecclesiis sepulchra elevata*, iuxta illud S. Pii V, bul. *Cum primum :* « Ut in ecclesiis hihil indecens relinquatur, iidem Or-« dinarii provideant, ut capsae omnes, et deposita, seu « alia cadaverum conditoria super terram existentia « omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et « defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram « collocentur ». — Solus Papa habet de iure pleno sepulchrum elevatum.

1233. — II. Civilis recognitio cadaveris fieri debet extra ecclesiam et locum immunem (S. C. pluries).

1234. — **Monasteria.** — I. Ad novum monasterium erigendum requiritur venia Episcopi (quam absque causa negare non potest: Huguenin) et beneplacitum Sanctae Sedis. Servandae etiam leges Ordinis, etc.

1235. — II. Cavendum est ne id fiat cum aliorum iactura; quapropter ab Episcopo imprimis audiendi sunt Superiores antiquorum monasteriorum, quae sunt in locis circum positis intra quatuor millia passuum, ne eorum monasteria propter locorum paupertatem sive eleemosynarum tenuitatem, aliasque causas aliquid ex nova fundatione detrimenti capiant.

1236. — III. Si monasterium sive ob vetustatem aedificii quod ruinam minetur, sive ob coelum insalubre, sive ob varias gravissimas causas ab eo loco in quo positum est in alium, quantum fieri poterit, proximiorem locum transferendum sit, necessarium non est praelatas conditiones observare, quia non agitur de novo exstruendo monasterio, sed de veteri transferendo, quod saepius S. Urbis Congregationes rescripserunt (Soglia).

1237. — Nota. I. Parochus potest adire Episcopum reclamandi causa. Haud praetermittenda Parochi interrogatio, sed illius consensus non est necessarius.

1238. — II. Monasteria Monialium erigi debent intra urbem vel oppidum in quo est populorum frequentia, ne aliter *malorum hominum praedae et aliis facinoribus* moniales sint expositae (Cfr. Trid., sess. 25, c. 5, de Regul).

1239. — III. « Sub decretis super erectione novorum Conventuum non comprehenduntur Congregationes Presbyterorum Saecularium in communi viventium erectae auctoritate Ordinaria » (S. Congr. Ep. et Reg., ap. Nicolium.). — Cfr. Ferraris, verb. *Conventus*. Quoad Instituta votorum simplicium proprie talia,

vid. Bizzarri. Const. Leonis XIII *Condita*, Normas S. C. EE. et RR., etc.

1240. — **Seminaria Clericorum.** — Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 18, *de Reform.* statuit, ut singulae Cathedrales, Metropolitanae, atque his maiores Ecclesiae, pro modo facultatum et Dioecesis amplitudine, certum puerorum ipsius Civitatis et Dioecesis, vel eius Provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere et religiose educare, et Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. *Imo*, ut in Ecclesiis amplas Dioeceses habentibus possit Episcopus unum vel plura in Dioecesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quae tamen ab illo uno quod in Civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

1241. — **Hospitalia.** — Concilium Tridentinum statuit: I. Ut exceptis Hospitalibus quae sub Regum immediata protectione sunt, quibusque Regia protectio in limine fundationis accessit, caetera hospitalia, omnisque generis loca pia visitationi Episcopi subessent in iis omnibus, quae Dei cultum, animarum salutem, et peculiare opus loci pii respiciunt, *licet a laicis gubernentur.*

1242. — II. Ut eidem Episcopo tum in visitatione, tum extra eam iusta occurrente causa ratio administrationis quotannis redderetur, quod si consuetudine, privilegio, vel loci statuto aliis ad id deputatis rationes reddendae essent, tum etiam una cum iis Ordinarius adhiberetur, et liberatio aliter facta administratoribus nihil prodesset.

1243. — III. Ut demum Episcopi possent coercere delinquentes, suisque legibus abusus tollere, ac bonum promovere; sic tamen ut sinant loca ipsa iuxta leges

fundationis, et legitimas consuetudines administrari. (Soglia).

1244. — Nota. *Plura sunt Hospitalia:* 1° *Xenodochia* pro hospitibus; 2° *Orphanotrophia* pro orphanis; 3° *Nosocomia* pro infirmis; 4° *Ptochotrophia* pro pauperibus sustentandis; 5° *Gerontocomia* pro senibus; 6° *Brephotrophia* pro infantibus nutriendis.

1245. — **Varia.** — I. Greg. Nazianz. *Orat.* 3 Iulianum apostatam ridet, quod infidelibus Christianorum proponens exemplum eos hortetur ad excitanda xenodochia. Ipse Greg. *Orat.* 20 ptochotrophia a S. Basilio extra urbem episcopalem magnificentissime extructa memorat, etc. etc. Unde christiani semper habuere curam pauperum; et *institutiones charitatis*, etc. *(ab hodiernis sectariis tam decantatas veluti effectus progressus et liberalismi), a charitate Christi et Ecclesiae Catholicae originem ducere, compertum est.*

1246. — II. **Campanae** consecrari debent per Episcopum vel per sacerdotem ab Episcopo (de *speciali* S. Sedis privilegio, quod facile Episcopis conceditur) delegato. — Usus campanarum est antiquissimus: P. Mabillon in vita S. Columbani, ait: « Ipsum (S. Columbanum) media nocte, *pulsante campana*, se ad templum contulisse et quodam die ministro suo *campanam* subito pulsare praecepisse, cuius sonitu Fratres excitati ecclesiam protinus sunt ingressi ». — « Nec potestas civilis aliquod ius habet circa sonum (campanarum), neque pulsari possunt ad usus mere profanos ». — (C. Ferrari).

1247. — III. Quoad Reliquias, vasa sacra, etc., cfr. *Theol. Moral.*, AA. qui de rebus liturgicis egerunt, et decreta sequentia:

1248. — *A:* « An episcopus clero et populo cupienti sanctorum Martyrum corpora, quae in altari

satis honorifice reposita sunt, pretiosiorem in loculum, seu capsam condere, ac super eodem altari collocare, vel extra dioecesim transferre, possit eius rei tribuere facultatem? — R. Posse quidem licentiam concedere Sanctorum corpora perpetuae data sepulturae transferendi ad locum decentiorem in eadem ecclesia: sed alienandi, aut extra dioecesim transferendi, sine Romani Pontificis auctoritate non posse ». (S. C. Indulg. et SS. Reliq., 17 Nov. 1670).

1249. — *B:* « Cum Trid. Syn. s. *25*, *cap. de Reliquiis* decreverit: *Non esse recipiendas novas Reliquias, nisi recognoscente et approbante Episcopo*, nonnulla dubia S. C. proponuntur, nempe: 1. An unusquisque Episcopus extra Romam sua in dioecesi quascumque sacras reliquias valeat authenticare? — 2. An sacrae Sanctorum reliquiae a quodam Episcopo in Italia authenticatae (si ex parte subscriptionis, sigilli et thecae nulla erroris aut falsitatis nota deprehendatur), ab altero episcopo ultra montes possent reprobari, quin et confiscari, vel impedire ne publicae venerationi exponantur? — R. Ad 1. et 2. Affirmative ad formam Concilii ». (S. C. Indulg. et Reliq., 16 Dec. 1749).

1250. — *C:* « Num calix et patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione? — R. Affirmative: amittere nimirum, et indigere nova consecratione, iuxta exposita ». (S. R. C., 14 Iun. 1845).

1251. — *D:* « An calix cuius inauratio dumtaxat renovatur, possit a sacerdote ordine episcopali non insignito simpliciter sine unctione benedici, vel in hoc quoque casu ad Episcopum perferri debeat, ut ab hoc cum unctione benedici queat? — R. Quoad primam partem, negative; quoad alteram partem, affirmative ad utrumque ». (S. R. C., 9 Maii 1857).

REQUIES ANIMAE.

Mariam laetifica. Spes nostra est « Altare exemplarium, in quo, si quis attendat, reperiet plene, qualiter actus brutales et bestiales debeat occidere... In hoc Altari inveniet malleum humilitatis ad conterendum leonem superbiae, aculeum charitatis ad feriendum serpentem invidiae, stimulum paupertatis ad percutiendum lupum avaritiae, iaculum virginitatis ad interficiendum porcum immunditiae, ibique omnia arma parata inveniuntur ad effuganda omnia peccata ». (Bernard. de Busto).

Mariam invoca. Ave « Columna ignis, quam misit Deus, ut nos accenderet, et igne suae exemplaritatis illustraret, et in terram promissam reduceret ». (Id.).

Mariam cogita. Visitando frequenter, alacriter et devotissime altaria et sacella B. M. V. dicata. — *Filii Mariae imitatores eius...*

TRACTATUS DE IUDICIIS

CAP. I. DE POTESTATE IUDICANDI

Art. I. De notione Iudiciorum.

1252. — **Definitio.** — I. Iudicium est: *legitima discussio et definitio causae inter actorem et reum controversae per iudicem facta;* vel *ipsa causae disceptatio, quae in iure fit, quaeque constare debet actore, reo, iudice, teste.*

1253. — II. Unde differt 1° a *Quaestione*, quae est ipsa res controversa; 2° a *Causa*, quae est res, seu ius deductum in iudicium; 3° a *Lite*, quae est actio qua res in iudicium deducitur; 4° ab *Instantia*, quae ipsum actionis iudicialis exercitium denotat.

1254. — III. Iudicium idem est ac *ius dictum.*

1255. — **Divisio.** — Iudicium est: I. *Ecclesiasticum* vel *saeculare.* — II. *Spirituale*, vel *temporale.* — III. *Ordinarium*, seu *solemne*, in quo omnes iuris solemnitates observantur, vocaturque plenarium, vel *extraordinarium* seu *summarium*, in quo observantur tantum conditiones iuris divini seu iustitiae, quodque adhibetur in causis urgentibus, vel parvi momenti. — IV. *Civile*, in quo agitur de causa civili: vel *criminale*, in quo agitur de crimine. — V. Iudicium civile est: 1° *personale* si in personam, *reale* si in rem in-

stituitur; 2° *simplex*, si unus actoris et alius rei personam sustinet; *duplex*, si uterque rei et actoris personam gerit; 3° *possessorium*, si de possessione; *petitorium*, si de dominio et proprietate lis movetur.

1256. — **Personae iudicium constituentes** sunt: 1° Iudex, 2° Actor, 3° Reus.

1257. — **Iudex.** — I. Iudex (quasi *ius dicens*) est *persona legitima et publica, potestatem habens causam controversam cognoscendi et sententiam proferendi.*

1258. — II. Iudex ecclesiasticus est *Ordinarius*, ut Episcopus et Abbas vere nullius, vel *delegatus*, vel *arbiter.*

1259. — **Iudices esse nequeunt:** 1° infames, 2° excommunicati vitandi, 3° minores (annis 18), 4° laici in causa spirituali, 5° foeminae.

1260. — *S. Cong. Immunitatis die* 3 *Oct.* 1882 *declaravit:* neminem laicum, vel clericum coniugatum, posse processus criminales contra clericos construere sub nullitatis poena, licet id fiat solum usque ad sententiam, nec etiam posse testes examinari a cancellario laico; quod si fiat praetextu cuiuscumque consuetudinis nullum declaratur, et solum remedium, quod restat, est recursus ad Summum Pontificen pro sanatione processus, et pro absolutione a censuris.

1261. — **Actor** est *qui actionem proponit iudiciumque provocat.* — I. In civilibus retinet nomen actoris, in criminalibus vocatur *accusator.*

1262. — II. *Actor* dicitur *ab agendo* et saepe est ipse iudex, vel notorietas criminis.

1263. — III. In causis temporalibus impuberes et minores actores esse nequeunt; secus in spiritualibus.

1264. — IV. Actor proponit actionem per libellum, et tenetur probare et iudicium prosequi. Unde dicitur: *ei qui dicit onus probandi incumbit.*

1265. — **Reus** ita dictus a *re controversa,* est ille *qui ab actore in iudicio provocatus*, *eius actionem propulsando se defendit.* — Condemnari non potest nisi convictus et in suo foro.

1266. — **Personae auxiliares** IUDICIS triplici modo iudicem adiuvant: 1.° *consultando*, ut faciunt *auditores*, et *assessores*, seu consiliarii; 2° acta iudicii *scribendo*, ut *notarii* qui etiam vocantur *scribae publici, actuarii*, *tabelliones*, *protocollistae*; 3° *exequendo* quod iudex imperat, ut *nuntii iudiciales*, qui etiam appellantur *apparitores*, *cursores*, *pedelli*. — AUXILIARES LITIGANTIUM sunt *advocati*, *procuratores*, *testes*. Munus procuratoris est privatum.

1267. — **Curia episcopalis** comprehendit personas quibus Ordinarius utitur ad exercendam iurisdictionem et *praecipue potestatem iudiciariam.*

1268. — **Ministri tribunalis seu Curiae episcopalis sunt:** 1° *Auditores*, qui negotium iudici exponunt decidendum, seu *referendarii;* 2° *Assessores* ab assidendo dicti; 3° *Promotor* qui causas publicas pro bono communi Ecclesiae suscipit, et illas coram iudice ex officio prosequitur, estque quasi advocatus et actor; 4° *Advocatus fiscalis*, qui promotorem adiuvat; 5° *Cancellarius* sive *Actuarius,* et NOTARIUS CURIAE (expedit ut sit potius clericus quam laicus, et requiritur in omni iudicio ordinario); 6° *Cursor* seu *Nuntius* sive *Apparitor* iudicis iussa facit, citat partes, etc.

ART. II. De competentia Fori ecclesiastici.

1269. — **Obiectum potestatis iudiciariae Ecclesiae.** — I. *Omnes causae ecclesiasticae sunt obiectum istius potestatis*, iuxta illud Vigilii epist. 15: « Negotia ecclesiastica Episcoporum iudicio reservata sunt, idque

iuxta ecclesiasticum morem, iuxta paternas traditiones, iuxta auctoritatem evangelicae apostolicaeque doctrinae ».

1270. — II. Tales sunt: 1° *Causae spirituales;* 2° *Causae matrimoniales:* « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit » (Trid. sess. 24, c. 12.); 3° *Causae beneficiales;* 4.° *Causae clericorum.* — HINC Pius IX, Syll. 31, damnavit sequentem prop.: « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta, et reclamante Apostolica Sede ».

1271. — **Competentia.** — I. Omnes causae Ecclesiasticae pertinent ad tribunal Ecclesiae. *Causae maiores* ad Sedem Apostolicam referuntur.

1272. — II. Reliquae causae iudicantur in *prima instantia* coram Ordinario, in *secunda* coram Metropolitano, in *tertia* (quae dicitur etiam secunda et ultima) coram Rom. Pontifice.

1273. — III. Causae Episcoporum deferuntur ad Synodum Provincialem aut ad Metropolitanum. NOTA: Si istae causae criminales sint graviores, ex Trid. Papae reservantur.

1274. — IV. Episcopus proprius est: 1° ratione *domicilii;* 2° ratione *contractus;* 3° ratione *rei sitae;* 4° ratione *delicti.*

1275. — NOTA I. **Forum** (sive FORUS) est a *fando* vel *ferendo* dictum. *Actor generatim sequi debet forum rei.*

1276. — II. Pius IX in Epist. ad Regem Sardiniae 19 Sept. 1852, declaravit veram adesse usurpationem iuris Ecclesiae « si lex civilis auderet cognoscere, et iudicare casus, ubi sacramentum matrimonii fuit, aut non fuit regulariter coram Ecclesia celebratum ».

Art. III. De ordine servando in Iudiciis.

1277. — **Praenotandum.** *Iudiciarius ordo passim* PROCESSUS *appellatur.* Ordo servandus fuit a lege constitutus, ut iudex dirigatur pro bono iustitiae: unde in hac re nihil pro arbitrio, sed omnia canonum legumque auctoritate agenda sunt, ait Devoti.

Processus Civilis.

1278. — **Introductio causae.** — **Libellus**: I. continet claram actoris intentionem.

1279. — II. Constat: 1° *narratione;* 2° *medio* seu causa ex qua petitur; 3° denique petitione.

1280. — III. In processu civili libellus requiritur, nisi agatur de processu summario.

1281. — **Citatio** est *actus iudicialis, quo reus mandato iudicis in iudicium vocatur.* — I. *Citatio est de substantia iudicii,* estque 1° *realis* (contra suspectos de fuga et in criminalibus), vel *verbalis;* 2° citatio verbalis est *privata* vel *publica* (per nuntium...); 3° *simplex* (non inducens contumaciam nisi post tertiam), vel *peremptoria* (inducens immediatam contumaciam post elapsum terminum).

1282. — II. Effectus citationis: 1us obligatio comparendi; 2us obligatio (in actore) prosequendi causam; 3us interruptio praescriptionis; 4us *relate ad iudicem* operatur praeventionem adversus alios iudices pariter competentes. — Cfr. Giraldi, *tit.* 3, *t.* 2, *Decretal.*

1283. — **Contumacia** a *contemnendo* dicta, significat inobedientiam (*rei vel actoris*) erga iudicem, estque *vera,* vel *ficta* (quando reus dolo impedit transmissionem citationis). — I. Actor contumax condemnatur *saltem* ad expensas.

1284. — II. Quando reus fit contumax, actor *servat* rem contestatam (excipe causas beneficiales), et post sententiam favorabilem fit possessor.

1285. — **Exceptiones** (adversus actorem). — I. Exceptio est *actionis exclusio*, qua reus actionem elidit vel retardat. EXCEPTIONES SUNT : 1° *dilatoriae*, vel *peremptoriae ;* 2° peremptoriae sunt *simpliciter peremptoriae* (seu non impedientes ingressum litis, quamvis avertentes actionem institutam, v. g., exceptio praescriptionis), vel *litis finitae* (v. g. exceptio rei iudicatae).

1286. — II. TENETO : 1° Defensionis ius nemini denegatur; 2° Reus uti potest multiplici exceptione; 3° Reus tenetur probare exceptionem, quia tunc est quasi actor; 4° Reus exceptionem obiiciens non censetur confiteri.

1287. — **Mutua petitio** seu RECONVENTIO est *actus quo reus, viso actoris libello, eumdem constituit reum et vicissim aliquid ab eo petit coram eodem iudice ac in eodem iudicio. Eius effectus* sunt *prorogatio iurisdictionis* ita ut iudex ab actore recusari non possit, et *processus simultaneus* (i. e. lis dirimitur unica sententia). Locum non habet in criminalibus, sed tantum ubi possibilis est compensatio.

1288. — **Replicationes** *sunt media quibus actor conatur exceptionem tollere.*

1289. — NOTA : Reus semper ultimus est respondendo : inde oritur *duplicatio*, *triplicatio*, *quadruplicatio*, etc., quae tamen Ecclesiae Forum ordinario non permittit, ne iudicia nimis protrahantur.

1290. — **Ordo cognitionum.** — I. Causa criminalis iudicatur ante civilem quia maioris momenti.

1291. — II. Quaestiones *praeiudiciales* primum

locum obtinent. Sic prius probanda aetas, quam haereditas.

1292. — III. Quaestiones *praeparatoriae* ante alias definiendae sunt.

1293. — IV. Quaestio *incidens* causam principalem attingit seu praecedit iudicium. — Quaestio *emergens* in iudicio oritur et respicit eius ordinem. — In concursu causae civilis et criminalis videndum est, an aliqua sit praeiudicialis: nam praeiudicialis prius tractanda est, sive sit civilis sive criminalis. (Cfr. Devoti, etc.).

1294. — **Instructio causae: — Litis contestatio.** — I. Non requiritur in iudiciis summariis. — II. Aliter regulariter. — III. Ante illam testes non admittuntur, seclusa necessitate. — IV. Litis contestatio dat initium iudicio, praescriptionem interrumpit, etc.

1295. — **Iuramentum calumniae** (vitandae). — I. Introductum est ad vitandas fraudes. — II. *In illo litigantes iurant:* 1° de propria bona fide; 2° de fidelitate in respondendo, et in probando; 3° de vitata corruptione; 4° denique, quod dilationes non postulent in fraudem. — III. Hoc iuramentum, quia universale, praestatur semel tantum. — IV. Iure canonico, iuramentum ad substantiam ordinis iudicialis non pertinet, quamvis semper exigi possit a iudice. — V. Iuramentum removet suspicionem calumniae.

1296. — **Probationes.** — I. Probatio fit iudici competenti, praesente adversario, et notario.

1297. — II. Ex regula generali, *asserentis est probare.*

1298. — III. *Duae probationes semiplenae,* sufficiunt ad faciendam *probationem plenam* (quae sufficit ad sententiam). Excipe causas matrim., crimin. et arduas.

1299. — Probationes plenae sunt: 1° confessio; 2° inspectio ocularis, v. g. vulneris; 3° testes (legitimi et duo saltem); 4.° instrumenta seu scripturae ad probandum idoneae (sunt *publicae* et fidem plenam facientes, vel *privatae* et probantes contra scribentem); 5° praesumptio seu coniectura ex iudiciis frequenter connexis cum veritate rei. Est *legis* (v. g. praesumptio ex possessione, estque *iuris*, vel *iuris et de iure* seu plenissima), vel *hominis*, quam iudex colligit ex circumstantiis. Praestat in civilibus probando, si sit violenta, semiprobando, si sit probabilis (poena capitalis requirit certitudinem); 6° Iuramentum: ubi per exposita probationum genera veritas comperta non fuerit, adhiberi potest iuramentum in causis civilibus, secus in criminalibus propter metum periurii.

1300. — Nota. Iudex laicus non potest punire clericum periurum in iudicio civili repertum; sed debet illum remittere ad iudicem ecclesiasticum (Cfr. cap. *Dilectus filius* de poen. et cap. 2. de crim. fals.).

1301. — **Sententia — Conclusio in causa.** — I. Est modus concludendi (finitis allegationibus in responsionibus) ex mandato iudicis. — II. Claudit acta iudicialia, exceptis causis in quibus est periculum animae. — III. Fit contra iudicem.

1302. — **Sententia** est vel interlocutoria (super articulo incidenti), vel definitiva. Sententia profertur *utraque parte praesente*, *coram iudice*, *publice*. Episcopus sedet in omni loco non exempto.

1303. — **Res iudicata** habetur post decem dies a sententiae prolatione. *Excipe* sententias matrim., causas censurarum, criminales, et *manifeste* iniquas.

1304. — **Executio** *sententiae*. Vide usum receptum.

1305. — Nota I. Iudex procedit ad conclusionem

in causa ad instantiam partis, vel ex officio. (Cfr. Can. *Iudicantem*, c. 30, q. 5).

1306. — II. Iudex sententiam proferens eam legit; sed Episcopi ratione dignitatis eam legere possunt per alium. (Cfr. cap. 5, de sent. in 6).

1307. — III. Iudex proferens sententiam sedere debet: imo ex iure canonico sententia a non sedente prolata non attenditur (Cfr. ibid.); inde formula: Nos... pro tribunali sedentes...

Processus Criminalis.

1308. — **Accusatio** differt a denuntiatione, quae non imponit onus probandi. *Fit solemniter* in *libello*, vel in *praesentia personali* accusatoris qui ecceptat poenam calumniatoris, si mentiatur... (quae hodie sublata est per querelam). — Quia accusatoris munus est gravissimum, hodie fere exolevit. — DENUNTIATIO est 1° *Evangelica*, ut in *Theol. Moral.*, 2° vel *Canonica*, v. g. banna matrim., 3° vel *Iudicialis*, quae loco accusationis habetur. Denuntians tenetur iudici indicare testes et indicia criminis suggerere.

1309. — **Citatio reorum** (*servato ordine iustitiae*) saepissime fit simul cum captura. **Captura** *exigit crimen atrox, flagrans delictum, vel periculum fugae.* Vide alia in *Theol. Morali*, et in Processu civili, ubi multa etiam de criminali traduntur.

1310. — **Processus oeconomicus.** — Expedit quammaxime ut tyrones scientiae canonicae prae oculis frequenter habeant sequens documentum: « INSTRUCTIO S. C. EE. ET RR. 11 IUN. 1880, PRO ECCLESIASTICIS CURIIS QUOAD MODUM PROCEDENDI OECONOMICE IN CAUSIS DISCIPLINARIBUS ET CRIMINALIBUS CLERICORUM. Sacra haec EE. et RR. C., mature praesenti Ecclesiae con-

ditione perpensa, quae pene ubique impeditur, quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari Curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit sequentes emanare normas, a Curiis servandas.

1311. — I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

1312. — II. Ex his remediis alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes, ut sapiant reparentque admissi criminis consequentias.

1313. — III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones, et casuum adiunctorumque gravitatem.

1314. — IV. Mediis quae praeservant praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

1315. — V. Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, quae ab Ordinario notanda est, ut *ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit et certiorem reddere queat superiorem auctoritatem, in casu legitimi recursus.

1316. — VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam aut per interpositam personam) sive in forma legali, ita tamen ut de earumdem executione constet ex aliquo actu.

1317. — VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit Curiae, ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum, in quo declaretur quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

1318. — VIII. Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali; sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis. § 1° Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque, si velit. § 2° Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

1319. — IX. Quoad *poenalia* media, animadvertant reverendissimi Ordinarii, praesenti instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus, per sacros canones, per apostolicas Constitutiones et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eaedem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus Curiisque, in quibus solemnes processus, aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extraiudiciale remedium *ex informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit S. Tridentina Synodus in *Sess. 14. cap. 1. de Reform.* adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. C. Congregatio in pluribus resolutionibus, et praecipue in *Bosnien.* et *Sirmien.* 20 Decembris 1873.

1320. — X. Quum procedi oporteat criminaliter, sive infractionis praecepti, aut criminum communium vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

1321. — XI. Processus instruitur *ex officio* aut in sequelam supplicis libelli et querelae, aut notitiae, alio modo, a Curia habitae et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, cum reitatis aut innocentiae accusati exurgat.

1322. — XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante Actuario.

1323. — XIII. Unicuique Curiae opus est procuratore fiscali pro iustitiae et legis tutela.

1324. — XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus, haud praesto sit opera apparitorum Curiae, suppletur exhibitione earumdem explenda per qualificatam personam, quae de facto certioret; sive eas transmittendo, ope commendationis, penes tabellariorum officium, illis in locis in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

1325. — XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus; et quoad titulum transgressionis praecepti, constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis, perfectorum modis enuntiatis art. VII et VIII.

1326. — XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut

saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

1327. — XVII. Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim.

1328. — XVIII. Testes ad probationem, aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

1329. — XIX. Testium absentium, aut in aliena Dioecesi morantium, exposcitur examen in subsidium ab Ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis instructionis normas.

1330. — XX. Quoties indicentur testes ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud convenire ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectui per depositiones aliorum testium, qui de relato, aut alia ratione, noverint id quod exquiritur.

1331. — XXI. Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

1332. — XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversum eum collatae, ut parari valeat ad respondendum.

1333. — XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta, prudens non sit in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur eumdem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae ipsum respicit uti accusatum.

1334. — XXIV. Si iudicio sistere abnuat iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur quod si adhuc obe-

dire renuat, habebitur ceu contumax: et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

1335. — XXV. Si compareat, auditur in examine; et quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest exhauriri.

1336. — XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi, et conclusionum habitarum, ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis poenis canonicis.

1337. — XXVII. Quum accusatus, tali modo, habeat plenam cognitionem eius, quod in actis extat contra se, ultra quod respondere possit, iure se defendendi a semetipso etiam uti valet.

1338. — XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem *Art. XXIII* nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

1339. — XXIX. Expleto processu, actorum instructor, restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem.

1340. — XXX. In die qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore, antea approbatis ab Ordinario.

1341. — XXXI. Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.

1342. — XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque sub-

iicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare.

1343. — XXXIII. Transmittitur dein procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo *ex officio* fungatur; uterque Ordinario traditur qui plena causae cognitione adepta, diem constituit in qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

1344. — XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et Cancellario.

1345. — XXXV. Post votum procuratoris fisci et deductiones defensionis profertur sententia, dictando dispositivam cancellario, cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis, accusato applicatae.

1346. — XXXVI. Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

1347. — XXXVII. Pro appellatione servantur normae statutae e Constitutione *Ad militantes* s. m. Bened. XIV, 30 Martii 1742, aliaeque emanatae ab hac S. Congregatione Decreto 18 Decembris 1835, et Littera circulari diei 1 Augusti 1851.

1348. — XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiaé; quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

1349. — XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, Curia absque mora remittit ad Auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus causae originales, idest processum, restrictum, defensiones et sententiam.

1350. — XL. Auctoritas ecclesiastica superior capta

cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

1351. — XLI. Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellantem nuncium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate.

1352. — XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicuius Curiae episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

1353. — XLIII. Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, Ordinarius, hoc in casu, summariam sumit criminosi facti cognitionem, atque perpendit an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut alii ecclesiasticae sanctioni. § 1° Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria. § 2° Expleto tamen iudicio, et libero redito accusato Curia iuxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis instructionis.

1354. — XLIV. In casibus dubiis, et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congregat., ad vitandas contentiones et nullitates ».

Art. IV. De Appellatione.

1355. — **Notio appellationis.** — I. Inter *remedia iuris* contra sententiam vel gravamen recensentur *supplicatio*, *recusatio iudicis*, *recursus* et *appellatio*.

1356. — II. **Supplicatione** petitur ut iudex sententiam ex mera benignitate revideat.

1357. — III. **Recusatio iudicis** velut exceptio dilatoria, impedit ne iudex processum prosequatur, dum appellatio fit ad iudicem superiorem ut sententia corrigatur.

1358. — IV. **Appellatio extraiudicialis** est actus per quem subditus, laesus extraiudicialiter, recurrit ad Superiorem. Vocatur etiam *Recursus* [1]. Recursus non supponit praevium iudicium.

1359. — V. **Appellatio iudicialis** est a iudice inferiori ad superiorem facta provocatio, ut lata sententia revocetur.

1360. — VI. *Sicut fertur sententia interlocutoria vel definitiva, ita distinguitur appellatio ab alterutra*

[1] Notandum circa regulares appellantes contra obedientiam: *Appellantes a mandatis Sup. Regularium primum " pareant, deinde recurrant, " ut constat ex sequenti decreto. — Super appellationibus regularium.* — Ex audientia SS.mi die 6 Iulii 1754. Sanctitas Sua, plaudentibus omnibus religionum Superioribus, mandavit quod in recursibus Regularium adversus obedientias suorum Superiorum semper rescribatur: Pareant et deinde recurrant, ad formam cap. *Reprehensibilis*, de appellationibus: " Praecipue vero hoc in religiosis volumus observari, ne religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem praelati sui et capituli disciplinam appellare praesumant, sed humiliter ac devote suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum. " — Et ad formam cap. Ad nostram, de appellationibus, ibi: " Mandamus quatenus si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum, iuxta tenorem mandati quod in praedicta regula continetur et institutionem ordinis, corrigas et castiges " (12 Iun. 1754).

sententia. Ex Concilio Tridentino, a sententia interlocutoria non appellatur, nisi gravamen per appellationem a sententia definitiva reparari nequeat.

1361. — VII. Appellatio est SUSPENSIVA vel DEVOLUTIVA.

1362. — VIII. *Appellatio est legitima vel illegitima.* Appellatio legitima interiicitur ex rationabili causa. Appellatio illegitima dicitur *frivola,* si ex levi causa interponatur; dicitur *frustratoria* si fiat tantum ad solutionem protrahendam. — (Huguenin).

1363. — **Facultas appellandi.** — Duo praescripta sunt causarum genera in quibus appellatio non suspendit executionem sententiae. *Ad primum genus* pertinent sententiae quibus aliqua censura inflicta est: itemque causae quae curam animarum, cultum divinum, correctionem morum spectant, veluti decreta Episcopi in visitatione dioecesis. *Ad alterum genus* pertinent tum causae quae moram non patiuntur, tum causae per Pontificem commissae *appellatione remota* (id.).

1364. — **Ordo appellationum.** — I. Generatim appellare licet a quovis iudice, qui relate ad causam controversam habet superiorem.

1365. — II. A iudice supremo nulla datur appellatio, cum is superiorem non recognoscat.

1366. — III. Ab ipso Papa non datur appellatio, nequidem ad concilium generale futurum. Cfr. Const. *Apostolicae Sedis.*

1367. — IV. Appellari non potest a sententia Concilii generalis legitime congregati et capiti suo uniti.

1368. — V. Regulariter appellatur, gradatim ad superiorem immediatum.

1369. — VI. Ad Summum Pontificem, omissis iudicibus intermediis, semper appellari potest. Etenim ius appellationum haeret in suprema potestate.

1370. — **Tempora appellationum seu fatalia.** — I. **Fatalium** nomine veniunt tempora quibus lapsis appellatio perimitur.

1371. — II. Appellatio interponenda est intra decem dies, qui contra praesentem a die latae sententiae, contra absentem vero a die cognitionis habitae, numerantur.

1372. — III. Ad appellationem prosequendam et finiendam conceditur annus, et ex iusta causa biennium: intra quod tempus si appellans, impedimento cessante, appellationem suam non fuerit prosecutus, illa censebitur deserta (Cfr. Devoti, etc.).

1373. — Opportunissima erit studiosis verum canonicarum iterata lectio Constitutionis. *Ad militantis Ecclesiae*, Benedicti XIV, III Kal. April. 1742, de appellationibus et inhibitionibus, ex qua excerpenda duximus quae habentur sub n. V-XXXVII:

1374. — « V. Districte praecipimus et mandamus, ne deinceps ab exsequutione Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, in omnibus illis causis et negotiis in quibus exsequutio huiusmodi Episcopis, et locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus praedictis recipiatur; vel inhibitiones, citationes generales vel speciales, cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi, per quae dictorum Decretorum exsequutio retardetur, aut processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

1375. — VI. Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus, provisionibus et statutis, tam in visitatione, quam extra, pro divino culto conservando et

augendo, et praesertim circa ea, quae observanda et evitanda sunt in celebratione Missae, aut alio quovis modo respiciunt exsequutionem Decreti Sacr. Concilii, *Sess. 21, de Reform. cap. 8, et Sess. 22, in Decret. de observ. et evit. in celebrat. Miss.*

1376. — VII. Item a Decretis cogentibus clericos tam saeculares, quam regulares, etiam monachos et exemptos, ad publicas processiones, servata tamen forma Constitutionis s. m. Pii V, quae incipit: *Etsi mendicantium*, prout etiam a Decretis et provisionibus super praecedentia inter personas ecclesiasticas, tam saeculares quam Regulares, in eisdem processionibus, vel associatione defunctorum, delatione umbellae, et huiusmodi: necnon super observatione censurarum, etiam episcopalium, et festorum dioecesis, iuxta dispositionem eiusdem Sacri Concilii, *Sess. 25, de Regular., cap. 12 et cap. 13.*

1377. — VIII. Item in omnibus iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent; et praesertim adversus monitiones, censuras, aut alias provisiones, per quas parochi, aut alii curam animarum exercentes, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt, iuxta Decretum Sacri Concilii, *Sess. 5, de Reform., cap. 2.*

1378. — IX. Item adversus deputationem vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congruae, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata ex dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur, vel quoties eadem beneficia curata cathedralibus, collegiatis seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur, iuxta praescri-

ptum dicti Sacri Concilii, *Sess. 7, de Reform., cap. 5 et cap. 7*, et iuxta Constitutionem s. m. Pii V, quae incipit: *Ad exsequendum.*

1379. — X. Item adversus visitationem beneficiorum curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumque ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta et provisiones ab Ordinario capiendas, ut, quae in eis reparatione indigent, reparentur, et cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, iuxta dispositionem S. Concilii in eadem, *Sess. 7, de Reform., cap. 8, et Sess. 21, cap. 7.*

1380. — XI. Item a Decretis seu Mandatis, per quae Episcopi, etiam uti Apostolicae Sedis Delegati, in ecclesiis parochialibus, aut baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum: aut etiam invitis rectoribus, procedant ad constitutionem novarum parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem, et in caeteris casibus a iure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, iuxta dispositionem S. Concilii, *Sess. 21, de Reform., cap. 4 et 5, et Sess. 24, similiter de Reform., cap. 13.*

1381. — XII. Item a deputatione coadiutorum, aut vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tamquam Apostolicae

Sedis Delegato, quando illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter et scandalose vivunt, et, postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, iuxta praescriptum eiusdem Concilii in eadem *Sess. 21, de Reform., cap. 6.*

1832. — XIII. Item a translatione beneficiorum simplicium, etiam iurispatronatus, ex Ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sunt, et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias, cum omnibus emolumentis et oneribus: prout etiam a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos, aut parochianos, sive populum, ad refectionem et instaurationem ecclesiarum parochialium, servata forma Sacri Concilii, *Sess. 21, cap. 7.*

1383. — XIV. Item a censuris, sequestratione et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam parochis, caeterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, iuxta Decretum eiusdem Sacri Concilii, *Sess. 23, de Reform., cap. 1.*

1384. — XV. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione et limitatione facultatis audiendi confessiones, respectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares, pro excipiendis confessionibus saecularium, iuxta ordinationem Sacri Concilii, *Sess. 23, cap. 15*, et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, ac praecipue illam fel. rec. Clementis X, quae incipit: *Superna.*

1385. — XVI. Item in illis civitatibus aut locis, ubi vel parochiales ecclesiae certos non habent fines,

nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt parochiales, a divisione seu distinctione parochiarum, earumque ordinatione sive institutione in titulum perpetuum, iuxta Decretum Sacri Concilii, *Sess. 24, de Reform., cap. 13.*

1386. — XVII. Item a deputatione vicarii, vel oeconomi, cum assignatione congruae, pro tempore, quo vacat ecclesia parochialis, prout etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum, necnon praeelectione, et provisione Episcopi in eodem concursu, iuxta definitionem Sacri Concilii in eadem *Sess. 24, de Reform., cap. 18.*

1387. — XVIII. Item a mandatis, seu Decretis inhibentibus praedicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam saeculares, quam regulares, qui in alienis ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; iuxta Decretum Sacri Concilii, *Sess. 5, de Reform., cap. 2, et Sess. 24, similiter de Reform., cap. 4,* et Constitutionem piae mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili, § fin.* una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X, quae incipit: *Superna.*

1388. — XIX. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad curam animarum, et rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem et quascumque alias provisiones Episcopi dioecesani, etiam quoad exemptos, sive saeculares, sive regulares, iuxta laudatam Constitutionem Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili.*

1389. — XX. Item adversus quascumque provisiones et decreta pro conservanda aut restituenda clausura Sanctimonialium, aut pro correctione seu punitione eorum, qui circa personas intra monasteria degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione confessariorum sive Regularium, sive saecularium, quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis confessionibus Monialium, etiam Regularibus subiectarum. Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus administratores, sive saeculares, sive regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad monasteria Sanctimonialium huiusmodi pertinentium, ac demum a quibuscumque Decretis super amotione cappellanorum, sacristarum, et aliorum quorumcumque officialium et ministrorum, tam saecularium, quam Regularium, ipsis Monialibus, vel eorum ecclesiis inservientium, iuxta dispositionem Sacri Concilii, *Sess. 25, de Regular. et Monial. cap. 5, cap. 9 et cap. 10*; servata tamen, quoad Regulares et exemptos, forma praedictae Constitutionis s. mem. Gregorii XV, quae incipit: *Inscrutabili.*

1390. — XXI. Item adversus pastoralem visitationem dioecesis, et praesertim monasteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum, et praepositurarum, in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum saecularium, et Regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum: Prout etiam ab exsequutione eorum, quae in ipsa visitatione mandata, decreta, aut iudicata fuerint. Necnon similiter a quibuscumque Decretis et provisionibus, etiam extra visi-

tationem, pro conservatione, vel reparatione ecclesiasticae disciplinae, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et saecularia negotia fugienda, atque evitanda, iuxta plura Decreta dicti Sacri Concilii, et praesertim, *Sess. 6, de Reform., cap. 4, Sess. 13, cap. 1, Sess. 14, cap. 4, Sess. 21, cap. 8, Sess. 22, cap. 1 et cap. 8, et Sess. 24, cap. 10,* ad formam tamen Decretorum Sac. Congr. Episcoporum de mandato s. m. Clementis VIII editorum a. 1600.

1391. — XXII. Item a Decretis cogentibus praesentatos, electos, vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia, ad se subiiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur, *Sess. 7, de Reform., cap. 13.*

1392. — XXIII. Item a denegatione sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios maiores, prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus iam susceptis ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, iuxta dispositionem Sacri Concilii, *Sess. 14, de Reform., cap. 1 et cap. 3, et Sess. 21, cap. 1, et Sess. 23, cap. 16.*

1393. — XXIV. Item a praefixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, iuxta Decretum Sacri Concilii *Sess. 25, de Regul., cap. 14,* et Constit. fel. rec. Clem. PP. VIII, quae incipit: *Suscepti muneris:* necnon adversus punitionem, et correctionem eorumdem Regularium, qui circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram ipsam deli-

querint, iuxta praedictam Constitut. Greg. XV, quae incipit: *Inscrutabili.*

1394. — XXV. Item a censuris, aut aliis provisionibus contra concubinarios, et praesertim clericos etiam retinentes domi, aut extra, mulieres suspectas; iuxta praescriptum Sacri Concili, *Sess. 24, de Reform. matrim., cap. 8, et Sess. 25, de Reform., cap. 14.*

1395. — XXVI. Item adversus privationem privilegii fori, et alias provisiones contra clericos non incedentes in habitu et tonsura, et in aliis casibus a Sacro Concilio praescriptis, *Sess. 14, de Reform., cap. 6, et Sess. 23, similiter, cap. 6.*

1396. — XXVII. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae, aut beneficii, quoad clericos promovendos ad Sacros Ordines; iuxta dispositionem eiusdem Concilii, *Sess. 21, de Reform., cap. 2.*

1397. — XXVIII. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et iuxta vota ipsorum capitularium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, iuxta Decretum Sacri Concilii, *Sess. 25, de Reform., cap. 6.*

1398. — XXIX. Item a mandatis, seu Decretis super conversione tertiae partis fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter dignitates obtinentes et caeteros divinis interessentes, in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones huiusmodi quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; iuxta Constitutionem eiusdem Concilii,

Sess. 21, de Reform., cap. 3, et Sess. 22, similiter de Reform., cap. 3.

1399. — XXX. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super exsecutione omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, in casibus a iure concessis, iuxta dispositionem Sacri Concilii, *Sess. 22, de Reform., cap. 8.*

1400. — XXXI. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcumque, et confraternitatum laicorum, eleemosynarum Montium pietatis, sive charitatis, et omnium piorum locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita: ac denique a cognitione et exsequutione eorum omnium, quae ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, iuxta dictum Decretum Sacri Concilii, *Sess. 22, de Reform., cap. 8.*

1401. — XXXII. Item a Decretis, seu mandatis cogentibus administratores tam ecclesiasticos, quam laicos, etiam exemptos, fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae, Montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse cautum fuerit, iuxta Decreta Sacri Concilii, *Sess. 7, de Reform., cap. 15, Sess. 22, cap. 9, Sess. 25, cap. 8.*

1402. — XXXIII. Item a Decretis compellentibus notarios, etiam Apostolica, Imperiali aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, ad se subiiciendum examini: eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel

imperitiae, iuxta praescriptum Sacri Concilii in dicta *Sess. 22, cap. 10.*

1403. — XXXIV. Item ab erectione seminarii, et taxatione quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum, et prioratuum cuiuscumque Ordinis, etiam Regularis, hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem, et beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam iurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, confraternitates, et monasteria omnia, non tamen mendicantium, pertinentium; necnon decimarum quacumque ratione ad laicos, atque etiam milites cuiuscumque militiae, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem seminarii manutentione: prout etiam ab unione et applicatione aliquot beneficiorum simplicium; necnon a Decretis cogentibus eos, qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos substitutos; et generaliter a mandatis et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt curam, directionem et administrationem seminarii, plenamque exsequutionem Decreti editi a Sacro Concilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus instituendo *Sess. 13, de Reform., cap. 18.*

1404. — XXXV. Item a mandatis, seu Decretis cogentibus oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem administrationis per eos gestae Sede episcopali vacante, iuxta praescriptum Sacri Concilii. *Sess. 24, de Reform., cap. 16.*

1405. — XXXVI. Item a comminatione excommunicationis a iure latae et à sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis.

1406. — XXXVII. Et generalitèr ab exsequutione aliorum quorumcumque Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, Episcopis atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. rec. Pii Papae IV, quae incipit: *Benedictus Deus* ».

REQUIES ANIMAE

Mariam cogita. Maria est « Iudicissa vivorum, et mortuorum, potestatem habens ex concessione facere iudicium misericordiae. » (B. Alb. Mag.).

Mariam invoca. Ora pro nobis, benignissima « Advocata peccatorum, a peccatoribus iustissimam Dei iram precibus suis et intercessione avertens. » — (Bellarminus.).

Mariam laetifica. Vera humilitate, fraterna benignitate et charitate. — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. II. — DE CRIMINIBUS

Art. I. De Criminibus in genere.

1407. **Delicta et crimina.** — I. Generatim eodem modo accipiuntur.

1408. — II. Attamen vox delicti generalis est; crimen ad delicta publica et graviora refertur.

1409. — III. **Crimen** definitur « *actio imputabilis, externa, sanctione poenali legis humanae interdicta, ordinem societatis violans* ».

1410. — IV. *Crimen et peccatum in eo differunt*, ut omne crimen sit peccatum, sed peccatum tunc tantum criminis naturam induat, quando est externum, coniunctum cum poena legis humanae, et ordinem socialem perturbans.

1411. — V. Ad crimen non pertinet neque peccatum internum, neque actio contra quam poena non decernitur, neque delictum leve, quod societatem non turbat.

1412. — VI. Omne peccatum solius Ecclesiae potestati subiacet. Peccatum publicum publica poena ab Ecclesia punitur. — Cfr. Huguenin, Tarquini, etc.

1413. — **Divisio.** — Delicta ecclesiastica sunt vel *contra Deum*, vel *contra res sacras; clericalia*, vel *mixta* (clericis et laici communia); *mere ecclesiastica, civilia*, vel *mixta* (prout sunt contra leges Ecclesiae tantum, vel contra leges civiles, vel contra utrasque); *occulta* vel *publica*...

Art. II. **De Criminibus in specie.**

1414. — **Notandum.** — Quoad crimina contra Deum, vel res sacras, vide *Theol. Moral.*, ubi de sacrilegio, blasphemia, etc... Item de aliis criminibus contra personas. — Teneto tamen : I. In poenis proferendis contra sollicitantes in confessione caute procedendum est, et in praxi regula est, ut denuntiatus Confessarius, ad primam denuntiationem *vigiletur*, ad secundam *vigiletur attentius*, ad tertiam contra ipsum *procedatur* (C. Ferrari, 264).

1415. — II. *Crimen laesae maiestatis* est machinatio, sive conspiratio contra potestatem, dignitatem, aut vitam Principis, aut quasi Principis.

1416. — III. Poena Clerici incestuosi est depositio (ferendae sententiae).

1417. — Clericus sodomita fit infamis, etc.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. In Maria invenimus « propitiatorium nostrum, eripiens nos a futuris terribilibus suppliciis, et liberans nos ab omnibus minis et insidiis hostium visibilium, et invisibilium » (S. Ioan. Damasc.).

MARIAM INVOCA. O Maria! Solve vincla reis: profer lumen caecis: mala nostra pelle: bona cuncta posce. Amen.

MARIAM LAETIFICA. Detestatione peccati, etiam levissimi. — *Filii Mariae imitatores eius...*

CAP. III. — DE POENIS ECCLESIASTICIS

ART. I. De poenis ecclesiasticis generatim.

1418. — **Poena ecclesiastica** *est delinquentis, aut delicti coercitio ab Ecclesia per canones, aut a potestate ecclesiastica secundum canones data, aut comminata.* Est 1° *communis*, vel *propria clericorum,* ut suspensio; 2° *spiritualis* seu privans bono spirituali, vel *temporalis;* 3° *ordinaria* seu a iure, vel *extraordinaria* seu ab homine; 4° *latae*, vel *ferendae* sententiae (seu comminata); 5° *medicinalis* vel *vindicativa...* —

TENETO. I. *Ecclesia habet potestatem infligendi poenas non solum spirituales, sed etiam temporales;* quia est societas visibilis et perfectissima. UNDE Pius IX *(Syllab.)* sequentem damnavit propositionem: « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet... Ecclesiae ius non competit violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi ».

1419. — II. Ius infligendi poenas competit tum legislatori, tum iudici.

1420. — III. Ad poenas infligendas requiritur iurisdictio externa et proprium territorium.

1421. — **Varia.** — I. **Corporales poenae,** quas ab antiquissimis usque temporibus Ecclesiam adhibuisse constat, praecipuae sunt ictus fustium aut flagellorum, detrusio in monasterium aut in carcerem, exilium, mulcta pecuniaria. Ac de isto quidem postremo genere poenae cavendum est diligenter, ut omnis procul absit turpis quaestus et avaritiae suspicio, cum rei criminum pecuniae poenae subiiciuntur (Devoti). Ex Trid., *sess.* 25, *cap.* 3, *De Reform.*, constat ipsum Concilium agnovisse ac confirmasse potestatem ecclesiasticam poenas corporales infligendi.

1422. — II. Iam a quarto saeculo Ecclesia habuit CARCERES ad puniendos Clericos criminosos, qui *Decanica* appellabantur. In capitulariis Caroli M., 1, 5, dicitur: In Decanicis, *alii* in catenis, Ecclesiae recedatur, competenter poenas luiturus.

ART. II. De poenis in specie.

1423. — **Quoad censuras generatim,** vide *Theol. Moral.*

1424. — **Suspensio ex informata conscientia.** — I. *Episcopis competit facultas ferendi suspensiones ex*

informata conscientia. Constat 1° Ex decreto Concilii Tridentini, *sess.* 14, *c.* 1. « Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut quia a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla, contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia.... suffragetur ». 2° Ex declaratione Congr. Conc., 24 Nov. 1657: « Verba illa *ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter*, expressa dumtaxat in prima parte periodi, censetur repetita in secunda parte; adeo ut inde colligi valeat Praelatum, nedum posse ob occultum crimen extraiudicialiter interdicere suo subdito ascensum ad Ordines, sed itidem ob occultum crimen posse etiam extraiudicialiter illum suspendere ab Ordinibus iam susceptis ».

1425. — II. Regulariter suspensio ex informata conscientia non fertur *nisi ob occultum crimen*. Quia haec facultas Episcopis concessa est ut sacramentorum honori consulant, « quando delictum non potest in foro externo concludenter probari aut illud non expedit in aliorum notitiam deducere », inquit Bened. XIV. Atqui plerumque delictum publicum iudicialiter probari potest. Ergo tunc solum ex informata conscientia proceditur, quoties ordo iudicialis servari nequit (Huguenin).

1426. — III. *Suspensio ex informata conscientia non infligitur in perpetuum*. Legitur enim in relatione causae *Lucionensis*, an. 1848: « Congregatio, etsi olim censuerit *caput* I, *sessionis* XIV, Concilii Tridentini,

habere locum in prohibitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpetuis, recentiori tamen aevo ab illa sententia recedere consuevit, aliamque constanter secuta est, qua id velle videtur ut huiusmodi suspensiones praesertim perpetuae haud unquam in posterum ferendae sint, nisi praemissis monitionibus ».

1427. — IV. A sententiis ex informata conscientia *non datur appellatio.* Id probatur ex verbis Concilii Tridentini: « nulla contra ipsius Praelati concessa licentia... nulla restitutio suffragetur ». — *Datur recursus ad Sedem Apostolicam:* « Ordinarius, si suspendat aliquem vigore capitis primi sessionis XIV, non tenetur exprimere delictum seu causam suspensionis ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, ad quam reus recursum habuerit. Iste recursus habet effectum *devolutivum, non suspensivum* ». Ita Huguenin (Cfr. Scavini, Del Vecchio).

1428. — Ut recte procedatur in suspensione ex informata conscientia, prae oculis habendae erunt certae quaedam normae a S. Congregatione de Propaganda Fide editae, die 20 Octobris 1884; quae iacent prout sequitur:

1429. — I. Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.

1430. — II. In hoc praecipue ipse differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusdem impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens simplici utatur praecepto, quo declaret, se suspensionem ab

exercitio sacrorum officiorum vel ecclesiasticorum munerum indicere.

1431. — III. Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est, die et mense designato; ideoque fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est, quod eiusmodi punitio irrogetur in vim Tridentini decreti (*sess.* 14, *cap.* 1, *de Reform.*) ex informata conscientia vel ex causis ipsi Ordinario notis.

1432. — IV. Debent insuper exprimi partes exercitii ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii, in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur. At si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud Curiam archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

1433. — V. Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

1434. — VI. Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet crimen seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

1435. — VII. Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et quali-

tati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.

1436. — VIII. Verum tenet adhuc suspensio, si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

1437. — IX. Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur, suspensionis causam, seu ipsam culpam, delinquenti aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et charitatis eorumdem erunt, ut si istiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex paternis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviant.

1438. — X. Meminerint vero Praesules, quod, si contra decretum, quo irrigata fuit suspensio, promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debeat culpa, quae eidem praebuit occasionem. Consultum idcirco erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quantumvis extraiudicialiter et secreto, colligantur; ita ut eo ipso quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda procedatur, si deinceps causa examinanda sit apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae, ut plurimum, occurrunt in istiusmodi iudiciis.

1439. – XI. A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, eiusque obtentu, in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

1440. — XII. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis, usque dum ab ipso Pontifice, vel a Sacra Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum, aut etiam moderatum.

1441. — XIII. Caeterum, ex quo istiusmodi poena est remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudiciariis adhibetur; prae oculis habeant Praelati, id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Benedictus XIV, in suo tractatu de *Synodo Dioecesana*, libro XII, c. 8, n. 6; quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps, ex privata tantum scientia, poena suspensionis animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.

1442. — **Varia.** — I. *Anathema non differt ab excommunicatione, nisi ratione maioris solemnitatis*, quae ad illud pronuntiandum requiritur: nam anathema solemniter proferendum est, adhibitis determinatis caeremoniis, ut terrorem incutiat salutarem. *Pont. Rom. tit. de ord. excom. et can.* 106, *c.* 1, *q.* 3 (C. Ferrari).

1443. — II. De Druidis Galliae sacerdotibus narrat Caesar (*de bello Gallico* lib. 6, cap. 13): « Si quis, inquit, privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima: quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, iis omnes decedunt,

aditum eorum, sermonemque defugiunt; neque iis petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur ».

1444. — III. Christiani parere debent excommunicationi, etiam iniustae (*non manifeste*) a legitima potestate latae, iuxta illud S. Greg. M. (*hom.* 26 *in Evan. S. Ioan.*): « Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumidae reprehensionis superbia, culpa quae non erat fiat ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. Magistra nostra dulcissima est « Advocata sapientissima, iura civilia et canonica, et leges, et decreta in summo sciens, nam cum sapientia advocati manifestetur in tribus: *Unum,* quod obtineat contra Iudicem iustum et sapientem; *secundum*, quod contra adversarium astutum et sagacem; *tertium*, quod in causa desperata: Beatissima Virgo contra iudicem sapientissimum Deum, contra adversarium callidissimum diabolum, in causa nostra desperatissima sententiam optatam obtinuit » (B. Albert. Magn.)

Mariam invoca. Sancta Dei Genitrix, dulcis et decora, regem morti traditum, Filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis exora, ut per suam piissimam clementiam, et virtutem sanctissimae incarnationis, et mortis ipsius acerbissimae nobis indulgeat peccata nostra. Amen (S. Franc. Ass.).

Mariam laetifica. Semitas Seraphici S. Francisci, iuxta hortationes Leonis XIII in sua Enc. *Auspicato*, sectare; paupères dilige. — *Filii Mariae imitatores eius.*

FINIS.

Ave Maria Immaculata!

INDEX

Tractatus de Hierarchia ordinis.

Tractatus de Hierarchia iurisdictionis.

Tractatus III de Electionibus.

PARS SECUNDA

De Iure Privato Ecclesiastico.

Tractatus de Personis.

Tractatus de Rebus.

Tractatus de Iudiciis.